

12
7 P
11

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
55
5 C
29
ROMA

de Nola





Cornelio Francescucci



SERENISS.^MO PRINCIPI D. FERDINANDO GONZAGAE

Mantuæ, & Montis Ferrati Duci





FABRITIVS BARTOLETVS S.

PARTVM hunc Medicinæ meum, Serenissime Dux, qui mihi nunc primum è sinu, & complexibus exiliens in hoc famæ theatrum iuueniliter, si minus audacter fortassè prodit, Orbis ea potissimum ratione titulo inscribendum putaui, quòd, & Medicinam eamdem ab Apolline inuentam, Apollinis ipsius Orbem nuncupatam reperimus; quinqueuè indè præsertim Medicarum artium stellis præfigendum, ne prorsus absq; lumine siet, aut frustrà factus censeatur orbes propter stellas creatos tradentibus, & si sine stellis etiam propter stellas fuisset. Sed quoniam tanto Orbi per se ipsæ suffecturæ non erant illustrando, quin potius ipsum quodammodo opacaturæ

videbantur suo destitutæ Sole, sine quo, aut nihil, aut omninò parùm luminis habent, ad te Serenissimum nostri æui Apollinem recurri, vt ipsis lucem aliquam è tua non aliundè mutuata luce conciliem, qua ipsæ ex Medicinæ Orbe scintillantes benigno interdùm posthac adfectu hominum, quà corpora, quà ingenia afficiant, sic enim perpetuò gratiæ tuæ motu raptæ gyros describent perfectos, sic luminis tui splendore animatæ, suis deque maledicos tenebrarum obiectus facient; sic deniq. sæuientes Inuidiæ procellas effringentes æternum felicissimè circumlabentur, conspicientur, suspicientur; Neque mirum te illis affulgente, qui melior Apollo nullum reformidas Occasum; atque ob id Europæo huic Orbi stabilis, ac nitidus nunquam non adnites; Ingenita nobilitate multos superas, omnes æquas, nemini cedis: Suauiorum Musarum studia, ac studiosos liberalissimus foues; politiores doctrinas versatili tuo ingenio percalles, non minus olim purpura clarus, quàm nunc ferro gloriosus, Mars in toga, Apollo in sago, radios iaculans, spicula contorquens, quorum illis purpurescens Occidentis hanc Solis partem tibi deuinxisti; hisce primos Orbis totius cardines mirandum tibi in modum fautores conseruas, & vtrisq. eum te prorsus exhibes, quem Orbis æquè vereatur, ac veneretur. Hunc igitur nuncupatum tibi Orbem seueriore supercilio deposito lætissimus excipe, motum da primus, & dignare aspectu, vt ab improbis affectionibus per te liberatus, per te viuax, lucidus, ac perpetuus rotetur, fluat, influat, semper numinis tui erga me benignitatis pignus, & meæ erga te obseruantiæ monumentum. Vale, Viue, & diu Viue.

THEODORUS BUGEUS ARLEMENSIS AD LECTORES.



ISI nostratum quamplures, qui multis ab hinc annis Excellentissimi D. Fabritij Bartoleti Theoriam, ac Praxim sectati sunt, ad edendum hunc librum, eum quasi violenter impulissent, neutiquam, modestiæ causa, ipsum edidisset: & quamquam ætatem iuuenilem, adultamq; emulantium malignitatem in semetipsum nobis sæpius obijceret, salebrosam tamẽ hanc ipsius opinionem ea ratione confutauimus, quòd ingenio, & non ætate, homines hac ætate dijudicentur, garrulaq; emulantium malignantium petulantia virtutis gladio iuguletur; hinc rationibus nostris conuictus, librum hunc ex propria musæi luce in lumen externum immittere coactus est: & quamuis apud ipsum, & maioris molis, & inuentionis extarent opera, hoc tamen Tyrocinium medicum in ordine ad Theoriam, Tyronibus medicis exhibere voluit, vt prę foribus medicinę habeãt, vnde methodicè addiscãt; tametsi enim Typographia Medica plurimis, ac propemodum scateat infinitis librorum monumentis, Tyro tamen, cui studere debeat, adhuc est, quòd desideret; institutionum enim medicarum aliquæ suspectæ sunt, nonnullæ nimis prolixæ, quæ potiùs incipientis ingenium confundunt, quam quòd methodicè disponant: & quãuis plura hic habeantur, quæ, ceu medicæ scientiæ termini, passim ab alijs proponuntur, vt *de temperamentis, de humoribus, de partibus, de spiritibus, de actionibus, & de vrinis, & de pulsibus*; attamen præter id, quòd breuiori quodam ordine hic disponuntur, quamplura etiam alia, à nullis etractata, passim spectantur, prout sunt *Impostura Hermetica de humoribus, de temperamentis, de tribus substantijs, de balsamo radicali*, & potissimum *de metallorum germinatione:* his addo quæstionem *de corporis animati cõplexione*, quæstiones *de facultatibus, & de partibus similaribus*, in quibus multa inuenta reperiuntur: Maior etiam Hygijnæ pars potiora quædam artis à nullis tacta, continet, sicut est *Aqua benedicta ex croco metallorum, sal antimonij*, mirum in arte medica medicamẽtum, *oleum saccharatum* eiusdem. *Pillula de stramonio*; modus extrahendi *mercuriũ balsamicum ex auro, & argento:* Appendix *de aquis, de oleis: modus nouus facilis conficiendorum salium: Liquores gemmati* Magni Ducis Heturiæ: *Pugillatum*; & similia non quotidiana; his accedit *Pathologica*

Metho-

Methodus ab alijs hucusque habitis diuersa; & *Simiotica*, quæ, etsi è Galeni penetralibus quoquo pacto deprompta videatur, à nullo tamē fuit exarata, sicut *& tractatus de vrinis* secundum Hermeticos; & tota *Therapeutica* à Capiuaccia, & à cæteris longe diuersa, in qua mirum Galeni, & Aristotelis artificium ingeniosissimè aperitur; quamobrem humane lector, ne sis præcipiti iudicio in censendis eius scriptis, oro: cæteros, qui, vel rerum ignari, vel ex desidia, vel auaritia conuiciantur, nil morabitur; cum enim, non in palæstra, in qua nati sunt, se exerceant, indignos, qui responsum mereantur, iudicabit. Quòd si D.O.M. ætatem, & sanitatem illi præstiterit, in futurum spero omnes visuros, Bononiam nullum habuisse Medicum, qui tot de scientia, arteq; medica benemerita scripserit, in hac enim eius ætate iuuenili plura conscripta, & conscribuntur opera: In logicis, *totam logicam textualem* habet; in Physicis, libros de Physico auditu cum textu, summis, & quæstionibus: *libros tres de anima; tractatus de visu, & visibili, & de infinito*: In Chirurgicis opus inscriptum *Stigma sydirion*, siue *punctus ferreus*, in quo modum nouum curandarum herniarum citra causticum, & castrationem proponit cum figuris, à nullo Priscorum, & recentiorum hactenus excogitatum, Illustriss. Senatui Bononiēsi dicatū, iam à multis, qui eum operantem viderunt, desideratum: est, & *tota Chirurgia*, quæ nunc perficitur composita, tum ex Dogmaticis, tum ex Hermeticis. In anatomicis, est *liber conclusionum popularium anatomicarum* in publica anatome edendarum: est *parua anatomia* syndicis anatomicis dicata. Est *Galeni Apologia* de structura musculi in Aquam Pendentem. Est *Iconographia fœtus humani* cum figuris, in qua tractatur, & delineatur fœtus compositio, fœtus extractio, & fœtus resolutio: erit & vniuersa anatomia in duas partes disclusa, in *anatomiam effatam*, & *anatomiam localem* cum figuris nouis ab alijs non exculptis. In medico physicis, nunc est *Antidotarium Chimico Dogmaticum* cum duobus indicib. Est libellus de *Cheiro*, siue *de dolore*. In Chimicis verò de *Compositione Medicamentorum secundum Hermeticos*, liber diuisus in *Theoricam Chimicam*, & *Practicam*: hæc, qui optima sunt indole, mirabuntur; qui verò rerum istarum, nec vmbratilem cognitionem habēt, ad eum criminandum, & calumniandum insurgentes, pinguemque saliuam euomentes, omninò confutabuntur, suisque proprijs gladijs seipsos, tamquam in inuidia maniaci, & furiosi iugulabunt; sed tu humanissime Lector sine bile hæc legas, & amore potius hæc peruoluas. Vale.

SERENISSIMÆ CELSITATI

DVCIS FERDINANDI GONZAGAE

Genere, Genio, Ingenio,

Clariſſimi, Humaniſſimi, Acutiſſimi.

Qui vernantibus adhùc malis annoſo cuiq; Pylio, atq; ἀνδρῶν ex
Apolline ἁπάντων σοφωτάτῳ præcurrens innata ſibi,
& luce, & laude è Sereniſſimo Mantus Cælo nitidiſſimus Europæ toti
Phębus alter affulget.
Cuius in ſago ſtrenua manus, prouidum cõſilium; in toga pia æquitas,
æqua pietas, in vtriſque vis mentis, & oris maxima
auitam ſuorum gloriam repræſentat,
cæteris alijs facem præfert,
antiquos ſummo cum ſplendore conſequitur.
Cui perimplicitas hederis lauros ab infantis propè orbis memoria
interrupta Heroum ſerie procedenti
accinunt ex Sequana Galli,
aſpirant ex Ibero Auſtri, aduolant ex Danubio Aquilæ,
inuigilant ex Tyberi Dracones,
& vniuerſa Chriſtianæ Reipublicæ Caſtra ex circumfuſo
vndiq; Oceano acclamant.
Quem vnum iudice, & indice Virtute litterarum cultorem, & littera-
torum Męcenatem æui noſtri clementiſſimum, & liberaliſſimum
Attica Xenophontis Apis, noua Sophoclis Siren,
& ſublimis Patrij Vatis Ales
ad perennem nominis celebritatem manent.
Quo Duce, & Auſpice
Ἐγκυκλοπαιδεία vetus è Cimerijs rediuiua tenebris in hanc
lucem erumpit, recens Medica cuditur, atque ambæ
Gentilitijs ipſius Aquilis impoſitæ,
Axem fama pertingunt, orbem peragrant,
æternùm
legendæ, amandæ, ſeruandæ.

Franciſcus Maſtrius Bononienſis perpetuum obſequij
Monumentum ſacrat.

FABRITIO BARTOLETO

Φιλομούσῳ lepidissimo,

Philosopho præstantissimo, Medico excellentissimo,
Cui Natura Mater legenti

Vires suggerit ad copiosè explicandum, facilè dictandum, breuè præcipiendum,
Cui Pitho orandi facultatem largitur
Ad potenter flectendum, efficaciter probandum, suauitèr delectandum,
Cui Gratiæ, & Musæ certatim adstant canenti
Epica Maiestate admirationem cienti, cothurnata grauitate lachrymas elicienti, soccata humilitate risum commouenti, Lyrica iucunditate hilaritatem inducenti,
Cui stellarum motus, & aspectus omnes
Quasi Cælitum cuipiam Cælum percurrenti nunquam celantur
Cui rerum causas rimanti, constitutiones corporũ expendenti, atq; hinc mortales è Mortis faucibus eripienti, æquè Philosopho medenti, ac Medico Philosophanti Iuppiter in mortalitate præter morem immortalitatem concedit,
Cui ne Medico sua desit maturitas, nec Vati viriditas, quò fiet in maturo viridis, in viridi maturus, Ephebo barbam donat Æsculapius
Barbato Ephebismum Phœbus
Viro vltrà viri cuiuspiam ingenium ingeniosissimo, & ad omnia, & omninò, & vbique, & apud omnes promptissimo
Cuius ab Orbe
Orbis totus quasi nouo Orbis miraculo pendet,
vt, quemadmodũ à nostro hoc Orbe excipitur, ità ad supernos orbes famę alis excipiendus Euehatur
Ἀρχιάτρῳ potius, si verè loqueris, quàm πολλῶν, si modestè Ἀνταξίῳ
Franciscus Mastrius
Pusillum hoc suæ ergà ipsum obseruantiæ monumentum posuit.

IN

IN ENCYCLOPAEDIAE

HERMETICO MEDICAE.

Doctoris Fabritij Bartoleti Laudem.



Ic secat, hic urit, lenit, ligat, atque medetur;
Restituitq; animos, restituitq; animas.
Corporis hic vires, morbos, & pharmaca pensat.
Applicat; & rapido Mortis ab ore rapit,
Mitte Epidaure tuum Αρχὶατρον, quem fulmine strauit
Iuppiter, hunc Cælum protegit, auget, alit.

Marchio Aloysius Gonzaga.




b *En*



EN nouus hic Orbis, Medicis clarissimus herbis,
Qui modò Felsinea structus ab Vrbe venit.
Hunc lege iste Orbicola, totum qui peruolat Orbem,
Morborum, vt diram pellat ab Orbe necem.
FABRITIVS fecit supero dignissimus Orbe,
Alter vt in supero fiat Apollo Polo.

Franciscus Mastrius Bon.



REstitui viuis cùm nos Pandora videret,
Inq; suum omnigenam Vas reuolare luem,
Subridens Altum sic est affata Tonantem
Mortalisne adeò Mens valet, atq; manus?
Ecce perennat homo; fur est impunè Prometheus
Vnius exigui sola ope FABRITII,
Quid tibi de Cælo prodest tetigisse Nepotem?
Quid tibi Vulcanum me fabricasse iuuat?
Exuperant Populi incolumes Cumasq; Pilumq;
Sana vigorq; intus corpora sanus alit,
Atq; ita Fati alas reprimunt; Letiq; retardant
Correptum antè mori vi rapiente gradum.
Iamq; colit sinè labe Orbem Mundana creatum
Cura sibi, infirmum ludificata tuum.

Ioann. Dominicus Lapius.





DIruta Pyramidum luxit spectacula Memphis,
Ardentem in caeca Nauita nocte Pharon.
Mausolum Cares flevere, Semiramis Arces
Persaeas, nitidum cornigera ara Deum,
Indoluit Regum tellus decora alta potentum,
Et quodcunq; aliud nobile fama canit,
Bartoletum Orbem colat unum fama, canatq;
Dissectum nulla est quem gemitura dies.


Alexander Volta.



HIppocrates valeat, valeatq; subinde Galenus,
Vt viuam, vt vigeam, sat mihi FABRITIVS.

Ioannes Luparus.





IGnem fraude mala subduxit ab axe Prometheus
Prodidit atque Deos, perdidit atque homines,
Illi, ità Pandoram tristi cum vase dederunt,
Omnibus hi miseris deperire malis.
Artem FABRITIVS medicam prece rettulit astris,
Composuitq; Deos, restituitq; homines.
Sic mala fugerunt; Vas fractum; Totaq; donum
Sordet, furto audax Iapetiq; genus.
Bartoleto igitur quis par animoq;, manuq;,
Qui placet ore Deis, qui iuuat arte homines?

Ioannes Ludouicus Mastrius.



IN-

INDEX TRACTATVVM Quæstionum Dogmaticarum, & Imposturarum Hermeticarum.

PHYSIOLOGIÆ.

Impo-

HYGIINAE.

PATHOLOGIAE.


SIMIOTICAE.

Tract.

INDEX TRACTATVVM.

THERAPEVTICAE.

FINIS INDEX TRACT.




Errores eſſentiales ſic corrigito. Excuſabiles excuſato.

pag.	Colum.	Error.	Correctio.
2	1.	adinuenta	adinuentam
21	2.	quo æſtati proximum	proximus
26	1.	arida	acida
32	2.	apprehenſam	apprehenſurā
34	1.	mortis	mortibus
47	2.	coccygo	coccigem
61	2.	vna	vnam
73	1.	organi	organo
90	1.	nos	nobis
108	2.	deſeruienda	deſeruientis
129	2.	manum	manu
213	2.	diuerſam	diuerſum
219	2.	quem	quam
221	2.	ſumpti	ſumpto
223	2.	eſt	ſunt
		explodebis	explodes



ENCYCLOPAEDIA
HERMETICO MEDICA.
IN QVINQVE PARTES DIVISA,
Physiologiam, Pathologiam, Simioticam, Hygÿnam, & Therapeuticam.



PRIMA PARS PHYSIOLOGICA.

Diuisio totius Medicinæ.
Cap. I.



DOCVIT Aristot. 1. poster. cap. 1. tex. 2. tria esse præcognoscenda, subiectum principium, & passionem. Idcirco antequam ad res medicas in specie deueniamus, tria in vniuersali sunt præcognoscenda; Subiectum Medicinæ, principiũ & passiones: Enimverò, quoniã hæc tria præcognita cognoscere haud aliquis potest, nisi prius Medicinæ partes, ex quibus integratur, cognouerit, propterea in partes prius est diuidẽda.

Præcognita Medicinæ.

Diuisio toti⁹ Medicinæ.

Vniuersa Medicina in quinque partes disclusa est. prima dicitur Physiologicл. i. Naturalis.

Secunda dicitur Hygijnл i. Sanitatem tuens.

Tertia dicitur Pathologicл. i. præter naturam.

Quarta dicitur Smioticл. i. Signa tradens.

Quinta Therapeuticл. i. medẽdi.

Verũ non credat aliquis, quòd sicut partes sunt quinque, ita reducantur ad quinque methodos: nam, vt in posterioristicis dictum est, tres tantum in doctrina Aristotelis sunt methodi, Ἀναλυτικὴ. i. resolutiua; ὁριστικὴ. i. definitiua; ἐπιδεικτικὴ. i. demonstratiua;

quarum pars Physiologica, Simiotica sub methodo resolutiua continentur: pars Pathologica sub definitiua: pars Therapeutica, & tuendæ sanitatis sub demonstratiua methodo militant.

Physiologica continetur sub methodo resolutiua.

Physiologicam, & Simioticam contineri sub resolutiua methodo patet: Et primò quidem de Physiologica probatur: Hæc enim est Anatomica, quę perpendet,

1. Elementa.
2. Humores.
3. Partes.
4. Facultates.
5. Actiones.
6. Spiritus.

Anatomica est methodus resolutiua.

Anatomicam autem esse methodum resolutiuam patet: Nam methodus resolutiua ex Aristotele, 2. poster. cap. 17. est Syllogismus procedens à posteriori noto ad prius ignotum, cuius duę sunt species, Inductio, quæ procedit per sensum, & Enthymema, quod procedit à signo. Methodus autem Anatomica definitur, esse hominis scientiã à Medico sectione, actione, & vlu adinuenta: Cuius hominis, quæ nota sunt secundum nos, & inductione, sunt substantia membri, proprietas substantiæ, vt os in esse ossis; quæ consequuntur primas qualitates, vt

Quæ sunt nota secũdũ nos.

Durities.
Mollities.
Asperitas.
Lenitas.
Lentor.
Friabilitas.
Crassitudo.
Tenuitas.
Leuitas.
Grauitas.
Densitas.
Raritas.
Sapores.
Odores.
Et Colores.

& quæ accidunt; Conformatio, quę diuiditur in cauitates & meatus.

Magnitudo.
Numerus.
Et Situs.

Hæc enim, quia sensibilia, & nota secundum nos, ideo sensu & inductione, ex sectione cognoscuntur, quę est prima species methodi resolutiuæ.

Nota secũdum naturã.

Quę verò nota sunt secundum naturam, sunt

Temperies.
Facultas.
Spiritus.

quæ per actionem cognoscuntur: Humores per visum, Elementa verò per suas qualitates, & consequenter à signo; quæ est secunda species methodi resolutiuæ. Ad hæc etiam reducitur proprietas compositionis, quę ad actionem organicam conducit, & per consequens actione organica dignoscitur. Ex quo patet, partem Physiologicam ad methodum resolutiuam reduci.

Simiotica quomodo ad resolutiuã reducatur.

Simiotica pars ad resolutiuam quoque reducitur, quia per signa procedit, tum demonstratiua quę insolubilia dicuntur; tum probabilia, quæ solubilia nominantur; Quamobrem hæ duæ partes, Physiologica, & Simiotica ad methodum resolutiuam referuntur.

Pathologiam sub methodo de-

Pathologia sub methodo definitiua continetur.

finitiua contineri, luce clarius apparet: Nam ex 2. poster. Aristotele. Definitio, vel est principium demonstrationis, vel finis, vel à demonstratione solo positu differens. At Pathologia, quæ morbos, causas, & symptomata speculatur, incipit à definitione morborũ vniuersalium, particularium, internorum, externorum, a quorum definitione procedit ad causas; a causis ad differentias; à differentijs ad signa: à definitione ad causas, ecce definitionis ad demonstrationem relatio: à causis ad signa, ecce finem, & conclusionem demonstrationis: In definitione morborum continentur causæ, & differentię: ecce definitionem solo terminorum positu a demonstratione differentem. Pathologia ergo sub definitiua methodo continetur.

Therapeutica sub methodo demonstratiua continetur.

Therapeuticam sub methodo demonstratiua contineri, clarum est, quoniam in demonstratione fit processus illatiuus a causa ad effectum: In methodo autem medendi fit processus illatiuus, quæ *indicatio* dicitur, ab indicante noto secũdum intellectum ad ipsum indicatum ignotum, ceu ad effectum; propterea methodus medendi *sub ratione finis interni*, methodo demonstratiuę maritatur.

Hygieina sub demõstratiua quoque methodo continetur.

Pars tuendæ sanitatis & ipsa ad demõstratiuam reducitur; Nã cum hæc pars sanitatem præsentem tueatur, & quo minus in res præter naturam labatur, corpus præcaueat, illud nequaquam præcauere potest, nisi cognoscat omnes illas causas, quæ sanitatem lædere possunt; procedere autem in sui conseruatione ex causarum cognitione, est procedere aliquo modo per demonstrationem. Quanquam ergo quinque sint medicinę partes eam integrantes, ad tres tamen methodos reducũtur; Phyfiologica quidem, & Simiotica ad resolutiuam: Pathologica ad definitiuam: Therapeutica & pars tuendæ sanitatis ad demonstratiuam.

De tribus præcognitis Medicinæ. Caput II.

Quæ methodo præcognita medicinæ elicianturr.

VT ordine, & methodo Medicinæ pręcognita elicianter, *principium*, videlicet, *subiectum*, & *passio*, operæ precium fore existimo, si Medicinæ definitionem stabiliamus: Cùm enim definitio contineat principium tanquam specificam differentiam, & subiectum; à subiecto autẽ, & differentia, passio propria proficiscatur; ideo, cognita essentiali Medicinæ definitione, statim, quòd, & quotuplex sit Medicinæ principium, & eius propria passio, patebit.

Exorsus igitur à definitione, cum ex Aristotele vnius rei vnica tantum sit vniuoca definitio; Medicina autem sit vna scientia, propterea subitò difficultatem habet quòd plures Medicinæ definitiones circumferantur; tres enim communiter afferuntur.

Prima est, lib de flat. Hipp. nimirum Medicina est adiectio, & subtractio.

Secunda est Herophili definiẽtis, medicinam esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum.

Tertia communis est, Medicina est ars ad humani corporis sanitatem tuendam, agritudinem abigendam, comparata.

Quamobrem tribus existentibus Medicinę finitionibus, duo videnda sunt, primùm, an conueniant, vel discrepent; Secundum, quę constet ex proximo sibi genere, proximaque differentia.

Definitio Hippo. non recipitur. Prima Hipp. definitio, est potius descriptio; definitio. n. habet constare ex genere, & differentia propria cõstitutiua: In hac autem deest genus, cum dicatur tantum *adiectio, & ablatio*; vel differentia ponitur loco subiecti, quod est inconueniens: differentia autem est remota, non proxima; ideo nec specifica: dicitur enim adiectio, & ablatio, quæ de pluribus differẽtibus specie prædicatur; Nam & faber lignarius adijcit lignum ligno & a ligno nodum separat, tamen nõ est medicus: propterea tametsi medicus superuacanea subtrahat, & diminuta adijciat, cum ad conseruationem, tum ad curationem, tamen adijcere, abijcere, non est specifica differentia, quæ medicinam in esse medicinę constituat, vnde potius descriptio, quàm vera definitio censenda est.

Cõmunio definitio reijcitur. Secunda definitio communis, quę fuit, Medicinam esse artem ad humani corporis sanitatem tuendam, & ægritudinem abigendam, comparatam, in eo potissimum peccat, quoniam particulæ pro differentia positæ, non æqualiter conuertuntur cum Medicinæ subiecto; Nam præter ęgritudinem, & sanitatem, est quid medium inter illa, quod sub medicam considerationem cadit: Idcirco cũ per hanc definitionem subiectum artis non adęquet sibi omnia, quæ in arte sunt, insufficienter videtur assignata.

Tertia, igitur ab Herophilo proposita sufficiens est, *Medicina est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum*.

Quomodo ars, & scientia conueniat, & discrepet. Genus definitionis est cum dicatur *Scientia*; Nam scientia, & ars possunt dupliciter considerari; vno modo *formaliter*, alio modo *finaliter*: Si considerentur formaliter, quatenus dicũt aggregatum in anima ex pluribus habitibus, ars, & scientia non distinguũtur, & hac ratione medicina scientia dicitur; si finaliter accipiãtur, tunc differunt ars & scientia, finis enim scientię est simpliciter intellectualis; finis autem artis est operarius; Et hoc pacto Medicina dicitur ars: Qua distinctione soluũtur omnia, quæ in hac materia contingunt fieri argumenta.

Differẽtia specifica huius definitionis, sunt quę subiungũtur particulæ *Salubrium, insalubriũ, & neutrorum*: Ideo videndum, quę, & quot sint hæc salubria, insalubria, & neutra.

Quid sint salubre, insalubre, & neutrũ. Quo ad primum quid sint; dico esse *Qualitates* de secunda specie qualitatis potentiã, & impotẽtiam naturalẽ: Salubre enim dicitur, quod secũdum potentiam naturalem sanum est, sanitatem causat, & sanitatem ostendit: Insalubre,

bre, quod secundum impotentiam sibi naturalem, morbidũ est, morbum causat, & morbum ostendit. Neutrum est, quod inter potentiam, & impotentiam naturalem, medium est, vel per negationem, vel per participationem, eodem tẽpore, vel sub diuersis tẽporibus.

Quot sint salubre, insalubre & neutrũ. Hinc est quod salubria, insalubria, & neutra tripliciter sic dicuntur, vel sub ratione *corporis*, vel sub ratione *causa*, vel sub ratione *signi*.

De Corpore Salubri.

Quot modis dicatur. Corpus salubre. Corpus salubre tribus modis dicitur: Salubre *simpliciter*, *secundum tempus præsens & vt plurimum*.

Corpus salubre *simpliciter* illud est, quod absolute temperatũ, & optime compositũ est; temperatũ quidẽ ex perfecta mixtione elemẽtorum; compositũ autem ex perfecta mixtione partium similarium.

Corpus salubre *ad præsẽs*, illud est, quod in tempore pręsenti sanũ est, quatenus pro eo tempore bene temperatum, & cõpositum est.

Corpus salubre *vt plurimum*, est, quod vt plurimum sanum, & firmum viuit.

De Corpore Insalubri.

Quot modis corpus insalubre. Corpus autem insalubre pariter tribus modis appellatur, Insalubre, *simpliciter* quod in eius ortu partes ita malè temperatas, malèq; conformatas obtinuit, vt semper infirmum, & ęgrũ existat.

Corpus insalubre *ad tempus præsens* est, quod sub aliqua temporis intercapedine malè temperatum, vel compositum est.

Corpus insalubre *vt plurimum* est, quod, vt plurimum, infirmũ est.

De Corpore Neutro.

Quot modis corpus neutrũ. Corpus neutrum tripliciter dicitur, vel *negationem extremorum*, vel *per participationem extremorum*, sub *eodem tempore*, vel sub *diuerso*.

Corpus neutrum, idest, mediũ per *abnegationem extremorũ*, illud est, quod neutrius extremorũ est particeps, & æqualiter a statu salubri, & insalubri distat, vt corpus senum, quod nec salubre simpliciter, nec insalubre simpliciter est, & tamen est medium per abnegationem extremorum.

Corpus neutrum, idest, mediũ per *extremorũ participationem*, illud dicitur, quod contrariorum affectuum est particeps, vel secundum vnam partem, vel secundum diuersam: Secũdum vnam, vt si tunica ventriculi *interior* sit temperata, *exterior* verò eiusdem ventriculi sit intemperata: Secundum diuersam, vt si quis ventriculum vndeqnaq; temperatum habeat, cerebrum autem intemperatũ, & non rectè compositum, potitus sit.

Corpus neutrum sub *diuerso tempore* est, si aliquod corpus sit salubre in vere, insalubre verò in æstate.

Dubiũ maximũ de neutralitate. Sed circa hanc neutralitatem, cũ per negationem extremorum, tum per participationẽ extremorum, oritur difficultas, quę sui radicem habet in doctrina, cap. de opp. in post prędic. Arist. dicebat enim ibi Aristoteles, illa contraria,

ria, vtiq; medium habere, quorum alterum de necessitate non inest, sicut inter corpus album & nigrũ datur medium corpus rubium, quia album, vel nigrum de necessitate corpori non inest, verùm inter extrema subiungebat, quorum alterum de necessitate inest, nullũ datur medium, v.g. inter sanum, & ægrum: non potest dari medium, quia necessariò corpus, vel sanum, vel ægrum est; igitur si propter rationem Aristotelis non datur medium inter ægrum & sanũ, ergo inter corpus salubre, & insalubre non dabitur corpus neutrũ siue per negationem, siue per participationem extremorum.

Solutio difficultatis. Difficultas hæc, tametsi difficilis, dirimetur tamẽ hac distinctione, quando alterum de necessitate inest, subiecto susceptibili, inter contraria non datur medium, vt hæc propositio verificetur, requiritur, vt extrema consistãt *in Indiuisibili citra latitudinem*; hoc enim pacto, inter par, & impar nullum datur medium; quia hęc duo extrema, par & impar, consistunt in extremitate indiuisibili; par enim, & impar, vt sic nullam habent latitudinem, sed illud consistit in indiuisibili æqualitatis: hoc autem in indiuisibili inæqualitatis: Enim verò sanitas, & ægritudo, quanquam sint contraria extrema, quorum alterum de necessitate inest subiecto corpori susceptibili, attamen sanitas, & ęgritudo non consistunt in extremitate indiuisibili; sanitas enim, & ęgritudo habent latitudinem, secundum quam licet corpus ab extrema illa ęquabilitate salubritatis, & insalubritatis discedere, ita, vt nec simpliciter salubre, nec simpliciter insalubre sit, sed medio quodam modo se habeat, intra latitudinem sanitatis, & ægritudinis. Vnde hic obseruãdum, corpus neutrum per abnegationem extremorum non præcisè sic sumi debere, sicut lapis inter cæcum, & videns, qui nec cæcus est, nec videns; Non equidem, quia, etsi corpus neutrum non participet extremitates salutis, & ęgritudinis, participat tamen earum latitudines; ideo potest appellari neutrũ per negationem extremorum, & neutrum per participationem latitudinũ: Quare dari corpus hoc neutrum, & ratio, & experientia docet, nec locus Aristotelis nobis officit.

De causa salubri, insalubri, & neutra.

Quot modis dicatur causa salubris. POST corpus sequitur, Causa, quę primum salubris est simpliciter, quatenus vel sub ratione optimi temperamenti, vel sub ratione instrumenti firmiter constituti, sanitatem simpliciter causat.

Quot modis causa insalubris. Causa insalubris simpliciter est, quæ vel sub ratione intemperamenti, vel organi infirmiter cõstituti, ægritudinem simpliciter causat.

Causa neutra est, quæ nec salubritatem, nec insalubritatem simpliciter causat, sed mediam quandam entitatem inter perfectam sanitatem, & ægritudinem.

De signo salubri, insalubri, & neutro.

Quot modis signum salubre. Signum salubre simpliciter est, quod sanitatem præsentem simpliciter indicat, futurum prædicit, & præteritam recolit.

Insalubre. Signum insalubre simpliciter est, quod ægritudinem præsentem simpliciter indicat, futuram minatur, & præteritam reuocat.

Neutrum. Signum neutrum est illud, quod non magis salubrem, quàm insalubrem, partem salubrem, & insalubrem, aliquando salubrē, aliquando insalubrem ostendit, prædicit, & recolit.

His ita stantibus, cum sub his tribus particulis salubrium, insalubrium, & neutrorum ea omnia contineantur, quæ in scientia medica considerantur, idcirco iure merito hæc censenda est optima definitio.

Ex qua tandem elucescunt tria medicinæ præcognita: Nam *corpus humanum, quatenus salubre, insalubre, & neutrum*, est *subiectum adæquatum*, quod sibi adęquat omnia, quæ in hac scientia expenduntur. *Subiectum adæquatū Medicinæ.*

Quæ sint passiones Medicinę. Passiones, quæ a subiecto hoc corpore elicitiuo emanant, sunt tres, *Salubritas, insalubritas, & neutralitas*, quod est secundum præcognitum.

Quot, & quę sint principia huius scientiæ. Principium huius scientiæ duplex hinc oritur; Primum respicit salubritatem, & est; *Similia similibus conseruari.* Secundum respicit insalubritatem, estque; *Contraria contrarijs auferri.* Tertiū axioma non datur, quod neutralitatem respiciat, quod enim est neutrum, pro ea parte, qua salubritatem aspicit, est conseruandum; & pro ea, qua insalubritatem, auferendum: Ex quo vnum est subiectum, tres sunt passiones, & duo sunt principia.

Quibus ita præcognitis, ad primam medicinæ partem est deueniendum, Physiologiam dictam, circa quam de elementis prius pertractandum est.

DE ELEMENTIS.

Quid nominis Elementi. Cap. I.

IVxta primam pręcognitionem videndum est, quid significet nomen Elementi. Tria sunt, quæ idem videntur significare, *Elementum, principium, & causa*, vt colligitur ex 1. Phys. Aristotele; differunt tamen hac ratione, quia Elementa sunt corpora simplicia, quę ex alijs prioribus fiunt: principia verò sunt prima ante elementa, quę idcirco, neque ex alijs, neque ex seipsis fiunt, vt colligitur ex Aristotele, suntque materia, forma, & priuatio; Differunt autem, principium, & causa, quia non conuertuntur; omnis enim causa est principium, non omne tamen principium est causa; Etenim conditio causæ necessaria est, quòd sit alicuius *rei effectiua*; non omne tamen principium est semper alicuius effectus productiuū, velut principium alicuius vici, quod non est causa. Sic ergo differunt elementum, principium, & cau- *Quomodo differant Elementa & principia.* *Quomodo differãt principium, & causa.*

causa; quia elementum est post principium immediatè, & ex principio constat: principium verò est ante elementum, quod ex nullo alio priori fit. Causa tandem differt a principio, eò quia addit supra principium esse rei effectiuũ.

Et hic obserua, Philosophum, & medicum discriminari; Nam Philosophus a principijs rerum naturalium exorditur: medicus autem, non a principijs, sed ab elementis; ratio est, quia philosophi elementorum constitutionem ex principijs demonstrant; Medici autem, supponentes elementa, ex principijs constituta, sanitatem, ex eorum elementorum temperie, demonstrant; In legitima enim qualitatum elemẽtarium permixtione consistit formaliter sanitas corporis, vt fusius videbitis.

In quonã Medicus, et Philosophus differant.

An sint Elementa. Cap. II.

Circa secundam cognitionem elementorum, videndum est, num elementa sint, quod est quærere tria: Primum, an elementa sint necessaria. Secundum, an corpora simplicia sint vniuocè elementa, an potius analogicè.

Tertium, an prꝫter quatuor elementa, cætera corpora simplicia sint elementa.

Quomodo elementa sint necessaria.

Quo ad primum distinguendũ, aliud esse loqui de generatione, aliud verò de mixtione: Si loquamur de generatione, dico elementa non esse per se primò necessaria generationi, & corruptioni: Sola enim materia, forma, ac priuatio sunt per se primo generationi, & corruptioni simpliciter necessaria. Verùm si loquamur de mixtione, dico elementa ad corporum mixtionem esse necessaria; Et ratio est, quia mixtio est miscibilium alteratorum vnio ex libr. de gen. & corr. Aristotele: Idcirco, cum quæ debent misceri, debeant alterari, materia autem, forma, & priuatio nequeant alterari, cum non sint calida, frigida, humida, & sicca, propterea ad hãc mixtionem necessario requiruntur elementa.

Quo ad secundum sciendum, nomen elementi significare quid simplicissimum; id autem quod est simplex, non ex alijs componitur; idcirco sola prima principia, materia, forma, & priuatio, sunt simplicissima, quoniam non componuntur ex alijs, & ideo ipsa propriè, & vniuocè dicenda sunt elementa: quare ignis, aer, terra, & aqua dicuntur elementa non vniuocè, quia hæc componuntur ex prioribus principijs, sed tantum *analogicè* respectu principiorum, & respectiuè ad cætera corpora mixta, quibus simpliciora sunt, cum cętera ex ijs coalescant; quatuor igitur elementa dicũtur corpora simplicia, non absolutè, sed respectiuè; non vniuocè, sed analogicè.

Corpora simplicia non sunt, nisi analogicè.

Quo ad tertium, notandum, quòd tametsi cælum sit in doctrina Auerrhois corpus simplex; similiter, quamquam materia, forma, & priuatio sint entia simplicia; quatuorq; humores, sanguis, bilis, pituita, & melancholia sint

ex

ex sui natura simplices; pariterq; partes similares sint simplices, hęc tamen non possunt, nisi impropriè dici elementa; & ratio est, quia elementa propriè sunt ea, quæ per se primò alterantur, vt mixtum efficiant; ex quo cælum, cum sit inalterabile, ideo non est elementum; Similiter prima principia sunt equidem transmutabilia, sed non sunt alterabilia; Humores verò, & partes similares, eatenus alterantur, quatenus ex elementis cōstituuntur; propterea sola quatuor vocata elementa sunt propriè elementa. Hæc de existentia elementorum.

Quomodo sola quatuor Elementa sint solum Elementum.

Quid sit Elementum. Cap. III.

SEx quæruntur circa ipsum quid est Elementi.

Primum, est definitio nominalis Elementi.

Secundum, est definitio essentialis.

Tertium, est de simplicitate Elementi.

Quartum, est de materialitate Elementi.

Quintum, est de formalitate Elementi.

Sextum, est de numero Elementorum.

De notione Elementi.

CIrca primum est sciendum; Elementum quadrupliciter vsurpari. Primo quidem dicitur Elementum id, quod est primum *in compositione* alicuius, & vltimū in eius resolutione; vt literæ, quę dicuntur dictionum Elementa, quia dictiones primò ex literis cōponuntur, & in literas resoluuntur: Sed impropriè vocantur Elementa, quia non diuiduntur in partes eiusdem speciei. Secundo, dicitur Elementum, quod est primum in *situ*, vt linea, quæ est prima in situ corporis, sed impropriè dicitur Elementum. Tertio, dicitur Elemētum id quod secundum suam virtutem *influit*, vt cælum, quod respectu horum inferiorum dicitur Elementum, sed impropriè, quia non ingreditur secundum sui substantiam compositionem rerum. Quarto, Elementum illud est maximè proprium, quod nedum est primum in ordine, & in situ, verum etiam cum cæteris simul corpus mixtum *intrinsecè* constituit; quamobrem nomine Elementi intelligimus ea corpora simplicia, quæ simul concurrunt ad mixtum formandum.

Quot modis vox elementi accipiatur.

Definitio essentialis Elementi.

VT veram Elementi definitionem eligamus, sciendum, quinque esse conditiones elementi necessarias. Prima est quod sit *causa ex qua*. Secunda, quod sit *prima causa ex qua*: nam æs est causa, ex qua fit statua, sed non est prima. Quòd sit *inexistens intrinsecè* ad differentiam priuationis, quæ non existit post formæ introductionē. Quarta, vt sit *species indiuisibilis in aliam speciem*, ad differentiam formæ, & materiæ, quæ non species sunt, sed partes speciei.

Conditiones Elementi.

Quinta vt *cõstituat mixtum* qualitatibus tangibilibus primò insignitum, v.g. quod mixtum sit calidum propter ignem cui primò, & per se inest caliditas Hæ sunt conditiones necessariò ad elementum requisitæ.

Quibus intellectis, facile est, elementi definitionem elicere, quę sic potest depromi: Elementũ est *corpus simplex, ex quo inexistente fit mixtum propria tangibili qualitate primò præditum*; vel cum Auicenna sic, & melius definire possumus: *Elementa sunt corpora simplicia, & sunt partes primæ corporis humani, quæ in partes diuersæ speciei diuidi non possunt, ex quorum mixtione species generatorum diuersæ fiunt.*

Prima definitio Elemẽti.

Secũda.

Dicuntur *corpora* ad differentiam materiæ & formæ; dicuntur, *simplicia*, ad differentiam compositorum; dicuntur, *partes*, ad differentiam humorum; dicũtur, *prima*, ad differentiam partium similarium; dicuntur, *corporis*, vt mixtum connotetur; dicuntur, *humani*, vt subiectum Medicinæ constituatur; dicuntur, *species indiuisibiles*, ad differentiam mixtorum, quæ in diuersas partes diuidi queunt; dicuntur, *generare diuersas generatorum species*, vt diuersę materię dispositiones connotentur, & consequenter diuersæ formæ, ex quibus diuersæ mixtorum species; propterea hæc est integra definitio elementi quidditatiua. Ex qua apparet, definitionem elementi non esse analogam his, quæ primò obtutu videntur elementa, vt semen, sanguis, materia, & forma, non enim hæc omnes has conditiones simul collectas habent.

De simplicitate Elementi.

Circa simplicem elementorum substantiam, obseruandum, non implicare, elementa esse *simplicia*, & *composita*; esse composita & impermixta sub diuersa ratione; sunt simplicia, quia sunt impermixta: sunt verò impermixta, quia sunt composita, quod est dicere, elementa quidem sunt composita ex actuali, & potẽtiali, idest, ex materia, & forma; sunt tamen simplicia, & impermixta, quia non ex alijs prioribus compositis fiunt ad differentiam mixtorum, quę dicuntur propriè composita, quoniã ex compositis fiunt: Elementa verò dicuntur simplicia, quia fiunt ex simplicibus; Nam mixta componuntur ex elementis, quæ sunt composita, elementa verò componuntur ex materia, & forma, quæ sunt simplicia.

Qua ratione Elementa dicatur composita, & simplicia.

De materialitate Elementi.

Cvm elementa constẽt ex materia, & forma, vt superius dictum, nunc videndum, quæ sit eorum materia, & quę eorum forma.

Circa materiam elementarem, sunt aliqui, qui putant, elementa constare ex materia peculiari ali qua conditione *signata*, itaut eorũ materia, nedum numero, sed etiam specie differat à materia aliorum. Sed hæc opinio est falsa; Etenim vnica tãtum est materia omnibus sub-

Materia Elementi qua ratione signata dici possit.

sublunaribus communis, ideo materia elemẽtorum differt quidem *numero*, sed *non specie*, a materia aliorum: Quòd si per conditionem in materia elemẽtorum signatam intelligant *propriam dispositionẽ*, qua v.g. materia ignis redditur disposita ad susceptionem formæ ignis, non inficior, dummodo elementorum sit eadem specie materia prima, quæ communis est omnibus sublunaribus.

De formalitate Elementi.

QVæritur, quæ sint formæ elementorum. Sunt aliqui, qui protulerunt, primas elementorum qualitates esse eorundem formas, caliditatem ignis, frigiditatem aquæ, siccitatem terræ, humiditatem aeris: Alij dixerunt, grauitatem, & leuitatem esse formam elementorum: Sed & isti, & hi falluntur; accidentia enim nequeunt esse forma, & substantia; primæ autem, & secundæ qualitates sunt accidentia: propterea formæ Elementorum sunt realiter a qualitatibus distinctæ non realitate quidem subiecti, sed essentiæ; quæ formæ cum sint primæ rerum differentiæ, sunt *innominatæ*, & ignotæ, ex quibus formis oriuntur primæ qualitates, quæ respectu mixti efformandi sunt de eius essentia. Ex ijsdem formis elementaribus oriuntur grauitas, & leuitas, quæ respectu constitutionis mundi sunt de illius essentia.

Quæ sint elementorum formæ.

De numero Elementorum.

ELementa sunt quatuor, ignis, terra, aqua, & aer, non plura, nec pauciora. Elementum non potest esse *vnum*, quia homo non sentiret dolorem; nihil enim a seipso patitur; quod vnum Elementum non potest esse *ignis*, quia ignis est summè rarus, neque termino proprio coercetur, sed alieno: Non potuit esse *aqua*, quoniam ea est summè frigida, vnde mixta non vixissent, cum vita in calore consistat: Nô potest esse sola *terra*, quia est opaca, rigida, & dura mixtis efformandis inepta: Tandem non potuit esse *aer*, quia mixta non fuissent visibilia: insuper aer, vt ignis, proprio termino non coercetur: Vnum ergo, qualecunque illud sit, non potuit esse elementum.

Elementorum non est vnum.

Non potuerunt esse *duo*, quia, vel ambo fuissent potentiæ, & sic non potuissent inuicem agere, & pati; vel vnum in potentia superasset alterum, & sic vnum destruxisset aliud, & in sui naturam commutasset; ex quo duo esse non potuerunt.

Non sunt duo.

Non *tria*, quia duo essent extrema, & vnum esset medium; quare duo extrema elementa habuissent symbolum in qualitate actiua & consequenter corrupissent medium.

Non sunt tria.

Sed *quatuor* sunt elementa; Primo, quia quatuor sunt differentiæ loci, ergo quatuor numero elemẽta. Secundo, quatuor sunt qualitates, ergo quatuor elementa. Tertio, quatuor sunt combinationes

elementorum, ergo quatuor Elementa. Quarto, quatuor sunt humores, ergo quatuor elementa, sequitur igitur, quatuor esse elementa.

Qualia sint Elementa. Cap. IV.

CIrca hanc quartam elementorum præcognitionem hæc sunt dilucidanda.

Primum, est de puritate Elementorum.

Secundum, de qualitatibus actiuis, & passiuis.

Tertium, de proprietatibus Elementorum.

Quartum, de symbolestate Elementorum.

Quintum, de ipsorum summitate.

Sextum, de qualitatum Elementarium numero.

De Puritate Elementorum.

Quot modis aliquod purum dicatur.

DVbitatur, an Elementa in sua puritate reperiri possint, ita vt detur vnũ simplex Elementum *cæteris impermixtum*. Dico igitur aliquod esse purum, tribus modis intelligi posse: primò, aliquod erit purum dicendum, si *puram qualitatem* habeat; Et hoc modo elemẽta possunt dici pura, quia vnumquodq; est pura qualitate in summo præditum. Secundo modo, aliquod potest dici purũ, quod *ex sui natura est simplex corpus* cęteris impermixtum, & hac ratione elementa pura sunt, quia ex sui natura vnumquodq; consistit cæteris nõ commixtum Tertio modo aliquid appellabitur purũ, quando in alicuius compositione ita ex se manet, *vt in recto* nominari possit, & hoc modo elementa in animalis compositione pura non remanẽt: Nam v.g. ad emplastrum cõcurrit lac, adeps, pix, resina, quæ vbi sub forma emplastri erunt, nõ amplius resinam, picem, & lac nominabis, quia ibi non existunt pura; ita in corporis compositione, neq; ignẽ, neq, terram, neque aerem, neque aquam in recto appellabis, sed corpus igneum, terreum, &c. Ideoque elementa tertio modo sumpta non sunt censenda pura, sed impura.

Quomodo Elementa pura dicantur.

De qualitatibus actiuis passiuis.

ALiqui in dubium vocant, num elementa duabus qualitatibus prædita, duabus actiuis, & duabus passiuis.

Elemẽtũ duabus est præditũ qualitatibus.

Tenendum in rei veritate, Elemẽta duabus qualitatibus esse insignita, quibus miscibilitatem nanciscũtur, & harum qualitatum altera debet esse *actiua*, altera verò *passiua*, vt elementa in vicem agere, patique possint.

De proprietatibus Elementorum.

CVm proprium sit elementorũ inuicem se miscere pro mixtorum generatione, inuicem autẽ misceantur mediantibus qualitatibus tangibilibus: Idcirco cũ primę qualitates per se primò debeãtur formis elementaribus, iure merito eædem primæ qualitates censendæ sunt elementorum *propria*, mixtis autem *communes*.

Primæ qualitates sunt elemẽtis propria.

De

De symboleitate Elementorum.

QValitates elementares symbolæ sunt.
1. Caliditas ignis, & aeris.
2. Frigiditas aquæ, & terræ.
3. Siccitas ignis, & terræ.
4. Humiditas aeris, & aquæ.

Symbolæ qualitates differũt specie. Quæ symbolæ qualitates differunt *specie*, & ratione, quia sunt diuersatum specierum; vna autem specifica ratio non potest duabus speciebus competere v. g. caliditas ignis, & caliditas aeris sunt duorũ elementorum specie diuersorum, propterea caliditas ignis, & aeris caliditas non possunt conuenire in eadem natura specifica, sed tantum generica.

De summitate Elementorum.

QVæritur, vtrum ambæ qualitates elementorũ sint *in summo gradu* tales. Respondeo breuiter cum B. Thoma, non qualitates omnes in summo esse tales, sed aliquas esse tales in summo, alias autem in remisso, ita vt res sic se habeat.

In quo gradu reperiãtur qualitates in vnoquoque elemento. Ignis est in *summo calidus*, etiã in *summo siccus*, ex Aristotele, quia calor intenditur a sicco, & siccum a calido.

Aer est *calidus, & humidus in remisso*, qnia calor ab humiditate remittitur, & humiditas à caliditate.

Aqua est *frigida in remisso*, & *humida in summo*, quia frigiditas ab humiditate retunditur, & humiditas a frigiditate intenditur.

Terra est *in summo sicca*, & *frigida in remisso*, quia siccitas a frigiditate intenditur, sed frigiditas a siccitate remittitur.

Contra hanc determinationem est vna difficultas, mota a Mercato, & est, si ambę qualitates non essent in summo, sequeretur, quòd elementorũ vnumquodq; in suo loco non consisteret, consequens est falsum, ergo ambę qualitates sunt in summo. Consequẽtia probatur, quia si vnũ elementum non haberet suas qualitates in summo, illud elemẽtum extra proprium locum moueretur, & in eum, cuius qualitatem participaret, statim inuolaret, sicq; nullum elemẽtum in proprio loco consisteret, ergo dicendum est, elementa omnia suas qualitates in summo habere. *Difficultas Mercati.*

Respondeo; elementa, tametsi ambas qualitates in summo nõ habeant, tamen in proprio loco permanent, quia magis gaudent conseruatione sui in proprio loco, quàm augere gradum suę intẽsionis; Insuper elemẽta non mouẽtur extra propriũ locum ad aliud elemẽtum habens symbolam qualitatem, quia etiamsi cõueniãt in vna qualitate, discrepãt tamen in alia; vnde quia nihil sui destructionem molitur, elementa etiamsi qualitates ambas in summo nõ habeãt, non tamen mouentur extra proprium locum, sit exemplum, aer est calidus, & humidus in remisso; Si aer extra propriũ locum moueretur ad ignẽ, vt caliditatẽ in summo adipisceretur, iã humiditas aeris a siccitate ignis aboleretur, & sic aer non perficeretur, sed corrumperetur; Elementa igitur non habent ambas qualitates in sũmo. *Solutio.*

De

De numero qualitatum Elementarium.

HIc tria quæruntur: Primum, an qualitates elementares sint primæ. Secundum, an sint tantum quatuor. Tertium, an duæ sint actiuæ, duæ verò passiuæ. Quantum ad primum, sciendum qualitates esse in duplici discrimine; Aliæ *spirituales* sunt, aliæ *corporales*. Spirituales sunt in anima; vt,

Qualitatum diuisio sufficiens.

Verbum mentis.
Species intelligibiles.
Volitiones, & similes aliæ.

Corporales, quæ subiectantur in corpore concreto, sunt, vt,
Calor.
Frigus.
Lux.
Potentia visiua.
Phantasia.

Quæ corporalis qualitas est duplex:
Realis.
Intentionalis.

Intentionalis consistit in rerum similitudine, vt coloris similitudo in aere, quę species coloris dicitur:
In speculo.
Et in potentijs interioribus.

Realis est, quæ suam realem, & actualem essentiam in subiecto ponitur vt,
Lux.
Lumen.
Color, & similia.

Et hęc qualitas realis corporalis est duplex.
Cælestis.
Sublunaris.

Cælestis est, quæ à corporibus cælestibus emanat, vt,
Lumen.
Influentiæ.
Ens astrale.

Sublunaris est quę prodit a corpore inferiori, vt,
Caliditas.
Frigiditas.
Humiditas.
Siccitas & aliæ.

Qualitas realis cęlestis est duplex; Nam alia est ab ipso, & in ipso, vt lux est à Sole, & in Sole; alia est ab ipso, sed non in ipso, vt lumē quod est a Sole, sed est in aere.

Rursum qualitas realis, corporalis, siue cælestis, siue sublunaris, est duplex: Aliæ enim sunt sensibiles, aliæ insensibiles.

Sensibiles sunt, vt
Lux.
Albedo.
Color.

Insensibiles sunt occultæ simplicium, & mixtorum proprietates.

Qualitates autem sensibiles adhuc subdiuiduntur; Nam alię sunt cum contrarietate, aliæ non, sed per solum motum localem.

Sensibiles per motum localem sunt,
Sonus.
Figura.

Sensibiles cum contrarietate sunt, vt
Odor.
Sapor.
Calor, & similes.

Quæ subdiuiduntur; aliæ namq; tangibiles sunt aliæ perceptibiles.

Tangibiles sunt,
Caliditas.
Frigiditas.

Hu-

Humiditas.
Siccitas.

Perceptibiles sunt, quæ cæteris sensibus percipiuntur, vt,
Sonus.
Sapor.
Color.

His stantibus, quo ad primum quæsitum respondeo, quòd qualitates spirituales sunt omnibus corporalibus priores, cum prioritate perfectionis, tum prioritate causalitatis; Nam causalitas horum sublunarium dependet a causalitate intelligentiarum, quę non sunt corpora.

Secundò respondeo, qualitates cælestes esse priores corporalibus omnibus simplicium, & mixtorum sublunarium, prioritate perfectionis, & causalitatis, quia cælestes sunt causę inferiorum qualitatum.

Tertiò respondeo, qualitates mixtorum esse priores prioritate perfectionis qualitatibus elementaribus, quia qualitates mixti sequuntur nobiliorem formã, quàm elementares qualitates.

Qua ratione elementorum qualitates sint primæ. Quartò dico, qualitates elemẽtorum esse primas respectu qualitatum in mixtis resultantium.

Quoad secundum, & tertium, quatuor numero, & specie esse qualitates primas, superius tactũ est, duas actiuas, & duas passiuas, propter quas elementa inuicem agunt, & patiuntur. Et hæc aphoristicè de elementis, quæ vt ab initio dictum est, eatenus perpenduntur a Medico, quatenus ex ipsorũ mixtione resultat temperies, quæ est ratio quidditatiua partium similarium, ex quibus coalescit corpus humanum quod est subiectum Medicinæ adæquatum.

De tribus substantijs Hermeticis breuis impostura.

HErmetici videntur, præter quatuor elementa, tria quędam principia inter Elementa, & mixta posuisse, propter quorum positionem, Hippocratem, & Galenum, tanquam diminutos, arguunt. Hæc autem tria principia volunt esse tres quasdam elementares substantias, ex quibus mixta fiant: *Sulphur, Mercurium*, & *Salem*, ex quarum perfecta mixtione corpus salubre generatur, & ex earum dissolutione, morborum genera, & species originantur ita Hermeticus posuit; in Paramiro, & in 1. lib. de natura rerum. *Quę sint tres elementares substantiæ.*

Sulphur dicunt esse *substãtiam calidam, & siccam*; quæ corpori formam præstat. Mercurium esse substantiam, qua calor innatus sustentatur, quę vt *humoralis* substantia est, *frigida*, & *humida* censetur; vt aerea est calida, & humida, vt abundanter declaraui in definitione Balsami. Salem esse substantiam *frigidam*, & *siccam*, quæ dat compactionem, & consistentiam cuilibet corpori. Subsistentiam harum trium substantiarum elementarium, ab elementis, & mixtis diuersarum, probant his rationibus. *Quid sulphur. Quid Mercurius. Quid Sal.*

Prima, nullum corpus immediatè fit ex elementis, ergo pręter elementa, ponendæ sunt hæ tres substantiæ secundæ. Probatur antecedens exemplo. Assumatur corpus *Prima Hermeticorum ratio qua probãt tres substã-*

pus animalis, hoc fit ex partibus similaribus; partes autem ex semine; semen autem, non immediatè fit ex elementis, sed ex tribus substantijs, Sale, Sulphure, & Mercurio: Nam semen habet vnde *ardeat*, ecce Sulphur, à quo recipit formam; habet vnde *euaporat*, ecce Mercurium; habet vnde in *cinerem conuertatur*, ecce Salem; Et sic dicendum est de vnaquaque parte; ergo præter elementa ipsa, dantur hę substantiæ elementares, quæ neque mixta sunt, neque elementa.

Secunda ratio. Secundò, vnumquodque corpus ardet, quia est igneum, ergo prout constat ex sulphure: Sulphur enim est substantia ignea: probatur antecedens; quia, quod comburitur, non quatenus ignis est, sed quatenus est igneum, comburitur, ergo præter ignem datur secunda substantia *ignea*, quæ sulphur dicitur. Corpus sublimatur, idest, in aerem conuertitur quia est aereum, ergo pręter aerem datur secunda substantia *aerea*, quæ Mercurius dicitur. Corpus tandem *calcinatur*, idest, incineratur, quia est terreũ, non quatenus terra, ergo præter terram est ponere secũdum aliam substautiam *terream*, quæ Sal dicitur: Igitur pręter quatuor elementa, dantur tres aliæ substantiæ, ex quibus immediatè corpora generantur.

Tertia ratio. Tertio, humores vel tales denominantur à primis, vel à secundis qualitatibus: non a secundis, sed a primis, ergo a tribus substantijs probatur consequentia. Bilis denominatur calida, & sicca, quoniam est ignea; ecce secũdam substantiam sulphur dictam. Melancholia est frigida, & sicca, quia est terrea, ecce secundam substãtiam salem dictam.

Pituita est frigida, & humida, ergo est aquea; ecce secũdam substantiam, Mercurium dictam. Sanguis est calidus, & humidus, quia est aereus, ecce secundam substantiam Mercurium dictam: Mercurius enim ex duplici cõstat substantia elementari, aerea, & aquea; sicque substantiæ secundæ sunt tres numero, & specie distinctę inter se, atque simul à mixtis, & elementis. Propterea ex his substantijs partes mixtas, & humores immediatè fieri autumant.

Verùm enim verò hęc opinio absurda est, cùm illæ tres substantiæ sint mixtę, neq; realiter a mixtis differant, sed tantum modaliter, vt fusius in Theorica medicina tractabimus. Et hæc compendiosè de Elementis. *Breuis impostura confutatio.*

DE TEMPERAMENTIS.

Quid sit. Cap. I.

Temperamenti cognitio ita Medico est necessaria, vt eo ignorato, ratio substantiæ partiũ ignoretur, earumque actio, ex Galeno 1. de loc. aff. cap. 1. quoniam temperamentum est complementum partium, & est *organum principale* respectu *cuiuslibet actionis:* Idcirco de temperamento. *Cognitio temperamenti quam necessaria.*

Quoad nomen, temperamẽtum dici-

Quid nominis temperamenti. dicitur, quod significat *proportionem*, seu concentum, seu harmoniam quandam, vel concordiam, qua vnumquodq; in suo esse naturali consistit, *& personaliter subsistit*.

Definitio essentialis. Quoad rem, definitur, *temperamentum est conueniens mixtio ex quatuor elemẽtis, actionis gratia*.

Hęc definitio bona est, quia cõstat ex genere sibi proximo, & ex *Genus.* differentia specifica. Genus est, quando dicimus esse *cõuenientem mixtionem*; Mixtio enim est genus, quod omnia miscibilia cuiuscumque *Differentia.* speciei continet. Differentia specifica est cũ dicitur, *ex quatuor elementis*, hæc enim particula ita coarctat illam determinatã mixtionem, vt temperamentũ formaliter cõsistat in mixtione determinata quatuor elemẽtorũ: Additur *Proprietas.* *actionis gratia*, vt proprietas temperamenti cõnetetur; Nam edere actionem, est proprietas in secundo modo ipsius tẽperamenti, cum temperamẽtum sit organum principale, quo mediante facultas partis actionem præstat.

Sed vt temperamenti natura optimè innotescat, videndum primò, quid per *quatuor elementa* intelligendum sit. Secundò quomodo temperamentum ad actionem conducat.

Opinio Auicennæ de temperam. Quo ad primum Auicenna existimauit, temperamentum esse *accidẽs*, & esse *quintam qualitatem*; Accidens quidem, quia voluit, illud resultare ex mixtione quatuor tantum qualitatum elemẽtarium, calidi, frigidi, humidi, & sicci; Esse autem quintam qualitatem, quoniam cẽsuit, ex mixtione quatuor qualitatum elementarium, consurgere quandam quintam qualitatẽ, quæ cæteris quatuor corruptis, in mixto superstes existat, naturam aliorum quatuor includens.

Verum hæc opinio est falsa, & primò quidem, temperamentum esse accidens: Nam Galen. scripsit, temperamenta *propriam partium substantiam complere*; quare cũ temperamentũ sit de ratione substantiæ, accidens esse nequit, quia quod est de ratione substantię, non esset substantia, quod implicat, & substantia esset accidens, quod inconuenit; ex porphyr. c. de differ. Quare temperamentum est de ratione substantiæ, & consequẽter temperamẽtum, nedũ consistit in mixtione quatuor tantũ qualitatũ; sic enim esset accidẽs; verùm etiam in mixtione substantiarum elementorum. Temperamentũ ergo cõsistit formaliter in mixtione quatuor elemẽtorum, idest, in permixtione qualitatum, & formarũ elementorum in mixto remanentiũ. Exinde apparet, temperamentum non esse dicẽdum *qualitatem quintam* remanentẽ, cæteris quatuor corruptis, vt aiebat Auicenna; quia si mixtum, dũ resoluitur, in quatuor elementa resoluitur, ex totidem formaliter compositum esse, dicendum est; Alioqui, si talia contraria principia mixto non inessent, neutiquam temperamenti mutatio fieret, neque illi inesset causa morbi, & senij; non est ergo temperamentum quinta qualitas, sed est formaliter mixtio quatuor elementorum determinata,

C sum-

sumptis elementis pro toto aggregato qualitatis, & formæ.

Quo ad secundum attinet, dictū est in definitione, temperamētum esse *organum primarium respectu actionis*: Ex quo videndum est, quid *actio* sit, & qua ratione a temperamento proueniat. *Actio* à Galeno 1. de loc. aff. 1. definitur per id quod *sit motus factiuus ipsius agentis*: Agere enim est motu factiuo aliquid facere.

Quid actio.

Hæc autem actio prouenit a facultate; facultas enim illa est, quæ agit; temperamentum autem est instrumentum *immediatum*, quo facultas agit; Nam cum facultas per se absque parte agere non valeat, idcirco facultas eatenus agit, quatenus subiectatur in parte, & quia ratio partis similaris cōsistit in temperamento; ideo facultas per medium temperamentum operatur: Quamobrem, actio effectiuè a facultate prodit, in genere causę efficientis. Instrumentaliter autem a temperamento; propterea in definitione temperamenti fuit apposita particula, *actionis gratia*. Quid ergo temperamentum sit, dictum est.

Efficiēs actionis.

Organū adæquatum.

De Temperamentorum differentijs. Cap. II.

DEclarato, quid temperamentum sit, nunc dicendum, quotuplex sit. Dico igitur temperamētorum, aliud esse temperatum, aliud verò intemperatum. Temperatum est duplex, temperatum *ad pondus*, & temperatum *ad iustitiam*. Temperatum ad pondus est, illius mixti, in quo elementorum contrariorum *æqua* prorsus portio existit, ita, vt vnum non excedat alterum, sed ęqualiter maneāt frigidum, calidum, humidum, & siccum, quasi in æquilibrio posita; vnde aliqui temperatum hoc *simpliciter* appellant.

Temperatū ad pondus.

Sunt aliqui negantes temperamentum ad pōdus, ea potissimum ratione, quoniam ex Aristotele, 1. cæli, omne mixtum mouetur ad motum elementi prædominantis, ergo si mixtum temperatum ex æqualibus ad pondus daretur, vel nullum haberet motum, vel quiesceret in medio aeris & aquæ, & sic, nec motum naturalē, nec quietem naturalem potiretur.

Ratio negans temperamentū simpliciter.

Sed falluntur isti, quia si in mixtione, substantiæ, & qualitates elementares non pereunt, sed asseruatæ temperamentum constituūt, nil vetat, æqua mole ipsas mixtas temperamentum ad pondus efficere; & ratio est, quia tametsi, tanta non sit eorum actio mutua, vt contrariorum abolitionem moliatur, est tamen tanta, quæ potest contraria æqualia inuicem æqualiter permiscere.

Solutio.

Argumentum autem in contrarium prolatum soluitur, concedēdo, mixti motum, & quietem sequi pensum elementi prædominantis; verùm non implicat, elementa esse temperata ad pondus in mixto, & mixtum habere qualitatem nouam prædominantem, quæ elemētis prius non inerat, sed ex eorum mixtione resultauit, v. g. plumbum ex terra constat, plumbum tamen est grauius terra, ita cicuta est

aqua frigidior, licet ex aqua constet. Quamquam ergo substantię elementorum, & qualitates genuinæ æqualiter ad pondus in mixto sint, ex eorum tamen mixtione oritur secunda quædam qualitas, quæ prius elementis non inerat, cuius prædominantis causa fit, vt mixtum temperatum ad pondus possit, & moueri, & quiescere: datur ergo temperamentum ad pondus, seu temperatum simpliciter.

Temperatum ad iustitiam. Temperatum ad Iustitiam illud est, quod ab illa æquali elementorum mixtione recedit; in eo tamē talis contrariorū *mediocritas* cōsistit, quæ vnicuique animali, ac stirpi necessaria est, ad illius conseruationem, actionemq; obeundam; quod propterea temperatū *in specie* dicitur; & dicitur temperatum ad Iustitiam; Nam sicut Iustitia vnicuiq; suū tribuit, ita natura vnicuiq; suū proprium temperamentum donauit: duplex igitur est temperatum simpliciter, & ad Iustitiam, absolutum, & respectiuum.

Post temperatum sequitur intemperatum, vbi enim mixtum a prędicta mediocritate recedit, intemperatū dicitur, & ab eo, quod prædominatur, denominatur calidum, frigidum, humidum, & siccum intemperatum.

Octo intemperamēta. Octo sunt intemperamenta, quatuor simplicia, & quatuor cōposita. Intemperamētum simplex est, quod in vna tantum qualitate simplici consistit, & sunt quatuor.

Calidum tantum.
Frigidum tantum.
Humidum tantum.
Siccum tantum.

Intemperamentum compositū illud est, quod in excessu duarum qualitatum combinatarum consistit, & est quadruplex.

Calidum, & humidum.
Calidum, & siccum.
Frigidum, & humidum.
Frigidum, & siccum.

Datur simplex intemperatum. Dari autem intemperatum, quod in vna qualitate sit intemperatum, in alia verò temperatū, quod Auerrhoes negauit, probatur.

Quod absque alio fieri potest, seorsim absque illo consistere poterit; sed calidum potest esse absq; sicco, cum possit esse cum humido, & absque humido, cum possit esse cum sicco. Similiter frigidum absque humido, & absque sicco, pariterque humidum absque sicco, & siccum absque humido, ergo dabitur intemperies simplex in vna qualitate, altera non vitiata. Quapropter octo sunt intemperata, quatuor simplicia, & quatuor composita.

De multiplici acceptione calidi, frigidi, humidi, & sicci. Cap. III.

SCiendum est, calidum, frigidū, humidum, & siccum dupliciter accipi posse, vno modo *absolutè*, alio *exuperanter*. Calidum, frigidum, humidum, & siccum absolutè est id, quod est syncerum, & simplex, ideo elementa seorsim accepta dicuntur, illud quidem calidū, illud frigidum, hoc humidū, aliud *Calidū syncerū.*

 siccum;

ficcum; Hæc enim feorfim tantum fimplicibus, ac impermixtis qualitatibus gaudent.

Calidum, frigidum, humidum, & ficcum *per exuperantiam* illud eft, quod ex contrarijs elementis ita mixtum eft, vt vnam, vel duplicem qualitatem excedentem, nec nō exuperantem poffideat, ex quo mixtorum, aliud exuperat in caliditate, aliud in frigiditate, aliud in humiditate, aliud in ficcitate.

Per exuperantiam.

Hoc autem per exuperantiam calidum, frigidum, humidum, & ficcum, eft duplex; aliud enim eft *Abfolutè* tale, aliud verò *fecundum quid*. Abfolutè tale eft id, quod nulla facta ad alterum collatione, refpectu fuæ naturæ per fe calidum, vel frigidum, vel humidum, vel ficcum eft, v.g. Canis citra habitudinem ad formicam, fimpliciter & per fe, refpectu fui, dicitur ficcus.

Exuperantia abfoluta.

Quod verò non per fe tale eft abfolutè, fed *fecundum quid*, illud eft, quod in relatione ad aliud dicitur calidum, vel frigidum, vel humidum, vel ficcum, & eft triplex; aliud enim confiftit in relatione *vnius fpeciei ad alteram fpeciem*, qua leo homine calidior dicitur; Vel in relatione *eiufdem fpeciei ad feipfum*, vt homo adolefcens, qui fene calidior eft; vel in relatione *indiuidui ad indiuiduum fub eadem fpecie:* vt Plato, qui Socrate calidior eft.

Exuperantia fecundū quid quotuplex.

Septem ergo funt acceptiones calidi, frigidi, humidi, & ficci.

Abfolutè.
Per exuperātiam, & hęc duplex.
Abfolutè.
Secundum quid, & hoc triplex:
Speciei ad fpeciem.
Eiufdem fpeciei ad feipfam.
Indiuidui ad Indiuiduum.

De Temperamentis Temporum anni. Cap. IV.

DEclaratis fpeciebus, & differentijs temperamenti in abftracto, tempeftiuum eft, vt ad anni tempora, ætates, ac partes corporis referatur oratio, & primum quidem ad anni tempora, quę funt ver, hyems, æftas, & autumnus, quorum temperamenta non ita facile patent. Notandum tamen eft prius, anni tempora non debere conftitui temperata, facta collatione vnius ad alterum, vt multi faciunt, fed vnumquodque ex fe ipfo debet cōfiderari fine habitudine ad aliud, quod vt elucefcat, incipiamus à vere.

Nonnulli funt, qui conftituunt, *ver calidum, & humidum:* verùm hi decipiuntur, ver enim in fui natura acceptum eft expers omnis qualitatis exceffus; neque enim in vere plus dominatur frigidum, ficut in hyeme, quàm calidum; nec magis calidum, vt in æftate, quàm frigidum: Confimiliter in vere non magis prępolet ficcitas, ficut in æftate, quàm humiditas; Nec magis humiditas, velut in autumno, quàm ficcitas; propterea cum ver careat omni qualitatis exceffu, iure merito *temperatum* haberi debet.

Ver temperatū.

Ver autem temperatum effe, probatur, auct. Hipp. dicentis, *ver faluberrimum* effe, ergo non eft calidum, & humidum, quia aeris tem-

temperies calida, & humida praua est, ad putredinem, ac pestem maximè opportuna, ergo ver est temperatum.

Sed contra hanc determinationem tres ortæ sunt difficultates.

Prima ratio in contrarium. Prima est. Nam Hipp. constituit ver calidum, & humidum.

Secũda. Secunda difficultas est; nam si ver esset temperatum, in eo non fierent morbi; consequens est falsum, ergo antecedens. Assumptum patet ex Hippoc. dicente in vere multos procreari morbos.

Tertia. Tertia difficultas est, initium veris, & illius finis in frigus, & calorem propensus est, ergo ver non est temperatum.

Prima solutio. Prima difficultas soluitur, eo quia Hipp. non considerauerit eo loci ver in sui natura, sed respectiuè ad alia tempora; propterea constituit illud calidum, & humidum: porrò si per se spectetur, temperatum esse, dicere oportet, vt supra.

Secũda. Secunda difficultas tollitur ex eo, quia in vere generantur morbi per accidens, non per se, cum humores noxij in cæteris temporibus coaceruati, veris tempore a centro ad corporis circumferentiam moueantur.

Tertia. Tertia difficultas diluitur, dicẽdo initium veris, quod hyemi proximum est, ad frigus aliquo modo inclinare, sicut eius finem, quo æstati proximum est, ad siccitatem non ita tamen, vt in frigiditate, ac siccitate excedat, sicut hyems, & æstas: propterea fiat, ipsum esse temperatum, sicut balneum tepidum, quod non est in excessu calidum, vel frigidum, sed temperatum. Hæc de vere.

Temperamentũ Aestatis. Aestatis temperamentum calidum, & siccum est.

Autũni. Autumnus in qualitatibus actiuis frigidus non est dicendus, nec calidus, quia modò calore, modò frigore afficit, propterea in oppositione qualitatum actiuarum inæqualis est constituendus; Et hæc est causa cur tam morbifer sit. In qualitatibus passiuis, autumnus est magis siccus, quam humidus.

Hyemis. Hyems ex sui natura est frigida, & humida: Atque tot sunt anni temporum temperamenta.

De temperamentis ætatum iuxta ipsarum numerum.

Cap. V.

VT ætatum temperamenta declarentur, prius earum differentiæ numericæ sunt proponendæ, præmissa ętatis definitione.

Quid ætas. Aetas ergo nil aliud est, quàm vitę spatium, quo constitutio corporis immutatur: cuius ætatis numerus senarius est; sex enim sunt.

Aetatũ numerus.

1. Pueritia.
2. Pubertas.
3. Adolescentia.
4. Iuuentus.
5. Constans.
6. Senectus.

De Pueritia.

Qualis sit Pueritia. PVeritia est ab eo tempore, quo infans in lucem exit, vsque ad xiiij. vel xv. annum; sub qua pueri dicuntur, suntque in-

qua-

Quotuplex. quadruplici discrimine: Nam,

Alij sunt recenter nati.

Alij ad dentitionis tempus accedunt.

Alij sunt medij inter dentitionem & pubertatem.

Alij sunt qui ad pubertatem ipsam accedunt.

Hanc ipsam ætatem puerilem diuidunt in Infantiam, & Pueritiam.

Infantia ad tertium, vel quartum annum protrahitur.

Pueritia incipit a tertio, vel quarto anno, & protrahitur vsque ad decem vel vndecim annos.

Temperamentum pueritiæ.

HÆc ætas calida, & humida est, quia est vicina suæ generationis principijs, quæ sunt semen, & sanguis menstruus.

De Pubertate.

Qualis Pubertas. PVbertas est ætas illa, in qua pueri pubescere incipiunt: incipit ab anno xv. & protrahitur vsque ad xviij.

Temperamentum Pubertatis.

HÆc ætas est temperata.

De Adolescentia.

Qualis adolescentia. ADolescentia est ætas illa, in qua puberes vocem mutare incipiunt: incipit ab anno xviij & extenditur vsque ad xxv.

Temperamentum Adolescentiæ.

HÆc ætas, sicut pubertas, est temperata, ideo Galenus, & Hippoc. sub pubertate adolescentiam comprehendunt.

De Iuuentute.

Qualis iuuentus. IVuentus est ætas, ea, in qua annos pubertatis, & adolescentiæ egredimur, vnde illud Terentianum, ex Ephebis. Incipit ab anno xxv. & fertur vsque ad xxxv.

Temperamentum Iuuentutis.

AEtas ista calida, & sicca est; propterea Iuuenes sunt pueris calidiores, calore mordaci, & acri; siccitas enim est lima caloris. Pueri verò sunt iuuenibus calidiores, calore miti & suaui; quia humiditas est frænum caliditatis.

De Aetate Constanti.

Qualis sit ætas consistens. COnstans ætas, siue subsistens, siue virilis ea est, sub qua corpora non amplius crescunt, & hominis vires decrescere incipiunt. Ab anno xxxv. vsque ad xxxxviiij. sese extendit.

Temperamentum Constantis.

HÆc ætas non absolutè, sed respectiuè ad alias ætates, frigida, & sicca est.

De

De Senectute.

Qualis senectus quotuplex. Senectus est ętas illa, quæ honore dignissima est, estq; triplex;

Prima.

Media.

Postrema.

Senectus prima est ab anno quinquagesimo vsque ad sexagesimum; sub qua ad rempublicam gerendam idonei sunt, & ad negocia ciuilia.

Senectus media est ab anno sexagesimo vsq; ad septuagesimum; sub qua ciuilia negocia obire nequeunt, propter virium imbecillitatem.

Senectus postrema est ab anno septuagesimo vsque ad vitę finem, sub qua senes incuruantur, vnde silicernes appellantur, quasi silices, & lapides, ex quibus sepulchrum eorum concinnandum est, prospiciant.

Temperamentum senectutis.

Huius ætatis temperamentum est frigidum, & siccum; partes enim senum ad instar stipitis arescunt, vnde calore, & humido radicali destitutæ, frigidæ, nec non siccæ redduntur. Et hæc de ætatum numero, ac temperamentis.

De partium temperamentis.
Cap. VI.

Sequuntur partium corporis temperamenta cognitu necessaria, quæ iuxta quatuor qualitates in quadruplici sunt differentia.

Prima Classis est calidarum, *Classis partium calidarum.* suntque,

Spiritus.

Cor.

Sanguis.

Caro simplex.

Iecur.

Lien.

Renes.

Pinguedo; quæ ordinatim in caliditate differunt secundum magis, & minus.

Secunda Classis est frigidarum, *Classis frigidarum.* suntque,

Spinalis medulla.

Cerebrum.

Nerui molles.

Nerui duri.

Ligamentum.

Cartilago.

Os.

Tendo.

Membrana.

Vena.

Arteria; quæ ordinatim in frigiditate differunt secundum magis, & minus.

Tertia Classis est siccarum, *Classis siccarum.* suntque,

Pilus.

Os.

Cartilago.

Chondrosyndesmos, idest, ligamentum cartilagineum.

Ligamentum membranaceũ.

Tendo.

Membrana.

Arteria.

Vena.

Et Nerui duri; quæ ordinatim in siccitate differunt secundum magis, & minus.

Nerui autem molles medij sunt

inter.

inter ficcitatem, & humiditatem, vt cutis.

Classis humidarum. Quarta Classis est humidarum, suntque,

Cerebrum.
Adeps.
Medulla.
Pulmo.
Iecur.
Renes.
Caro simplex.
Cor.
Lien; quæ in humiditate ordinatim differunt secundum magis,& minus.

Harum partium mediam quãdam naturam obtinet cutis,& potissimum hominis cutis,quę *tactus externi* organum censetur, & ea potissimum cutis pars,quæ manus tegit, *vola* dicta, tamquam illa, quæ omnis excessus qualitatis est expers,caliditatis,frigiditatis,humiditatis,& ficcitatis; Ideo ad tẽperamenta dignoscenda,homo inter cætera animalia iudex censendus est,cuius tactu temperamenta partium dijudicat;Etenim quę tactu *molles* deprehẽduntur, hę partes calidę,& humidæ dijudicantur: quę autem tactu *dura*, frigidæ, & siccæ, & prout magis vel minus molles;magisque,vel minus durę; illæ magis,vel minus calidæ,& humidæ; istæ verò magis, vel minus frigidæ, & siccæ. Et hæc de partium temperamento.

Vola manus.

Homo excellit in tactu.

De Temperamentorum cognitione ex secundis qualitatibus. *Cap. VII.*

CVm secũdæ qualitates ex primis oriantur, propterea ex secundis qualitatibus primas arguere possumus,& ex earum mixtione, earum temperamentum; Idcirco de secundis qualitatibus temperamenta indicantibus dicẽdum est. Quæ secundæ qualitates sunt,

Colores.
Odores.
Sapores.
Tactiles qualitates.

De Coloribus.

QVoad colores ipsi quidem ad temperamenti cognitionem conducunt, non omnes tamen, *cutis* enim, & *pilorum color* ad temperamenti corporis cognitionem faciunt:Nam pili,& ea pilli ruffi temperamentum calidum; Nigri melancholicum; cutis alba frigidum; nigra melancholicum indicat temperamentum.Cęterum *colores medicamentorum* eorum temperamenta necessariò non ostendunt; Non enim currit illatio, illud est rubrum, ergo est calidum; nam santali sunt rubri, ac tamen sunt frigidi:Similiter nõ tenet illatio,huiusmodi est album, ergo est frigidum, quoniam Arsenicum est album, non est tamen frigidũ.Colores ergo cutis, & pilorum indicãt corporis temperaturam, medicamentorum autem neutiquam.

Color cutis & pilorum temperamentum indicat.

Medicamentorum color nõ.

De Odoribus.

SEquuntur odores, qui nobis ad temperamentorum dignotionem faciunt, nam quæ odorem emit-

Ex odoribus temperamenti proportio nō diiudicatur.

emittũt, tenuia sunt; & quamquã, ex eorum tenuitate, caliditas aliqua ratione arguatur, caliditatis tamẽ *proportio* dijudicari nequit; & ratio est, quia partes æqualiter non euaporant, sicut partes rei gustabilis æqualiter à lingua percipiuntur: Idcirco odores non multum conducunt ad temperamenta cognoscenda.

De Saporibus.

Tertio loco sapores sunt, qui plurimum faciunt ad temperamentorum cognitionem; qui sapores in triplici sunt differentia: Alij enim temperamentum frigidum indicant, & sunt Sapor

Triplex saporũ differentia.

Adstringens. græc. στύφων.
Acerbus. græc. στρυφνός.
Austerus. græc. αὐστηρός.
Et Acidus. græc. ὀξύς.

Alij sunt qui temperamentum calidum denotant, suntque Sapor,

Salsus. græc. ἁλμυρός.
Amarus.
Acris. græc. δριμύς.

Alij tandem sunt, qui mediocritatem in qualitatibus ostendunt, & hic est sapor Dulcis, gr. γλυκύς.

De Sapore Adstringente.

Sapor adstringens, est genus acerbi, austeri & acidi. Hic sapor

Saporis adstringentis vires.

Refrigerat.
Repellit.
Densat.
Constringit.
Incrassat.
Exiccat.

De Acerbo.

Sapor acerbus est ille, in quo est multum frigus cũ multa siccitate, qualia sunt pyra syluestria, & immatura: sic autẽ generatur hic sapor; Vbi in mixto ita prævalet substantia terrea, vt à calore superari non possit, oritur sapor acerbus, qui formaliter terreus est, frigidus, & siccus. Huius saporis acerbi actiones sunt hæ,

Quid sit acerbus.

Acerbi saporis vires.

Refrigerat.
Siccat.
Adstringit.
Exasperat.

De Austero.

Vbi autem calor, & humor in mixto, nõ ita succumbit, sed substantiæ terreæ aliquali ratione se admiscet, dicitur sapor austerus, qui minus frigidus, & siccus est, & consequenter minus adstringens, & exasperans.

Quid austerus.

Vires.

De Acido.

Qvando autem mixtum plus habuerit, de humiditate, quã de terrea siccitate, calorq; in humore coctionẽ inceperit, sed ante finẽ coctionis exhalauerit, itaut calore exhalato, frigiditas vincẽs in humore semicocto permanserit, tunc gignitur sapor acidus, qui frigidus est cum vestigio tamen exhalatę caliditatis, & humidus, propterea eius actiones sunt; ratione humiditatis, cum tenuis sit, in profundum penetrat, nec in superficie hæret, non siccat, nec exasperat:

Quid acidus.

D Simi-

Similiter cùm caliditatis vestigiū redoleat, sitq; partium mediocriter tenuium, ideo, quæ arida sunt, in centrum subeunt.

Vires.

Incidunt.
Attenuant.
Abstergunt.

Ratione autem frigiditatis præpollentis,

Refrigerant.
Corroborant.
Repellunt, sed moderatè.

Sapor ergo adstringens, acerbus, austerus, & acidus, frigidi temperamenti sunt, quorum acerbus, & austerus in terrea substantia fundantur, frigidi, & sicci: Acidus autem in humida, præ valente frigiditate terrea à calore tamen exhalante aliquatenus attenuata; Ideo acidus est temperamenti frigidi, & humidi prædominantis cū portione aliqua caliditatis; Hinc est, quod succus limonum, arātiorum acidus, oleum chalcanthi, & similia, sicut & succus acetosę, preter id, quod moderatè adstringunt, etiam aperiunt.

Post sapores temperamenti frigidi, sequuntur sapores temperamenti calidi, qui sunt,

Salsus.
Amarus.
Acris.

De sapore Salso.

Quid Salsedo. SAlsedo est calida, & sicca cum portione tamen humoris concocti, est gustui familiaris, cuius actiones sunt,

Vires.

Acuere gustum.
Detergere.
Siccare.
Conseruare.

De Amaro.

Quid amarus. VEruntamen, vbi humiditas à calore tota exhausta fuerit, oritur amaritudo, cuius temperamentum est calidum, & siccum vehementer; hinc amara, quatenus amara, nō nutriunt, quia omni carent humiditate radicali, huius actiones sunt,

Vires.

Attenuandi.
Incidendi.
Abstergendi.

De Acri.

Quid acris. TAndem, si calor in mixti humiditatem, & siccitatem ita agat, vt vi caloris vtraque pars, & humida, & sicca efferuescat, oritur sapor acris, cuius actiones sunt, *Vires.*

Calefacere.
Siccare.
Dilatare.
Mordicare.
Et Erodere.

Et hæc de saporibus temperamenti calidi, & sicci.

De sapore Dulci.

Quid dulcis. SApor dulcis, qui inter iam dictos temperatus est, generatur, quando calor humidum cum sicco concinnè miscet; propterea ad temperiem humanam propius accedit; Dulcia sunt mediocriter calida; *Vires.*

Coquunt.
Humectant.

La-

Laxant.
Emolliunt.
Rarefaciunt.

Et hæc de saporum temperamentis.

De Tactilium qualitatum temperamentis.

QValitates Tactiles sunt.
Durities.
Mollities.
Lentor.
Friabilitas.
Leuitas.
Grauitas.
Densitas.
Raritas.
Asperitas.
Lenitas.
Crassitudo.
Tenuitas.

Tactiles qualitates non necessariò temperamentum arguunt. Quæ qualitates tactiles, non omnes necessariò temperamẽtum ostendunt: Nam est quidem illatio per se; hoc est siccum, ergo est durum, sed non conuertitur; hoc est durum, ergo est siccum: Nam multa dura dantur, quæ non sunt sicca, vt glacies a frigore concreta, dura est, non tamen sicca.

Consimiliter est propositio per se, quod est humidũ, illud est molle, sed non conuertitur; est molle, ergo est humidum; cera enim mollis est, tamen non est humida Pariter de cæteris qualitatibus actiuis censendum est, vt est videre apud Galenum de temperamẽtis Et hæc de temperamentis sufficiant.

Contra Dogmaticorum temperamentum breuis impostura Hermetica.

HErmetici, qui sicut maligni sunt, ita vafri nugationes committunt, nituntur dogmaticorum temperamentum de medio tollere, vt lib. 1. *in Paramiro de origine morborum* ex substantijs colligi potest: Idcirco necessarium fore existimo, quòd Tyrones eorũ argumenta futilia cognoscant, vt Hermeticas fraudes euitare possint.

Primũ argumẽtum temperamẽtum destruens. Primum est; vita illud largitur, quod temperamentum vocãt, sed vita, & quod vitę cohæret, medico neutiquam subiectum est, ergo tẽperamentorũ consideratio ad medicum non spectat. Maior, quam quam ab eis non declaretur, tamẽ sic forsan ex eorum sententia declarari potest, quod scil. vita, in tertio sensu accepta, sit temperamenti causa; Vita enim tripliciter accipitur; vno modo penes tres viscerum principalium facultates, vt colligitur ex Galeno 5. meth. cap. 3. Secundo modo penes actiones, & vsus partium. Tertio modo accipitur vt subiectum vitæ. In tertio ergo sensu protulerũt Hermetici, vitam esse temperamenti causam: Subiectum enim vitæ, quę est pars ipsa similaris, genuina facultate donata, est causa materialis temperamenti, *cui scil. temperamentum inexistit.* Minor ab ijs probatur. Quia vita, & quod vitæ cohæret, quod est corpus sanum, vel ægrum, sub theoricam Medi-

cam non cadit; vita enim,& quod vitæ cohæret, corruptibile eſt; Scientia verò æternorum, ex Ariſtotele, 1. poſter. cap. 2. Conſideratio ergo temperamenti ad medicum non ſpectat.

Secundum argumentum. Secundum ipſorum argumentum eſt. In nulla ſpecie ineſt per ſe primò complexio, ſed natura ſuæ ſuæ ſubſtantiæ, ac complexiones ſunt ſpecies, ergo quæ a Dogmaticis temperamenta dicuntur, ſunt *natura ipſa*, & *nõ quid naturæ ipſi additum*. Maior probatur his verbis: *Natura autem* complexio non eſt, & ſpeciei per ſe primò naturæ ſuæ ſubſtantiæ ineſt, & non complexio: minor eſt per ſe nota. Concluſio ex præmiſſis ſequitur: Nam quando v.g. hoc eſt calidum, *id non ipſius complexio eſt*, eius enim natura habet hoc ex ſua ſubſtantia, ſicut colores.

Tertiũ argumẽtum. Tertium argumentum. Mores, ingenia, natura, & vſus, ex complexione non oriuntur, ergo non dantur hæ complexiones.

Antecedens probatur, quia illa ſunt ab aſtro, ergo non ſunt a cõplexione. Probatur antecedens. Bilis iram non mouet, ſed Mars, ex hoc enim ſequitur, bilem effundi, aut exundare, ſicuti ventriculum, nimio potu repletum. Prima conſequentia tenet, quia ex deſtructione antecedentis, quòd mores, ingenia, natura, & vſus ex complexione non oriantur, ſequitur deſtructio conſequentis, quòd non dentur hæ complexiones.

Hæc, & ſimilia ab indoctis Hermeticis proferuntur; quæ quàm inepta ſint, vnicuique ingenio pollenti patet, magiſque ex argumentorum diſſolutionibus patebit. Et primò quidem quoad primum argumentum, qui leuiter in poſterioriſticis nutritus eſt, illud diſſolueret, diſtinctione Ariſtotelis de Demonſtrationis æternitate, corpus ſcilicet ſanum, aut ægrum non cadere ſub Theoricam medicam, ſub ratione ſignata, & in particulari, ſed vtique ſub ratione vaga, & in vniuerſali; quamobrem in corpore ægro, aut ſano ſimpliciter temperamenti conſideratio neceſſariò ad medicum attinet, quia ſi vitæ ſubiectum eſt cauſa temperamenti, hoc eſt, ſi ſubſtantia partis ſimilaris eſt materia, in qua temperamentum ſubiectatur, temperamẽtum eſt illius forma inſtrumẽtalis, qua mediante actionem edit: materia autem, & forma ſunt ad aliquid ex Ariſtotele 2. phyſ. tex. 26. *Solutio primi argumenti.*

Secundum argumentum, quod maius robur habere videtur, ſoluitur, concedendo vtique medium terminum, ſcil. In omni ſpecie per ſe primò ineſſe naturam, quę ſit ipſius ſubſtantia; Etenim ſpeciei hominis per ſe primò ineſt rationalitas, quæ eſt ipſius ſubſtantia; Sed negando minorem ſcilicet, temperamentum non eſſe naturam ſubſtantiæ mixtę ſimilaris; Cum enim temperamentum reſultet ex toto qualitatum, & ſubſtantiarum elementorum aggregato, neceſſariò temperamẽtum eſſe per ſe primo ſubſtantiam partis mixtæ ſimilaris, ideoque ad Medicum ſpectare, omnino eſt fatendum. *Solutio ſecundi.*

Tertij argumenti ſolutio. Tertium tandem argumentum in falſa hypotheſi fundatur citra pro-

probationem,mores,& ingenia, temperamenti naturam non consequi. Et quando dicitur, iram nō ex bile,sed ex Marte moueri,probatio petit principium, cum pro causa interna, & adæquata, ira Martem non habeat. Sed hęc leniter tetigisse sufficiat; cum enim sint meræ nugæ, paucis indigent.

QVAESTIO.

Quænam esse debeat complexio corporis animati.

HAnc quæstionem, quia ad temperamentorum cognitionem plurimum cōfert, hic cum fructu subiungi arbitratus sum: Et licet pluribus eam explicet Toletus in 2.de generatione,sub titulo: *An detur mixtum ad pondus æquale*, vt tamen huic proposito applicetur, alio modo tractabitur hic, sic tamen, vt prodesse possint etiam quæ ibi dicit Toletus,& in particulari hic relinquam argumentorum congeriem, quam apud ipsum videte.

Prima conclusio. *Corpus, cuius anima est actus, non potest esse aliquod simplex:* Et probatur: Viuere est actus perfectus super omnem perfectionem materialē, ergo non poterit esse corporis simplicis, probatur consequētia,quia actus iste superior includere debet omnem perfectionem genericam graduum inferiorum, ergo debet continere corpus aliquod, cuius aliqua forma contineat, saltem eminente virtute,primorum corporum perfectiones; Ergo supponetur esse mixtum actui vitali.

Corpus animatum nō potest esse simplex.

Secunda cōclusio. *Nec potest esse aliquod corpus mixtū ad pōdus secūdum innatam complexionem, & mixtionem.* Explicatur: Mixtū ad pondus dicitur,quando,quantū vnius qualitatis inest, tantundem etiam alterius insit illi contrariæ, itaut sint quatuor gradus caloris, & quatuor frigoris, quatuor humiditatis, & quatuor siccitatis:Hi.n. quasi ęquilibrio suspensi,ęqualiter ponderarent, & ideo dicitur mixtio æqualis ad pondus.

Quid sit temperam. ad pondus.

Dico igitur, corpus hoc modo mixtū nō posse esse subiectū *actus vitalis*, sed actus *formalis*, & *substantialis*;quia nō posset iste actus suas operationes tam varias exercere; vna enim,& eadē semper esset in omnibus; & pręterea facilè corrumperetur viuēs;facilis enim esset huius ęqualitatis exturbatio; sed adde,quasi impossibilē esse hāc temperiē, quia etiamsi ęquales in gradibus essent calor,& frigus,nihilominus actiuitas caloris velocius in frigus agens,aliquid frigoris remitteret,& sic facilè perderetur. Dixi *quasi impossibile*;quia reuera non implicat, sed difficillima res est,attenta ęternitate agentiū. Dixi superius, *secundum innatā complexionem*, idest, secundum eam temperiem, quę conuenit tali formæ partiali constituenti talem partem viuētis materialem, quia difficultas est in eodem subiecto respectu eiusdem principij intrinseci; sed minus difficilis res est, si fit respectu diuersorum principiorum, ita scilicet, vt ex principijs na-

Temperamentum ad pondus non implicat.

Quomodo possit darī temperamētum ad pondus.

naturalis temperiei, & ex principio influente extrinseco, quędam media temperies producatur; vtrum tamen reperiatur, dicemus postea.

Tertia conclusio. *In corpore viuente maximè debet esse prædominium siccitatis, & frigiditatis, saltem, quo ad secundarios effectus, ita tamē, vt istæ qualitates potius detineantur in virtuali principio, potissimumque frigiditas, quàm in formali*; & hæc quæstio declaratur; quia constituere formaliter esse frigidum & siccum, potius est contrarium naturæ viuenti; talis enim res ineptissima est ad opera, sicut patet de terra, nihilominus maximè necessarium est naturalibus corporibus, vt firma consistāt, præcipuè loquendo de animatis: Sicut enim mundus præcipuè constat ex corporibus consistentibus, vt ex cælis, & terra, minusque consistentia intra consistentia conclusit, alia scil. elemēta intra terram, & cælum; sic & Microcosmi viuētes indigent huiusmodi soliditate, & consistentia, quę quia obtinetur per frigiditatem, & siccitatem, ideo maximè indigent his qualitatibus: Sed quia tantum quęrunt *effectus secundarios*, ideo non debent habere has qualitates *in esse actuali formali*, sed sufficit, si in *aliquo principio virtuali* contineantur, dummodo *actualiter*, obtineatur *consistentia*, & facilis terminabilitas a proprio termino; Et hinc obiter præcipuum argumentum elicitur ad confirmandas formas partiales, quia debet necessario constitui aliquid esse substantiale formale, quod in actu primo contineat huiusmodi qualitates, alioquin, si in ossibus, exempli gratia, non esset tale principium formale, ex caloris cōtinua actione, destrueretur innata frigiditas ossis: Quòd si diceres hoc difficile esse, propter maximam eius duritiem, tunc arguitur contra, quia saltem in musculis talis effectus eueniret: Sunt enim quædam substantiæ duriusculæ aliquantulum, & constitutæ inter plurimas venarum, & arteriarum propagines, ex quarum actione, frigiditas, & siccitas eorum facilè absumeretur, nisi esset aliquod validum substantiale principium has qualitates in virtute continens, sicut forma aquę feruentis continet frigiditatem.

Dispositio Microcosmi viuentis.

Necessitas formarum partialium.

Quid sit substantiale principiū quaslitates in virtute continens.

In his tamen omnibus dictis attendendum est, non concludi hic, omnem frigiditatem, & siccitatem esse tantum in virtuali principio, quandoquidem ossa, exempli gratia, non reperiuntur adeo calida, vt nulla esse possit frigiditas etiā formalis temperans actiuitatem caloris; sed tantum intendimus, non ita vigere siccitatem, & frigiditatem in partibus viuentium, vt possint *principales effectus* frigiditatis, & siccitatis exercere, sed tantum eos exercere videantur, qui faciunt ad *consistentiam* viuētis; & istæ partes in quibus prędominatur frigiditas, & siccitas, quo ad secundarios effectus, sunt primum ossa, quæ ijsdem funguntur muneribus in animali, quibus parietes, & trabes in domibus, in tētorijs pali, & in nauibus carinæ:

Quales sint primarij & secūdarij effectus.

Ete-

Inter ossa quædam sint tanquam fulcra. Etenim, alia sunt ossa, tanquam fulcra corporis, in quorum numero sunt tibiarum, femorum ossa, & vertebræ dorsi, & omnis ferè ossiũ contextus: Alia sunt veluti propugnacula, & muri aliquarum partium, cuiusmodi sunt Caluaria, *Quæ vt propugnacula.* spinæ vertebrarum, costæ, & os pectoris; Alia deseruiunt ad liberum *Quę voluntati deseruiunt.* motum, cuiusmodi est patella in genu; Alia deseruiunt, vt arma, vel vt malleus, & incidentia instrumẽta rerum duriusculorum, cuiusmodi sunt dentes; *Quæ vt arma.* Post ossa accedunt cartilagines, quæ licet molliores sint osse, durissimæ tamen sunt prę cæteris partibus; sunt enim natura terrestres, & eodem munere, quo ossa aliquando funguntur, vt cartilagines palpebrarum, cartilagines laryngis, & apicis nasi; & vlterius sæpius perficiuntur istæ particulæ ossium commissuris, vt defendant ossa ea parte, qua inuicem coniunguntur: Si enim immediatè iuxta ponerentur, in vehementibus motibus facilè frangerentur ex aspero attritu, ideo cartilago, *Cartilaginis vsus.* quæ mollior est osse, temperat eorum asperitatem in motu, & cum sit durior præ cæteris partibus, non tam facilè cedit violentiæ ossium; sæpius etiam ossa inuoluuntur in eiusmodi cartilaginibus, sed præcipuè cartilaginum corpora efformant asperam arteriam per quam attrahimus aerem: Si enim ossea esset, noceret gulæ, iuxta quã transit, & si fortasse mollioris substantiæ esset, facilè cederet, quando nimia ingluuie crassior cibus deglutitur, & facilè impediretur respiratio, & ideo optimè cartilaginea constructa est.

Ad hæc corpora, sequuntur nerui duriusculi, & ipsæ postea venæ, & arteriæ, quæ sunt, sanguinis, & spirituum ductus: postea sunt musculi, qui sunt instrumenta motus voluntarij: *Nerui post ossa, & cartilagines. Venæ. Arteriæ. Musculi.* Quæ omnes partes indigent frigore, & siccitate innata, vt cõsistentes sint, & adiuuẽt operationes vitales, quibus omnibus partibus conglutinãdis calor vbique adhibetur, sicut calx in pariete construendo, quæ & ipsa aliquid consistentiæ habere debet; Et hac quæstione attenta, nõ mirabimur, si in extinctione animalis tam citò appareant partes eius frigidæ, *Ratio, cur partes extincti animalis tã citò arescant.* & arentes, vel etiam si quandoque per aliquod eueniens impedimentum, prohibens calorem diffundi ad membra, deficiat homo, & appareat tam frigidus; *Caussa mortis repentinæ.* vel etiã quando ex maximis timoribus calor concurrit ad cor, apparetq́. homo tremulus ex frigore; *Caussa frigiditatis in timore.* & sic de alijs eiusmodi euentibus; quotiescunque enim datur commoditas principio virtuali redeundi ad statum formalem, non impropriè redit.

Quarta conclusio. *Debet, & in pluribus alijs partibus prædominari humiditas, & calor etiam in actu formali, maximèq; de humiditate* loquendo: Hæc enim maxima apparet in cerebro, in intestinis, in ventriculo, in sanguine, in glandulis pluribus varijs in partibus constitutis, maximè propè linguam, & stomachum ad humiditatem fouendam; & facilè probatur ea ratione, qua humiditas maximo vsui est operationibus vitalibus;

libus;

Vsus humiditatis in corpore animato. libus; dat enim cuilibet agenti facilem *penetrationem*, facilè actionem, & transmigrationem ab vna ad aliam partem; dat etiam facilè *recedere à comprimentibus* corporibus, quæ possent aliquādo nocere; Tandem experiētia docet, in *extinctione animalis*, maximè agere hanc qualitatē, mucor enim, & corruptio, quæ citò aduenit, est ex humiditate innata, cuius signū est, quod partes terreę, vt ossa pręcipuè diutius conseruētur, & aromata hac tantum ratione conseruant cadauera, quia exsiccant, & impediunt excedentem humiditatem partibus innatam. *Mucor in extinctione animalis vnde.*

Quinta conclusio. *In complexione viuētis influxa, totum prædominium est humiditatis, & caloris*; Et hæc quæstio probatur ex communi axiomate ab omnibus recepto, & experientia comprobato, quod *vita consistat in actione caloris in humidum*, & vt declaretur, simulque probetur hæc quæstio; Aduerte, triplicem esse calorem; Alium *innatum à seminali* principio; alium *influxum* in omnia membra *à corde*, & *à cælis*; Alium *elementarem*, qui accipitur simul cum materia ab elementis; Iuxta quem triplicem calorem, triplex etiam reperitur caloris actio: Nam calor elementaris *voracissimus* est, & ideo potentissimus in digestione ciborum, & in calefactione sanguinis, & spirituum procreatione, imò etiam iugiter iste calor partes viuentis, in quibus reperitur, consumit & in vaporationem eijcit, conuerteretque in ignem, si aliquando posset; *Triplex calor.* *Triplex caloris actio.* *Calor elementaris vorax.*

sed quia alius effectus influxi caloris a corde, & cælis impedit, ideo cōseruatur viuens: Sicut enim cæli præponuntur conseruationi vniuersi, ita etiam calor ab illis procedens intendit conseruationem viuentis, & vt maximè temperatus impedit voracitatem elementaris, qui calor postea facilè conseruatur in subiecto factus aliquo modo connaturalis, per calorem innatum ex semine, a quo calore tertius effectus consurgit, qui est *perficere vitales operationes*, vt *animæ instrumentum*, quorum calorum varietas consideranda est ex quatuor, vt docet Albertus opuscul. de vita, & morte, cap. 12. primò ex subiecto, in quo est. Secūdo ex virtute cælesti. Tertio ex virtute elementi ignis. Quarto ex virtute animę; prout enim hęc varia sunt, etiam variantur isti calores; In omnibus tamen illud erit commune, quòd anima, vt primus viator, apprehensam tenet seminalem calorem, vt suum īstrumētum; Calor verò cęlestis, elementarem continet; qui calores, dum suas exercent operationes, variè dispositam exposcunt materiam, pro varijs effectibus, sed calor elementaris in vniuersum voracissime agit. Sed nota secundo, naturā prouidisse huic calori quandam qualitatem, cuius ope, non tam citò destruit subiectum viuens, & hæc est humiditas, quę ex sui natura minuit caloris acumen, & ideo, vt tardius agat iste calor, natura tribuit illi comitem hanc qualitatem, cuius rei exemplum affert Auicenna, vt refert Albertus c. 6. *Actio caloris influentis.* *Effect⁹ caloris innati.* *Naturę prouidētia circa calorem voracē.*

Vita-

Vita comparatur lucernæ.

Vita comparatur lucernæ ardenti, in qua triplex humidum reperitur; primum est in apice lychnij vbi accensus feruet ignis. Secundum est in proxima parte lychnij, quod proximè absumetur, sed iam non est ab igne consumptum. Tertium est in reliqua parte lucernæ remotum ab igne, quæ substantiæ humidæ sibi inuicem succurrunt; itaut secunda, primæ, & tertia secundæ succedat; sic & in viuente sunt tres substantiæ humidæ: Alia est, quam iam actualiter ingressus calor elementaris consumit. Secunda est proxima huic, & est sanguis conuertendus in varias partes. Tertia est humiditas alimenti in ventriculo confecti, & istæ substantiæ sibi inuicem succurrunt.

In viuente tres substantiæ humidæ.

Dicitur ergo in quæstione, qualitates intusas præcipuas esse humiditatem, & calorem; quia istæ qualitates requiruntur maximè ad *operationes vitales*, præcipuèque calor, qui est actiuissimus, sed quia in agendo proprium subiectum destruit, ideo natura prouidit reparationem deperditæ substantiæ, in qua esset prædominium humiditatis, ne si fortè prædominaretur siccitas, caloris actiuitas vehementior esset, vlterius datur humiditas comes calori naturali, vt subiectum ita rarefiat à calore, vt non discedat à conuenienti statu, maximè enim *humiditas viscosa*, deseruit huic muneri; quia vt *humiditas* est, patitur subiectum rarefieri; vt verò *viscosa* est, non patitur tam facilè ad extremum raritatis deduci, & sic calor dicitur agere in humiditatem, quamquam per viscositatem ei resistat.

Vnde reparatio deperditæ substantiæ.

Vsus humiditatis viscosæ.

Sic igitur diximus prędominari calorem, & humiditatem, non tamen in summo vigore, ex quibus concludi potest, calorem esse aliquo modo temperatum per frigus, & etiam humiditatem per siccitatem, ita vt possint esse in subiecto quod habeat naturam aliquo modo oppositam calori, & humiditati, sicut Galenus 8. de placidis Hipp. & Platonis dicit: Sanguinis substātiam aqueam, & aeream esse contemperatam frigiditate; Quo principio posito, statim resultat conatus caloris elementaris ad suum statum, quantum fieri potest, elementarem. Vnde rarefaciendo subiectum, perturbat temperiem conuenientem animali, & sic varias particulas destruit, sicut etiam videmus in luce lucernę euenire.

Qua ratione temperetur in viuente calor, & humiditas.

Vltima conclusio. *Actio temperiei viuentis est caloris in humidū actiuitas*; Et hic attende, hucusq; ita dictum esse de calore, & humido, vt humidam, & calidā substantiam potius, quàm puras qualitates acceperimus, vt loquitur Galen. de calido innato lib. 1. aph. 15. Qui appellat calidum innatum facultatē nos regētem, & hoc etiam modo in hac quæstione accipitur calor in humidum agere: Et cōclusio ista probatur experiētia, maximè enim viuaces, maximo calore feruent, & tardi, obtusique homines, minus caloris habent; vnde, & senes videntur minimū caloris habere, & statim deficere: Pręterea ij,

Calidū, & humidū, vt substantia potius, quam qualitas accipitur.

Causa mortis repentinæ ex humido.

qui nimia humiditate abundant, repentinis mortis è medio tolluntur; quia humiditas eorum facilè in tanto augmento opprimit calidum innatum, sicut lucerna extinguitur, demerso lychnio in oleo, quod signum est, aliquam esse contrarietatem, & actionem inter has duas qualitates subiectas in partibus viuentium; Altera enim alterā opprimendo, interitū causat; Præterea ad alendam substantiam, maximè vtimur cibarijs humidis, nec simplici humiditate contenta est natura, sed *viscosam* vlterius quærit, sicut nec ardet lucerna, si adhibeatur humiditas aquea quātumlibet feruens; Hæc enim facilè opprimit virtutem caloris actiuam; Præterea non reperitur alia actio aliarum qualitatum secundum rationem vitæ; Nam *frigiditas* non dicitur agere in *siccitatem* ad fouendam vitam, cum ista actio potius existat post mortem; Nec iā dicetur agere in *calorem*, quia redderetur viuens frigidum, & ex prædominio frigoris vitam haberet, & ita venena potius ad vitam, quàm ad mortem proficerent; nec præcipuè dicitur *calor* agere in *frigiditatem*, quia non ad modum sensibiliter, actualiter, formaliter existit, & sic non videtur admodum resistere calori. Dicetur ergo in humiditatem agere, seu in humidam substantiam, quia cum tale subiectum, hoc modo qualificatum, non sit contrarium calori, poterit calor in eodem subiecto humido esse, & ita in idem subiectū, vt rarefiat, agere, sicut calor aquæ feruenti inhærens, illam in vaporem conuertit, & pariter poterit esse actio permanens, quia nō agit in contrarium directè, sic enim vehementior, & magis actiua esset, vt nunc experimur, quando manus nimium frigētes igni apponimus: In principio enim quædam aeris actio inter duo contraria excitatur.

Quale alimentum appetat natura.

Vita cōsistit in actiuitate caloris in humidum.

DE HVMORIBVS.

Quid, & quotuplex humor sit. Cap. I.

Definitio humoris.

HVmor nil aliud est, quàm alimentum in iecore genitū ex chylo, nutritionis gratia.

Genus definitionis est, cum dicitur, *alimentum* cæteræ particulæ stant loco *differentiæ specificæ*. Verùm, cum humor ex chylo generetur, videndum est prius, quid chylus sit. Chylus ergo nil aliud est, quàm *succus* ille, qui in ventriculo gignitur, ex his, quæ ingeruntur, siue sub forma potus, siue sub cibi; qui chylus postquam genitus est, per venas quasdam in iecur attrahitur, tāquam si iecur eum per manus attraheret, vnde dictæ sunt venæ *mesaraicæ*, qui chylus vbi in hepatis venis constitutus est, à facultate iecoris, mediante proprio temperamento, in humorem, substantia diuersum, conuertitur; & hic *humor* specificè vocatur. Quid ergo humor sit, habeas.

Quid sit chilus.

Quotuplex humor.

Quotuplex autem sit; Scitote, quatuor esse humores, & sunt,

Sanguis.

Pitui-

Pituita.
Bilis flaua.
Melancholia.

Humorum generatio musti similitudine declaratur.

Quorum humorum generatio similitudine musti optimè declaratur; Mustum enim in dolio tumulatum, ab innato sibi calore efferuescit, turgescit, ac bullit; In hac musti fermentatione pars quædam grauior in dolij fundum præcipitatur, quæ *vini fæx* dicitur: Alia verò pars leuior vino supernatat, qui *flos vini* vocatur; Et vbi mustum à spuma, & fæce repurgatum est, adhuc per aliquod tempus remanent *partes quædam crassæ*; tandem clarificatum, *vinum* dicitur. Consimiliter chylus in iecore ebulliens, cum sit substantiæ heterogeneæ, ideo pars crassior generatur similis fæcibus musti, qui *humor melancholicus* dicitur. Alia pars tenuis succrescit similis spumæ musti, qui *biliosus humor* dicitur; generatur & aliis qui crudidati in musto similis est, & dicitur. *humor pituitosus.* Tandem pars purior, ex chylo resultans, est similis ipsi vino, & *sanguis* appellatur, vnde quatuor sunt humores.

Veruntamen, quia simul humores hi in iecore generantur; ideo nō sunt loco, & subiecto diuisi, sed simul vniti sunt; hinc Gal. lib. de plenit. scripsit, sanguinem à cæteris humoribus impermixtum non dari, Idcirco id aggregatum, quod vocat *massam sanguineam*, ex his humoribus, tanquam ex partibus integrantibus, constat.

Humorum impermixtio.

Obseruandum tamen, humores istos non secundum se totos sanguini permisceri; cum enim multæ earum partes sint excrementitiæ ad nutritionem ineptæ, propterea natura, loca quædam, tanquam conceptacula, condidit, vt partes ipsorum humorum excrementitiæ ab alimentaribus segregentur, in hisq; recipiantur; Ideo bili excrementitię *cistam felleam* sub iecore efformauit, quæ in eam, per surculos quosdam recepta, ibi moratur propter duplicem vsum; prior est, vt fæcibus coniungatur tanquam calcar expultricem intestinorum pungens ad fæces propellendas. Secundus est vsus, vt vrinę coniungatur propter eundem finem; propterea fæcum color flauus, & vrinæ, est à bile excrementitia.

Bilis excrementitiæ locus.

Vsus primus.

Secūdus vsus.

Melancholiæ quoque excremētitiæ suum locum extruxit natura, *lienem* videlicet, vt per proprias venas illuc effundatur in eū vsum, vt humor ille melancholicus terreus, & acerbus ad fundum ventriculi demandatus, corrugando, ventriculum roboret, & ad os ventriculi eructatus, famem excitet. Pituitosi humoris excremētitij pars in venis vnà cum sanguine existit, quippe qui in necessitate per vlteriorem coctionem in sanguinem mutetur. Sanguis autem semper in venis moratur, vt partibus corporis nutriendis se impertiat.

Melancholiæ excremētitiæ locus.

Vsus.

Pituitæ excremētitiæ locus.

De quatuor humorum temperamento. Cap. II.

POst quatuor humorum generationem, & miscellam, sequitur, vt de ipsorum temperamentis breuiter dicamus. Sanguis pro quarto humore

 assum-

assumptus, cùm sit mediæ naturæ, inter alios, propterea in primis qualitatibus *temperatus* censetur à Galeno pluribus in locis, nô ita tamen est temperatus, vt ad pondus temperatum esse aliquis credat; quia facta collatione ad cæteros humores, mediam inter ipsos temperaturam obtinet, per se tamen consideratus, ad *caliditatem*, & *humiditatem* inclinat, idcirco est ad iustitiam temperatus.

Sanguinis temperamentum.

Pituita est frigida, & humida.

Melancholia frigida, & sicca.

Bilis calida, & sicca.

Temperamentum pituitæ melancholiæ Bilis. Obseruatio.

Obseruatione tamen dignū est, humores hos naturales, qui sunt sicci, esse potentia siccos, actu tamen humidos, vt bilis, & melācholia; qui verò sunt frigidi, esse potētia frigidos, actu autem calidos, vt pituita, & melancholia: qui verò sunt calidi, & humidi, esse potētia, & actu calidos, & humidos, veluti est sanguis. Et hæc de quatuor humorum temperamentis.

De saporibus humorum naturalium, & sedibus. Cap. III.

PRæter qualitates primas, sunt etiam *secundæ*, quibus humores insigniti sunt; de secundis ergo qualitatibus humorum naturaliū, eorumq; sedibus, breuiter est dicendum.

Sanguis cur dulcis.

A sanguine exorsus, dico, sanguinem esse *dulcem*; ratio est, quoniā dulcedo prouenit à moderato calore, sed sanguis est temperatus, ergo sanguis est dulcis, cuius dulcedo gustu etiam dijudicatur.

Locus sanguinis.

Locus sanguinis est duplex, locus *generationis*, & hoc est hepar; & locus *distributionis*, vt hæ sunt venæ, & arteriæ, in quibus naturaliter sanguis continetur, vt ex Gal. In libello proprio patet, in Erasistratum; Verùm sanguis *arteriarū* differt à sanguine venarum; Sanguis enim arteriosus est calidior, tennior, subtilior, & flauior; Sanguis autem venosus ruber est.

De sapore, & sede Pituitæ.

PItuita est *insipida*, ex sui natura, omnisq; saporis expers; & ratio est in promptu; nam aqueū est insipidum, pituita est aquea, ergo, & insipida. Minor est clara; pituita enim est sanguinis pars crudior, omnium humorum frigidissima, & humidissima, consequenter, que omnium saporum expers.

Cur pituita sit insipida.

Locus pituitę pro multiplici pituitæ specie, multiplex est; pituita enim triplex est; prima gignitur in iecore. Secunda in ventriculo. Tertia in cerebro: Pituita quæ locū generationis in iecore habet, cum sit sanguinis pars crudior, propterea vna cū sanguine locū distributionis per venas habet. Pituita, quæ locum generationis in ventriculo habet, vel propter ciborum crassitiē, & cruditatem, vel propter vētriculi frigiditatem; ventriculus.n. est membranosus, & consequenter sui natura frigidus; Hæc per venas mesaraicas ad hepar trāsmittitur, & per inedias, in sanguinem conuertitur, & per venas maiores, ad corporis partes transmittatur. Pituita, quæ in cerebro generatur, hæc est penitus excrementitia, & nutri-

Locus pituitæ.

Pituitæ in cerebro triplex locus.

nutritioni omnino inepta, triplicemq́; locum in cerebro potitur, locum *generationis*, & est *substantia* ipsa cerebri; locũ *collectionis*, & hi sunt *ventriculi anteriores* cerebri, & locus *transitus*, & hic est per *infundibulum pituita*, vel per palatum, vel per nares.

De sapore, & loco bilis.

Bilis cur amara. Bilis flaua naturalis est *amari saporis*; & ratio est, quia sapor amarus calidis, & siccis inest, sed bilis est pars sanguinis calida, & sicca, ergo bilis est amara.

Locus bilis. Locus bilis pro duplici bilis specie, duplex est: Nã bilis, vel est alimentaris, vel excrementitia. *Alimentaris*, cũ sit pars sanguinis in iecore genita, ideo per venas in partes corporis cognatas nutriendas demãdatur: *Excremẽtitia* verò, per proprios surculos felleos appellatos in vesiculam felleã reponitur propter vsus in 1. capite dictos; qua tamẽ bile excrementitia non nutritur vesicula, vt aliqui somniarunt, sed tãtum oblectatur ipsius bilis amplexu; verũ vesiculæ substãtia sanguine nutritur per venas, quas in se continet, delato.

De sapore melancholiæ, & loco.

Melancholia, quæ atra bilis, vel niger humor vocatur, est *acerba*; & ratio est hęc; Sapor acerbus in frigidis terreis fundatur; Melancholia est frigida terrea, ergo est acerba. *Melancholia cur acerba.*

Locus melancholiæ. Locus melancholię duplex est; Nam naturalis alimentaris vnà cũ sanguine, cuius est pars, per venas distribuitur, ad hoc vt partes eæ nutriri possint, quibus est dicata: Naturalis verò excrementitia superflua per venas proprias *splenicas* dictas, a iecore explantatas, in lienẽ attrahitur, qui arteriarũ motu, & calore subactus, & subtiliatus, partim in lienis nutrimentum emergit; Id autem, quod superuacaneum est, ad ventriculi fundum, & os superius dimittitur, pro fame, & coctione iuuãda, vt in 1. capit. dictum est. Et hæc de saporibus, & sedibus humorum naturalium dicta sufficiant.

De his, quæ temperamentum humorum naturalium sequuntur. Cap. IV.

Sanguinis vsus, & motus.

De humorum naturalium vsu, & motu dicendum est: & primo quantum ad vsum; hic vel est primarius, vel secũdarius. Sanguis ergo, quo ad vsum primarium, est vt omnes corporis partes nutriat; eas autem, vel immediatè nutrit, vel mediatè: Immediatè quidẽ vt partes carnosas, mediatè verò, vt ossa; non enim sanguis ossa nutrit, nisi præcedente in ipso mutatione. Sunt qui putant, ventriculum nutriri chylo, sed decipiuntur; ventriculus enim venas habet, & per cõsequens sanguine nutritur; chylo autem solo oblectatur; Ingestus enim cibus animalem appetitum satiat, non tamen naturalem. *Vsus sanguinis primarius.*

Vsus secũdarij sanguinis ex eius temperie ortum ducẽtes sunt reddere, Hilares. *Secundarius.*

In risum promptos.
Facetos.
Blandos.
Venustos.
Floridos.

Motus sanguinis. Post vsus sanguinis, sequitur ipsius motus; omnes enim humores suis horarum interuallis determinatè mouentur; Sanguis ergo, vt Soranus Ephesius scripsit, incipit moueri *hora nona* noctis vsque ad horam diei *tertiam*.

Pituitæ vsus, & motus.

Pituitæ vsus principales. Pituita duplicem vsum principalē habet; primus est, vt partes frigidas, & humidas alat, sicuti est cerebrum. Secundus vsus principalis est, vt pituita in ventriculo genita, in sanguinis penuria, in iecur, & venas attracta, in sanguinem permutetur.

Secundarij. Vsus pituitæ secundarij sunt, vt homines reddat,

Segnes.
Somnolentos.
Carnosos.
Obesos.
Canescentes.

Motus. Motus pituitæ est ab hora noctis *tertia* vsque ad horam noctis *nonam*.

Flauæ bilis vsus, & motus.

Vsus bilis principales. Vsus flauæ bilis principalis est duplex: primus, vt partes calidas & siccas nutriat. Secundus, vt sui subtilitate sanguini per venas facilem transitum tribuat, tā quam ipsius vehiculum. Excrementitiæ autem bilis vsus duplex est; primus est, fæces ad flauum tingere. Secundus est, vrinæ colorem præstare, vt partium earum expultrix, orgasmo, idest, acredine bilis irritata, suum absoluat excernendi pensum.

Secundarij. Vsus bilis flauæ secundarij sunt vt homines reddat,

Iracundos.
Celeres ingenio.
Agiles.
Leues.
Macilentos.
Et cibos citius coquentes.

Et hinc ratio desumitur, propter quam biliosi citius, & melius cibaria coctu difficilia vincant, veluti sunt carnes bubulæ, quàm coctu facilia, veluti sunt pisces saxatiles; Cum enim calore acri, & mordace scateant, ideo, quæ calori resistunt, melius digerunt; quæ verò non resistunt, in bilem corrupta abeunt.

Motus. Motus bilis flauæ est ab hora diei *tertia* vsque ad horam diei *nonam*.

Melancholiæ vsus, & motus.

Melancholiæ vsus principales. Melancholiæ, seu atræ bilis vsus principalis est duplex: Primus est, vt qui in venis continetur, partes sibi cognatas nutriat: Excrementitius verò in ventriculi capacitatem eructatus, cùm ex sui natura sit acidus, facit ad ciborum retentionem, postea ex ventriculo per intestina delabitur, vt cum reliquis excrementis forās propellatur.

Secundarij. Vsus secundarij sunt ut homines reddat.

Con-

Constantes.
Auaros.
Morosos.
Tetrices.
Tristes.
Timidos.
Pusillanimes.

Motus. Motus melancholiæ est ab hora diei *nona* vsque ad horam noctis *tertiam*: Atque tot sunt naturaliũ humorum vsus, & motus.

Motus humorum.

1. SAnguinis ab hora noctis nona vsque ad horam diei tertiam.
2. Bilis flaua ab hora diei tertia vsque ad horam diei nonam.
3. Bilis nigra ab hora diei nona vsque ad horam noctis tertiam.
4. Pituita ab hora noctis tertia vsque ad horam noctis nonã.

De humoribus non naturalibus. Cap. V.

QVoniam iam dicti humores non semper eandem constitutionem naturalem seruant, sed in substantia, quantitate, qualitate permutantur, itaut statum præter naturam adipiscatur, idcirco de humoribus, vt non naturales sunt, aphoristicè nobis agendũ est, incipientes à sanguine.

Sanguis dupliciter non naturalis euadit, primò vbi in sui substãtia aliquid putridi, vel corrupti patitur, tuncque sanguis *flaccidus* communiter nuncupatur: Secundò, quando à cæteris humoribus improportionaliter superatur, vnde sanguis pituitosus, biliosus, & melancholicus dicitur.

Sanguis flaccidus.

Pituita non naturalis. Pituitæ autem non naturalis quinque sunt species:

1. Vitrea.
2. Dulcis.
3. Acida.
4. Salsa.
5. Gypsea.

Pituita vitrea. *Pituita vitrea* sic appellata fuit à Praxagora, eo quia sit similis *vitro fuso*, vt colligitur ex Galeno, 2. de loc. aff. cap. 5. & est humor crudus, actu, & potentia frigidus, in ventriculo præsertim, ac cerebro genitus, ex ingluuie, & crapula: Hæc vbi congeritur, *dolores sæuissimos* facit, vt loco citato Galeno contigit.

Pituita dulcis. *Pituita dulcis* appellatur, quia inter exscreandum dulcis dignoscitur: Hæc non exquisitè frigida est, sed exiguam frigiditatem cum superanti calore obtinet, quia omne dulce est mediocriter calidum: hæc pituita *somnolentos* reddit.

Pituita acida. *Pituita acida* nuncupatur, quia ad gustum acetosa apparet: Hæc est magis frigida, quàm dulcis, sed minus, quàm vitrea: Sicut enim vinũ pauco calore præditum, ex extinctione illius caloris, euanescit, & acidum redditur; ita ex, extinctione caloris in humido pituitoso, pituita acescit: hæcq; pituita *famelicos* facit, suique aciditate *esurientes*.

Pituita salsa. *Pituita salsa* gustu dijudicatur, & generatur, vel propter putredinem, vel propter serosæ humiditatis salsæ admixtionem; vbi enim partes aliquæ pituitæ dulcis assãtur,

tur, & alijs partibus pituitæ dulcis commiscentur, oritur pituita salsa: Hęc calida est, *sitibundosque* efficit.

Pituita Gypsea. *Gypsea pituita* illa est, quæ signaturam gypsi ex concretione acquirit: vbi enim à frigido concrescit pituita vitrea, in gypseam abit: Hæc frigidissima est omnium aliarum, etiam vitreæ, quia præter id quod vitrea ex sui natura, frigida est, adhuc per alios frigiditatis gradus in gypseā degenerat. Hęc in *articulis concrescit*, in pulmonibus, & ego eam in vmbilico duabus vicibus obseruaui: Et hæc de speciebus pituitæ non naturalis.

Lapis in vmbilico obseruatus.

De bile non naturali.

Bilis non naturalis species sunt quatuor,

1. Vitellina. græc. λεκιθώδης.
2. Porracea. græc. πρασοειδής.
3. Aeruginea. græc. ἰώδης.
4. Cærulea. græc. ἰσατώδης.

Bilis vitellina. *Bilis vitellina* dicitur eo quia colorem, & consistentiam similem habeat *crudis ouorum vitellis*. & est duplex, & *vitellina Galeni*, & *vitellina Auicennæ*: vitellina Galeni illa est, quæ in iecore, & venis per vlteriorem torrefactionem, & assationem gignitur, itaut ex tenuis substantiæ dissipatione, crassiorem substantiam obtineat, & ex flauo, igneum colorem consequatur, similem propterea consistentiæ, & colori uitellorum ouorum crudorum. Hæc calida, & feruida est, ad febrium tertianarum generationem admodum disposita. *Vitellina Auicennæ*, est cōtrariæ naturæ; fit enim ob admixtionem, vel melancholiæ, vel pituitę cum flaua bile; si enim partes pituitæ, & bilis flauæ inuicem miscecantur, fiet species bilis in colore, & consistentia similis vitellis ouorum crudis: Et hæc bilis vitellinæ species est frigidior ipsamet bile flaua.

Vitellina Galeni.

Vitellina Auicennæ,

Bilis porracea, *Bilis porracea* dicitur à colore viridi simili *colori porrorum*: quam in ventriculo generari ex prauis cibarijs, in Galeni doctrina compertum est.

Bilis aeruginosa. *Bilis æruginosa, ab ærugine* sic appellata per vlteriorem assationem ex porracea gignitur, & est porracea calidior, & praua est, & timenda vbi apparet.

Bilis Cærulea. *Bilis Cærulea* dicitur a colore cæruleo, Isatidis etiam, quia *glasti colorem cæruleum* præ se fert. Hęc fit per vlteriorem assationem ex bile æruginea in iecore, & venis; ideo calidissima est, & perniciosissima: Et hæ humorum non naturalium species sic successiuè generantur.

Vbi in ventriculo congeruntur praui succi alimenta, vt sunt alliū, porrum, cepa, nasturtium, sinapi, cum in bonum chylum migrare non valeant, idcirco corrumpuntur, & primum porracea oritur; ex hac per vlteriorem putredinem vitellina, ex hac æruginea, tandem Cærulea.

Obseruatio de pallida Sed hic obseruandum, præter iā dictas bilis species Galenum, 10. de simpl. medic. facult. cap. de bile. tres alias recensere, flauam, pallidam, & rubram: At hæ non sunt bi-

les

Flaua & rubra biles. les non naturales, sed naturales; flaua quidem, & pallida sunt in genere naturalis, suntq; eiusdem generis ex Galeno, 6. Epid. com. 5. rubra autem est serum sanguinis, & accipitur pro flaua, & pallida in vesicula bilis existente.

De melancholia non naturali.

Atra bilis. Prima species. MElancholia non naturalis, seu atra bilis ex Galeno triplex est. Prima fit *ex parte faculenta ipsius sanguinis*, quæ vbi ex feruido, squalidoq; calore putruerit, in atram bilem degenerat feruidissimam, acrem, mordacem, exulcerantem, terram, in quam proijcitur, fermentantem, ampullas excitantem, quam, ex Galeno de atra bile, nec mures, nec muscæ degustare possunt, à qua si dysenteria fiat, lethalis est ex Hippoc. 4. aphor. 24. *Secūda species.* Secunda species atræ bilis fit ex bile retorrida vitellina, prius in ærugineam, ac cæruleam mutata, postea in atram bilem funestam, & priori speciei peiorem degenerante. Hæc priori peior est, quæ vbi apparet, morbus lethalis absolutè diei potest.

Tertia species. Tertia species atræ bilis, ex Auicenna, fit per vlteriorem assationē pituitæ, non quidem vitreæ, & acidæ, nec dulcis, sed salsæ; quæ vbi in venis putruerit, in speciem atræ bilis perniciosæ mutari poterit. Et hæc sufficiant de humoribus non naturalibus.

De quatuor humoribus secundarijs. Cap. VI.

PRæter quatuor humores primarios, sequuntur alij quatuor humores secundarij, ex Auicenna, Fen. 1. can. 1. doctr. 4. cap. 1. & sunt,

1. Humor innominatus.
2. Ros.
3. Cambium.
4. Humidum radicale.

Primus humor *innominatus*, est pars sanguinis purior in exilibus venis, & arterijs existens, quasi foras prosiliens, vt partium solidarū nutrimentum euadat; Hic in finibus vasorum exilium dicitur humor innominatus, eo quia ei inditum non fuerit nomen. *Humor innominatus*

Secundus, *Ros*, nil aliud est, nisi humor ille innominatus exilia vasa egressus, & per spatia inania partium solidarum instar *roris* dispersus, vt tanquam cognatum alimentum in propriam solidorum substantiam transmutetur, ideo humor *alimentarius*, vel humor *insitus* dicitur ab aliquibus. *Quid Ros.*

Tertius, *Cambium*, seu carniforme, seu gluten, nil aliud est, quàm ros ipse, cùm solidis agglutinatur, apponitur, assimilatur, & in substantiam partis solidæ cōuertitur; Ideo cambiū dicitur à verbo Plautino *cambire*, quod mutationem alicuius in aliud significat. *Quid cābiū.*

Quartus, *humidū radicale* dictū, est humor à primo semine partib. solidis ingenitus, ip̄lātatus, insitus, natiuus, q; spiritus, & caloris innati pabulū, & subiectū existit. Et hi sunt quatuor humores secundarij. *Humidum radicale.*

Quibus humoribus, per iconē, quatuor siccitatum genera correspondent, humoribus ipsis depopulatis.

Prima siccitas correspondet humori

Prima ſic. et ſiccita-tis. mori innominato, vbi hic deperditus eſt.

Secũda. Secunda ſiccitas reſpondet roridæ ſubſtantiæ, vbi hæc depaſta fuerit.

Tertia. Tertia ſiccitas opponitur ipſi cambio, vbi ſubſtantia ex humore concreta liqueſcit, vt adeps, caro, &c.

Quarta. Quarta ſiccitas eſt, cum ſubſtãtia ipſa ſolida cum humido radicali conſumitur; ſub qua ægri ad talem maciem deueniunt, vt non ſint niſi pellis, & oſſa, qui maraſmus torridus dicitur a doctoribus. *Torridus maraſmus.* Et hæc de humoribus ſecundum dogmaticos.

Hermetica Impoſtura de humoribus.

SEd iam lyra pulſetur Hermetica, vt eius de humoribus harmoniam chorus Galenicus percipiat: Hi enim Theoriam de humoribus dogmaticam taxant, propter quam medicos dogmaticos ſtoliditatis arguunt, lib. 5. pag. 124. & lib. 2. pag. 143. humoriſtas vocitant: paſſim que; in eorum operibus 5. pag. 247. figmentum humorum reijcitur; propterea doctrinam humorum 5. pag. 238. falſam appellant, & humorum inuentionem 2. pag. 172. *otioſam*, dicũt quæ humorum philoſophiã 4. pag. 158. *nauci eſſe*, & humorum doctrinam 2. pag. 10. *medicinam obſcurare*, & humores 5. pag. 255. *nihil* eſſe, & 5. pag. 255. *commentum*. *Dogmata Humoriſta ducuntur.* Ex quo inferunt humores quatuor non eſſe 1. pagina. 10. neque eſſe 3. pag. 191. *paroxyſmorum cauſam*, neque conuenire 2. pag. 32. *elementis*, neque *morborum eſſe* 3. pag. 293. *cauſas*, non 2. pag. 18. *turbari à morbis*; non 3. pag. 191. *putreſcere* in corpore, aut *purgari*.

Hęc & ſimilia proferunt contra humorum Theoriam; quibus autẽ rationibus, ipſi ferè ignorant; duabus potiſſimùm tamen vti videntur. Prima tacta eſt à Quercetano de Hermetica humorũ anatome, in ipſius Tatrade. 7. quæ ſic poteſt in formam redigi: *Prima ratio Hermeticorũ.* Melius eſt aggregatum aliquod in ſubſtantias, quam in qualitates diſcriminari: Maſſa ſanguinea eſt quoddam aggregatum, ergo melius eſt illud in ſubſtantias diſcriminari, quàm in qualitates, ergo melius eſt maſsã ſanguineam partiri in ſubſtantiam ſulphuream, ſalinam, & mercurialem, quàm in bilem calidam, & ſiccam: in pituitam frigidam, & humidam; & in melancholiam frigidam, & ſiccam. Maior probatur à ſimili: ſicut enim in *lacte* videre eſt, in quo *ſeroſa* portio mercuriali liquori; *butyroſa* ſulphureæ; *Caſeoſa* verò ſalinę ſubſtantiæ reſpondet: Ita in ſanguine alia ſulphureę, alia ſalinæ, alia mercuriali ſubſtantiæ proportionaliter reſpondet.

Secũda ratio. Alia verò videtur aſſignari ab Hermetico in medic. labyrintho cap. 3. & eſt, quòd per quatuor humores non reſpondeatur interrogationi factæ per quid de morbis: Nam interrogati, ex quorã morbus in ſpecie ortum duxerit, benè reſpondebimus, vel ex igne, & non ex cholera, vel ex terra, & non ex

ex melancholia; vel ex aqua, & nō ex phlegmate; vel ex aere, & non ex sanguine, ergo signum est, quatuor humores nihil esse.

Hermeticarum rationū confutatio. Verum enim verò rationes istę parū roboris habent, nihilq; concludūt, & quantū attinet ad primū respōdemus, melius esse aggregatū aliquod in substantias discriminari qualitatibus elemētaribus prędītas, propterea melius est massam sanguineam in bilem, melancholiam, pituitam, & sanguinem diuidere, quæ sunt substantiæ qualitatibus elementaribus præditæ: Neque lactis similitudo difficultatem facit, quoniam aliud est loqui de his, quę specificè insunt, & aliud de his, quæ proportionaliter; si loquamur de his, quæ specificè insunt, sanguineę massæ quatuor specie humores insunt; lacti verò serosa, caseosa, & butyrosa substantia: At si loquamur de his, quę proportionaliter, dico nullum esse absurdū, si in massa sanguinea sicut, & in lacte dicamus aliquid esse, quod sulphuri, aliud quod sali, aliud quod mercurio proportionaliter, proportione inæquali, correspondet. Hinc error istorum fit clarus: Siquidem quod *analogicè* correspondet, volunt realiter, & *specificè* inesse. *Hermeticorum errores vnde.*

Quo ad secundam rationem dico, ipsos petere principium ad idē numero, & specie, quia supponunt, quod est probandum: omnis enim morbus immediatè ex quatuor humoribus, mediatè verò tantum ex elementis oritur.

Et hæc breuiter, vt Tyronum ingenia aduersus Hermetica dogmata munita, in dogmaticis decretis adolescant, & consenescant.

DE PARTIBVS.

Definitio partis. Cap. I.

CORpus, cum sit totum aliquod integrale, ideo ex partibus constat, in quas antequam diuidatur, pars definienda est. Galenus 1. de vsu part cap. 1. dixit, partem esse *corpus*, quod *vndequaq; circumscriptionem nō habet propriā, nec vndequaque coniunctum est alijs*. *Definitio partis Gal.* Cuius sensus est hic: Illa est pars corporis quanta, quæ alteri non est *continua*, sed *contigua*, velut neruus, qui carni est contiguus, non continuus. Verum enim verò hæc partis definitio est nimis ampla; amplectitur enim, quæ non sunt veræ partes: siquidem *cuticula* vndequaq; circumscriptionem non habet propriam, & vndequaq; alijs coniuncta non est, tamen cuticula non est verè pars viuens.

Fernelij ergo definitio est accipienda, qui dixit, *Pars est corpus toti cohærens, communi vita fruens, ad vsum & actionem comparatum.* *Fernelij definitio optima.*

In hac enim definitione omnes cuiuscunque speciei partes comprehenduntur; Dum dicitur esse *corpus toti cohærens*, exprimitur pars quatenus pars; toti enim cohærere, est, esse contiguum. Quando subiungitur; *communi vita fruens*; partes quæ similares sunt, intelliguntur, quę propriè nutriuntur;

tur; Quādo subiungitur; *Ad vsum & functionem comparatum*; partes quæ compositæ, & dissimilares sunt, exponuntur, quibus vsus, & actio propria debetur, vt clarius in sequentibus apparebit.

Diuisio partium. Cap. II.

Prima partiū diuisio.

EX proposita partis finitione, partiū diuisio colligitur. Prima diuisio est, quòd partium, aliæ sunt *similares*, aliæ *dissimilares*. Partes similares sunt simplices, nō ex alijs compositæ, ideo corporis, & hominis *propria elementa* dicūtur, ab aliquibus *prima corpora*; ab alijs *genuina*, tanquam primogenitæ, ab alijs *elementares*, *solidæ* etiam dicūtur, eò quia corpus, quod est solidum, ex ipsis componatur: Pars verò *similaris* sic definitur ab Auicenna, *esse, cuius portio est eiusdē nominis, & eiusdem rationis substantiæ cum toto* v.g. quælibet portio carnis, est caro; ideò caro est pars similaris: Similiter quęlibet nerui pars, est neruus, ideo neruus est pars similaris, & omnino omnis pars, quæ simplicis substantiæ est, similaris dicitur.

Definitio partis similaris.

Quid dissimilaris.

Pars *dimissilaris* ex aduerso, illa est, quæ ex multis similaribus constat; idcirco *secūdæ, compositæ, & diuersæ speciei particulæ* dicuntur, quę sūt in quadruplici specie.

Prima species dissimilarium.

Prima species est partis dissimilaris compositæ *ex partibus similaribus*, vt musculus ex osse, carne, fibris, & cęteris, quę similares sūt.

Secūda species.

Secunda species est partis dissimilaris compositæ *ex primis instrumentis*, vt digitus compositus ex musculis, qui musculus est dissimilaris.

Tertia species.

Tertia species est partis dissimilaris compositæ *ex secundis instrumentis*, vt pes compositus ex digitis.

Quarta species.

Quarta species est partis dissimilaris compositæ *ex tertijs instrumentis*, vt crus compositum ex pede.

Differentia inter instrumentū, & partem instrumentariam.

Obseruandum tamen, aliud esse dicere *partem instrumentariā*, & aliud dicere *instrumentum*: Nam pars instrumentaria est instrumētum, sed non conuertitur, quia nō omne instrumentū est pars instrumentaria: omnis quidem pars instrumentaria est ex alijs composita, vt supra dictū est, & consequenter instrumentū est: At verò instrumentum potest esse pars simplex, dummodo perfectam edat actionē, veluti sunt neruus, venę, & arteriæ, partes simplices sunt; non enim cōponuntur ex alijs, ideo nō sunt partes instrumentarię, sunt tamen instrumentū, quia edūt actionem perfectā, neruus spiritus animales, vena sanguinē, arteria spiritum vitalem, perfectè distribuūt: Pars ergo instrumentaria, & instrumentum non dicuntur ad conuertentiam; Hinc Fallopij error, qui voluit idem esse: Et hęc est prima partium diuisio.

Secūda partiū diuisio.

Partes principes.

Secunda partium diuisio est. Partium, aliæ sunt *principes*, alię sunt *ministrantes*: Principes sunt, quæ vel faciunt ad totius corporis cōseruationem, & sunt tres *Cor, cerebrum*, & *hepar*, tanquam facultatum rectricū sedes, & fontes; Hepar enim est fons *facultatis naturalis*;

ralis;Cor vitalis, cerebrum *animalis*: vel faciunt ad *speciei propagationem*, suntq; testes. Partes *ministrãtes* sunt,quæ principibus ancillantur, suntque,

Ministrãtes.

Venæ.

Arteriæ.

Nerui.

Vasa seminaria.

Venę iecori inseruiunt,pro sanguinis distributione.

Arteriæ cordi, pro spirituum vitalium dispensatione.

Nerui cerebro, pro spirituum animalium irradiatione.

Vasa spermatica, idest, seminaria,testibus deseruiunt,pro seminis distributione.

Tertia partiũ diuisio. Tertia partium diuisio; partiũ, *alia sunt, quæ aliunde gubernantur*; aliæ verò,quæ à *seipsis gubernantur*.Quæ aliunde gubernãtur, sunt omnes partes instrumẽtariæ, quæ cùm ab alijs dependeant, ab alijs etiam gubernantur, vt ventriculus,qui per neruos a cerebro; per venas à iecore; per arterias a corde,vim acquirit.*Quæ à seipsis, gubernantur*, sunt omnes partes similares,quę eum ab alijs non pẽdeant, sed solum à seipsis, ideo à seipsis etiam custodiuntur, vt os, caro,& similes,quæ propria insitaque vi nutriuntur,& gubernantur, non aliunde mutuata. Et hæc est vniuersalis partium corporis humani diuisio. Reliquum est,vt facta quadam veluti aphoristica anatome,omnes corporis humani partes vobis proponantur, inchoantes ab ossibus, tanquam à fundamento,& fulcro cęterarum corporis partium.

De Ossibus. Cap. II.

OSsa, quæ in humano corpore reperiuntur,sunt in numero *trecenta*, & *quatuor*, quæ quadruplici classe sic à nobis ordinantur. *Numerus ossium.*

Sub prima classe sunt *ossa capitis*.

Sub secunda classe sunt *ossa Spinæ*.

Sub tertia classe sunt *ossa manus*.

Sub quarta classe sunt *ossa cruris*,& eorum quæ huic connectuntur. Incipiamus a prima classe ossium capitis.

De Ossibus capitis. Classis prima.

OSsa capitis diuiduntur generali diuisione,

In ossa caluariæ.

In ossa maxillæ superioris.

In ossa maxillæ inferioris.

Ossa caluarię sunt *octo*,quorum *decem* sunt *processus*.

Primum os dicitur *os frontis*, & est vnicum aliquo modo orbiculare, cuius duo processus sunt, vnus in vno.

Duo sunt in capitis lateribus, vt *parietes* locata, quæ *parietalia* dicuntur.

Quartum est occipitis, & est vnicum.

Quintum, & sextum *petrosa* dicuntur,vtrimq; vnum ad suam aurem existens.

Processus ossis Petrosi.

EX osse Petroso octo processus oriuntur.

Duo

Duo primi sunt tenues, styloq; scriptorio similes, qui propterea *styloiedes* appellantur.

Duo sunt alij vaccini veteris papillę similes *mammillares* dicti.

Duo sunt alij, qui *iugales* dicuntur, eo quia medium *os iugale* efficiant.

Duo sunt alij qui à similitudine præruptæ petræ, & rupis imagine, *dirupati* dicuntur, qui à posteriori, & inferiori parte ossis petrosi oriuntur, & cum osse occipitis vniuntur.

7. Septimum, *os palati* dicitur, quia respicit palatum: dicitur etiã *basilare*, quia cerebro subsistratũ, est eius veluti basis, & aliorum ossium caluariæ.

Processus Basilaris.

EX hoc osse quatuor processus, vtrinque duo assurgunt, ad instar vespertilionum alarum, qui propterea *vespertiliones* dicũtur.

8. Octauum os caluariæ *ethmoide* dicitur, cribratum, quia instar cribri peruium est; colatorium quia per id excolatur pituita in nares, & est odorum gratia peruium, & instrumentorum olfactus sedes.

Ossa aurium.

IN auris meatu tria sunt officula, vtrinque tria.

Stapes, stapedi similis.

Incus, incudi similis.

Malleolus, malleo similis.

Et hæc sunt caluariæ ossa, & quę caluariæ inexistunt, quæ octo sunt caluariæ.

Sex aurium.

Quatuordecim processus.

Aliqui adijciunt *os iugale*, & os dirupatum, sed hi sunt processus, non ossa *per se existentia*, vt dictum est.

De ossibus maxillæ superioris.

IAm dicamus de maxillæ superioris ossibus, quæ cum capiti inexistant, ideo sub prima classe continentur.

Ossa quę superiorem maxillam vniuersam integrant, exceptis dentibus, sunt quindecim.

Prima tria officula in summa narium cauitate reperiuntur *tenuia, & fungosa*, quæ in viuis mẽbranosa videntur, in exsiccatis autem caluarijs, *cartilaginea* obseruantur. 3.

Duo sunt alia, vtrimq; vnum, quod alteram partem ossis iugalis constituit, totumq; angulum oculi minorem. 5.

Duo sunt alia, vtrimq; vnum, quod veluti squama tenue in angulo oculi maiore constitutum, vbi *caruncula* Rhias existit, quod *cauitatem lacbrymalem* efficit. 7.

Duo sunt alia, vtrimq; vnum, quod est quadrangulum tenue, & squameum, occupans totum latus anguli maioris. 9.

Duo sunt alia, vtrimq; vnum, quod est omnibus maius, sibi dentium superiorum alueolos insculptos habens. 11.

Duo sunt alia, vtrimq; vnum, quod extimas nares efformat, durum, oblongum, & potius quadrangulum. 13.

Duo

15\. Duo sunt alia, vtrimq; vnum, quod extremam palati partem efformat, qua nares in fauces desinunt.

De ossibus maxillæ inferioris.

Maxilla inferior ex vno osse tantum sibi continuo constat, & ex quatuor processibus.

Os est longum à digito pollice vsque ad minimum tota manu extensa, & mediocriter incuruata; est latum ad duos digitos, & nisi in mento latum esset, sed acutum, hoc os formam triangularem præ se ferret.

Huius quatuor in elatiori parte sunt processus *bicornes* ex se quasi semilunam efformantes, quę mandibulæ *cornix* appellatur.

Primi duo processus sunt lati vtrimque vnus; reliqui verò duo sunt acuti, vtrimque vnus.

De Dentibus.

Dentes in numero sunt, modò *triginta*, modò *triginta duo*, quindecim, vel sedecim in alterutra maxilla.

Quatuor sunt in vtraq; maxilla *lati*, & *acuti* instar cultri, qui *inciforij*, *diuisores*, *concisores* & *τομικοὶ* dicuntur, eo quia incidāt, & diuidant cibum.

His succedunt quatuor alij, in vtraque maxilla duo, qui *canini* dicuntur, quia sunt instar dentium canis.

His succedunt *decem*, in vtroq; latere maxillæ *quinque maxillares* dicti à loco cui insunt, *molares* etiam dicuntur, quoniam cibaria terunt.

Horum postremi, qui gingiuæ vltimæ hęrent, *genuini* à Plinio dicuntur, vel *serotini*, vel dentes sapientiæ dicuntur, quia serò oriuntur, & quandoq; anno octuagesimo, vt refert Aristoteles 5. de gen. animal. vlt.

Aliqui his capitis iam enumeratis ossibus, adijciunt *os hyoides*, verùm cum infra caput existat, ideò ad secundam ossium classem refertur.

De ossibus Spinæ. Classis secunda.

In hac classe reponuntur ossa;

Spinæ.
Costæ.
Os Pectoris.
Os Cordis.
Scapulæ.
Et Os ad radicem linguæ.

De Ossibus Spinæ.

Ossa Spinæ in quinque partes diuiduntur in

Ceruicem.
Thoracem.
Lumbos.
Os sacrum.
Et Coccyge.

Ceruix siue collum, *τράχηλος* græc. ex septem ossibus constat, quæ *vertebræ* dicuntur, eo quia *verticillorum*, quibus mulieres fusos aggrauant, figuram referant. Harum vertebrarum ceruicalium tres sunt nomine insignitæ, prima, secunda, septima.

Pri-

Prima *circularis* dicitur, eò, quia capiti immediatè substrata, illud circularibus motibus, etiam quiescente collo, agitat.

Secunda *dentiformis* dicitur à quodam processu *denti canino* humano similis, quo mediante processu prima vertebra cum secunda articulatur.

Septima *athlantius nodus* dicitur, eo quia, Athlautis instar, totius colli molem sustineat.

Cæteræ quatuor vertebræ ceruicales, & spinosę communi nomine appellantur.

In his autem vertebris considerandi sunt *processus*, & *corpora*.

Corpora vertebrarum ceruicis non sunt velut aliarum protuberantia, sed *plana*, ad hoc ne æsophagus, & aspera arteria comprimerentur, sicque cibi, & aeris ingressus impediretur.

Quoad processus, hi sunt in duplici discrimine, alij *bifidi*, & *spinosi* dicuntur; alij *transuersi* & *perforati*. Omnes vertebræ ceruicis habent processus transuersos ad latera, manifestis foraminibus peruia, ad hoc vt per ipsa à iugulo ad caput, arteriæ, & nerui prorepent; ex quorum vasorum sectione, vel vstione, *steriles Scythæ reddebantur*.

Verum processus bifidos, & spinosos solæ quatuor vertebrę potitæ sunt, ad musculorum insertionē videlicet tertia, quarta, quinta, sexta. Et hæc de vertebris ceruicalibus.

De vertebris Thoracis.

Quoad numerum, vt plurimū duodecim sunt, in aliquibus vndecim, correspondentes vndecim costis; In aliquibus tredecim.

Quo ad nomen, tres nomine potiuntur, prima, secunda, & duodecima. Prima dicitur *Asphalia*, idest, firma & solida. Secunda *Maschalitis*, idest, axillis vicina. Duodecima *Diazoster* a diaphragmate, eo quòd diaphragmati subsit.

Cęterę, thoracicæ vertebrę communi nomine dicuntur.

Quo ad harum vertebrarum corpora, hæc protuberantia sunt, ideo, quia ventriculus his incubat, ne ab his durius premeretur, natura ventriculo *Pancreas* supposuit, tanquam puluinar aliquod.

Quo ad processus, hi sunt transuersi ad latera vertebrarum, duosque sinus efformant, quibus costæ duabus se affigunt costis, & quia sursum respiciunt, idcirco processus *ascendentes* dicuntur.

Præter transuersos, sunt etiam *spinosi*, qui cum deorum respiciāt, ideo *descendentes* dicuntur: Et notādum est, inter corpus, & corpus vertebræ, interiectas esse *cartilagines*. Et hæc de vertebris Thoracis.

De vertebris Lumborum.

Vertebræ lumbales quinque sunt, cæteris alijs longè maiores. Quoad nomen, prima, & vltima

tima nominantur; prima, quæ immediatè thoracicis subest, *nephritis* dicitur, eo q̃a huic rhenes adiaceãt. Vltima *Asphalitis* dicitur, idest, tuta, quia in osse sacro fundatur.

Hæ vertebræ suos habent processus spinosos, *rectos*, & non *depressos*, sicut vertebrę Thoracicæ: habẽt & *processus transuersos* insignes, ad hoc factos, vt venæ cauę, & arterię magnę bifurcationes sustineant. Et hęc de vertebris lumborum.

De Osse sacro.

OS sacrum sub lumbalibus vertebris locatum, *sacrum* dicitur, quia magnum: In hoc consideratur quantitas, & figura.

Quo ad quantitatem, hoc os cõstat ex *sex partibus* vertebralibus inuicem subalternatis. Ex *tribus* processibus spinosis, vel *quatuor*. Et in sui extrema superficie, plura veluti *condylomata*, musculorum connexioni inseruientia, cõtinet.

Quoad figurã; os sacrum est *incuruum*, exterius *gibbum*, *asperum*, intus *cauum*, nulla asperitate donatum, sed omnino *æquale*, *& lene*, vt tutò intestinum rectũ, vesicam, & vterũ recipiat. Habet *decem* foramina, in vtroq; latere quinque, per quę foramina egrediuntur nerui, quorũ aliquot coniuncti, maximum totius *corporis neruum* efficiunt, qui per tibię postrema versus pedes se extendit. Et hæc de osse sacro.

De Coccyge.

HOc os dicitur *Coccygis* per similitudinem cum rostro cuculi auis; os etiam caudæ dicitur; est enim tanquam additamẽtum, & appendix ipsius spinæ.

Hoc os molle est, constat enim ex *quatuor* minutis, mollibus, & cartilagineis ossiculis, & à cæteris spinæ partibus multũ dissimile est: Nam, nec foraminosum, nec cauũ, nec medullam recipit, nec neruos emittit; in adultis osseam duritiẽ obtinet. Huic ossi *sphincter intestini recti* annectitur, & hæc est causa, propter quam pueri *ani procidentiam* faciliter incurrant, propter laxitatem, & humiditatem. Huic etiam ossiculo os vteri incubat; Et hæc est ratio, cur *iuuenculæ* facilius pariant, quàm annosæ, quia ossiculum, ori vteri aperto, facilius cedit. Et hæc de ossibus spinę.

De Costis.

CIrca costas obseruanda sunt, numerus, figura, connexio, differentia, & quæ subijciuntur.

Numerus costarũ est, vt vtrimque *duodecim* sint, rarò autem tredecim.

Figuram *semiuocalem*, & longã habent, & in superficie interna, secundum costæ longitudinem, *sinus quidam* excurrit.

Connectuntur vertebris dorsi, & septẽ sublimiores suis cartilaginibus ossi pectoris cõnectũtur. Costæ sunt in duplici *differentia*; Nã

aliæ sunt *legitimæ*, aliæ sunt *spureæ*: legitimę sunt *septem*, quæ nedum vertebris, verùm etiam ossi pectoris copulantur; quinque inferiores sunt *spuriæ*, quæ quidem vertebris coniunguntur, ad pectoris autem os non pertingunt.

Quę continentur sub costis partes, *hypochondria* nuncupantur.

De osse Pectoris.

OS pectoris *sternon* appellatū, in quadrupedibus ex *septem* ossibus constat; In homine, ex *tribus*.

Primum os pectoris, *iugulum* dicitur, cuius situs in elatiori pectoris parte est, forma verò *lunata* est, & à vulgo furcula inferior dicitur.

Secundum os, seu potius cartilago, est in inferiori pectoris parte super ore ventriculi superiori, quę cum obtuso gladij mucroni persimilis sit, ideo *Xiphois* cartilago, idest, *ensiformis* nominatur: *Mucronata, malum granatum* dicitur quia refert apicem pomi granati: *Scutalis, cultralis* dicitur: *Epiglottalis* quoque, eo quia Epiglottidi similis sit, & *anima* à mulierculis dicitur, eo quia in doloribus ventris ita consentiat os ventriculi substratum, vt animo delinquant.

Tertium os est medium inter primum, & secundum.

De osse gutturis.

SVpremæ gutturis parti, ad linguæ radicem, extat vnicum ossiculum, quod à figura literæ Υ, *hyoides* dicitur, & à litera Λ. *Lamdoides*: hoc, vt plurimum, ex *vndecim* ossibus constat.

De osse Cordis.

IVxta basin cordis, vbi aortæ, & venæ arteriosæ, & earundem membranarum radices existunt, ossiculum quoddā reperitur, quod cordis os appellatur.

De Scapulis.

CIrca scapulas obseruantur *forma*, & *processus*.

Quo ad formam; hoc os *triangulare* est: Processus sunt duo; Primus articulū humeri in accliuiori parte attingit, & *acromiō* dicitur; idest, summus humerus. Secundus processus est inferior, & anterior, qui cum cauus sit, instar literæ Σ, ideo *Sigmoides* dicitur; ab alijs, quoniam imaginem refert alterius anchoræ partis, quæ terræ infigitur, ideo ancyroides appellatur; à nonnullis, quia corniculæ rostrum repræsentat coracoides appellatur.

De Clauiculis.

CLauiculæ sunt *duæ*, vtrimq; ie vna, quæ & summo humero, & iugulo annectitur: pars clauiculæ, quæ ossi pectoris annectitur, *parasphagis* dicitur; quæ verò summo humero implantatur, *Epomis*. Et hæc de ossibus Thoracis sufficiant.

De

De ossibus manus: Classis tertia.

SVb tertia hac ossium classe cõtinentur,
Humerus.
Cubitus.
Et summa manus.

De Humero.

ILlud os, quod est à scapulæ processu vsque ad cubitum, *humerus* dicitur, *brachium*, & adiutorium brachij.

Hoc os ea parte, qua cubito anectitur, sinum continet cum tribus tuberibus, qui sinus, cum sit similis rotulæ trochleę, ad quam funes voluuntur, ob id humeri *rotula* dicitur.

De Cubito.

PArs illa tota, quæ inter humerum, summamq; manum, est, cubitus nuncupatur, qui ex duobus ossibus integratur inuicem coarticulatis.

Os inferius, quod est longius, à latinis *vlna*, à barbaris *focile maius* dicitur.

Os superius, quod est breuius, *focile minus* dicitur, à latinis *radius*, vocitatur.

Vlna habet processus duos in elatiori parte, tertium in inferiori.

Primus processus in elatiori loco internus minor est, rotulæ quę tuberibus concinnè respondet.

Secundus processus in elatiori loco, externus est, maior, crassior, magisq; extuberans, & rotundus qui propterea *gibber* dicitur.

Tertius processus est in decliuio ri loco, ea parte, qua digitum minimũ respicit. & quoniã styli Scriptorij imaginem repręsentat, ideò processus *Styloides* nuncupatur.

De summa manu.

SVmma manus constat ex tribus partibus, ex
Brachiali.
Postbrachiali.
Digitis, & ossibus Sesamoidibus.

De Brachiali.

EA pars, quę vlnę, & radio articulatur, *carpus* dicitur, vel *brachiale*, vel *raseta*, & ex *octo*, forma, & magnitudine parum differentibus ossibus, duplici ordine accommodatis, constat.

De Postbrachiali.

EA pars, quæ ab octo iam positis ossibus, vsq; ad digitorum radices, extenditur, *metacarpus*, & postbrachiale nominatur, ex quatuorque ossibus constat, quæ cæteris digitorum ossibus longiora sunt.

De Digitis.

DIgiti sunt numero *quinque*, vnusquisq; digitus ex *tribus* ossibus seriatim, vno post aliud posito, constat, propterea *phalanges*, *caterua*, *agmina*, *acies*, *internodia*, & *articuli* dicuntur.

Primus digitus, *Pollex*, promanus, nuncupatur, eo quia cæteris maior sit, alijque hoc egeant, ipsisque quatuor alijs æquipollcat.

Secūdus *Index* nominatur, quia eo indicamus.

Tertius, medius, *impudicus*, *infamis*, & *verpus* dicitur, à verrendo podice sic dictus.

Quartus, *annularis*, ab annuli gestatione; medicus ab alijs vocitatur.

Quintus, minimus, paruus, & *auricularis* dicitur, quia ipso aurium sordes expurgentur.

De ossibus Sesamoidibus.

Recentiores officula quædam adinuenerunt in digitorum articulis, quæ cum Sesami leguminis specie conueniant, ideirco *Sesamina* appellarunt: In hunc finem digitis concessa, vt sint tanquam fulcimentum digitorum, ne tam facilè luxentur, & laxentur: hæc in vnaquaque manu duodecim sunt.

Duo in *secundo* pollicis articulo.

Duo, sed minora, & impensè cartilaginea, in primis *quatuor* digitorum articulis, quæ sunt decem.

Vnum in tertio pollicis articulo, quæ sunt vndecim; Et vnum ad os brachiale paruum digitum sustinens, quæ sunt duodecim.

In reliquis digitorum articulis, vix vnum reperitur, nisi in valdè senibus.

De ossibus Cruris: Classis quarta.

Sub quarta classe continentur os innominatum,
Femur.
Tibia.
Ossa pedis.

De osse innominato.

Pergrande os, vtrimque vnum, ad ossis sacri latus, est, cui toti simul non est inditum nomen, & quamquam sibi ipsi continuum sit, attamen in tres veluti sedes diclusum est.

Prima superior ampla, & lata, quæ ilia & lumbos respicit, *os ilium* appellatur.

Secunda, quæ in sui cardine, os femoris admittit, *os coxendicis* appellatur.

Tertia, quæ vna cum opposita in pube committitur amplo foramine perforata, *os pubis*, vel *pectinis* dicitur.

De Femore.

In hoc osse perpenduntur *magnitudo*, *dearticulatio*, *figura*, & *processus*. Quoad *magnitudinē*, hos os incipit ab articulo coxendico, & vsque ad genua, à græcis *Gonata* dicta, protēditur. Os istud in sui ceruice, *duos* habet *processus*, quorū alter magnus est, & exterior in posteriora inclinans, & *magnus rotator* dicitur, quia est omniū aliorum processuum maximus. Alter processus est internus, ad posteriora vergens, & mediocriter oblongus, & *minor rotator* di-

dicitur. Quoad dearticulationem, hoc os, rotundo capite, coxæ inarticulatur; duobus autē capitibus grandioribus, in tibię ossis sinus intrat. *Figura* huius ossis talis est, vt posteriori parte depressum, in anteriori elatum sit, ideo recuruū.

De Tibia.

EA pars, quæ est à genu ad talum, *tibia* dicitur, ex *duobusque* constat ossibus; alterum est internum, aliud externum. Os internum, quod est crassius, & grandius, *tibia* vocatur; quæ duplicem habet partem, anteriorem, & posteriorem. Anterior tibiæ pars tenuis, excarnis, & insigniter gibba est, *anticnimion* à græcis dicitur. Posterior, quæ caua est, & pulpæ locus, *sura* nuncupatur.

Os externum tenuius *tibia*, *fibula* appellatur. Horum duorum ossium imæ partes, quæ talo committuntur, exteriori suo latere gibbę, & nulla musculi parte obtectę, *malleoli* dicūtur: Exterior quidem fibulæ, interior autem tibiæ.

In superiori autem parte, ante femoris, tibiæq; articulū, os quoddam rotundum, & breui scuto simile, præponitur, quæ *mola*, *patella*, & *genu rotula* dicitur. Et hæc de tibia.

De ossibus pedis.

PEs *septem* donatur ossibus.

Primum os, quod ab imis tibiæ, & fibulæ ossis appendicibus continetur, maiori sui ex parte, *Talus* nominatur, à vulgo *os balista*, quia formam nucis balistę referat.

Secundum os pedis, quod talo subijcitur, omnibus pedis ossibus lōgè maius, & crassius, *calcaneus*, seu *os calcis* dicitur.

Tertium os, quod talo coniungitur, quia nauis, vel cymbæ figuram refert, ideo *os nauiculare*, & *nauiforme* nuncupatur.

Quartum os, quod *tarsus* dicitur, non est nisi quatuor ossium series, quorum tria ossi nauiculari coarticulantur: Quartum verò exterius situm est, *tessera*, & *cubo* simile, quadratum, & calci adiungitur.

Sub his quatuor tarsi ossibus subest *pedion*, idest, planta.

His pedis ossibus, ossa digitorū fulciuntur, quorum pollex ex *duobus* tantum constat ossibus, reliqui autem ex *tribus*.

In cæteris, *ossicula Sesamina*, totidem in digitis pedum, quot in manuum digitis, existunt.

Et hæc de ossibus humanum corpus integrantibus. Remaneret vt de cæteris corporis partib. sermonem haberemus; verum quia ita nunc prę sentes non sunt, quemadmodum ossa, idcirco ad Anatomen referendæ sunt, anno enim, quo meam celebrabo anatomen, aphoristicam quandam anatomiā in lucem edam, qua scholares poterunt maiori cum fructu sectionem intelligere.

Placuit tamē tres disertissimas quęstiones de partibus similaribus hic annectere, quarum difficultates, cum continuo in ore omnium sint, idcirco vtilissimū existimaui eas

eas subscribere, ac diligenter discutere, vt medicinę Tyrones sciant, quomodo in ipsis gerere se debeant.

TRES QVAESTIONES de partibus similaribus.

De parte in genere.
Quæstio I.

Tres partiũ definitiones.

TRes circumferũtur partis definitiones; prima est partis, quatenus est pars. Secunda est partis viuentis, vt similaris. Tertia est partis, vt pars, partis viuentis, vt similaris, & vt dissimilaris. Prima est Galeni, 1. de vsu par. cap. 1. Secunda est Auicennę, Fen. 4. lib. 1. doct. 5. c. 1. Tertia Fernelij, lib 2. de el. cap. 2. quas tres definitiones sigillatim oportet declarare, & difficultates omnes enodare, vt perfectè natura partium nobis innotescat.

Prima est Galeni. Secũda est Auicennæ. Tertia est Fernelij.

Exordiemur à definitione Galeni, qui loco cit. sic partem definiuit. *Pars est corpus, quod nec vndequaq; circumscriptionem habet propriam, nec vndequaq; coniunctum est alijs.* Cuius partis naturam eodem sensu definiuit idem Galenus dicens. lib. 1. de el. cap 6. & 1. meth. cap. 5. *pars est quidquid totum complet, & integrat.* Quæ definitio est partis integralis, vt pars, estq. optima, quia constat ex genere, & differentia: Genus definitionis est, quando habet: *pars est corpus*: Corpus enim est genus, quod dicitur de toto & de parte;

Genus definitionis.

Totum enim corpus est vnum, & pars corporis est etiam corpus, sed non vnum; optimè igitur dixit, pars est corpus, quia si dixisset pars est pars, tunc non definiuisset, sed ad idem numero, & specie nugatus fuisset.

Differentia definitionis.

Cæteræ particulæ sunt differentia constitutiua partis, quæ ita constituit partem in esse specifico partis, vt eam faciat differre à parte, vt viuens est; Enim verò, vt hæc definitio optimè intelligatur, cum alioquin difficilis sit, & altas considerationes contineat, quæ hucu'q; a nemine declaratæ fuerunt, ideirco tres termini sunt declarandi; primus est *circumscriptio*, Secundus est particula *vndequaq;*. Tertius est, *coniunctio*.

Tres termini definitionis.

Quid circumscriptio.

Per circumscriptionem propriã credo, Galenum intelligere propriam cõformationem, quæ consistit in numero, figura, situ, & quanto. Corpus enim animalis talibus conformatur, & circumscribitur. Per *vndequaq;* Galenus intelligit, non solum vndequaq; secundum seipsum, verum & vndequaque secundum alienum. Per *coniunctionem*, nõ intelligit vnitatem, vt dicit vnum per se, indiuisum in se, & diuisum ab alio; Sed per coniunctionem intelligit duorum vnionẽ per quantitatem discretam. Stante ergo declaratione horum terminorum, iam emergunt de toto, & de partibus propositiones per se, & vniuersales; & primò quidem talis demonstratio oritur de toto.

Quid per vndequaq;

Quid coniunctio.

Demonstratio de toto animali.

Quod habet vndequaq. circumscriptionem propriã, illud non est coniunctũ alijs, sed est vnũ per se.

Vnum-

Vnumquodq; animal, habet vndequaq; circumſcriptionem propriam, ergo non eſt coniunctum alijs, ſed eſt vnum per ſe, quod dicit indiuiſionem in ſe, & diuiſionem ab alio.

Cur animal ſit vnum ſimpliciter.

Maior eſt clara; quod enim habet circumſcriptionem vndequaque propriam à ſeipſo, vt non circumſcribatur ab alio, illud eſt ſeiunctum ab alijs, & eſt vnum ſimpliciter. Minor eſt clara: Nam animal ſecundum ſe totum vndequaque habet circumſcriptionē propriam, & non circumſcribitur ab alieno, propterea eſt omnino ſeiunctum ab alijs, & eſt vnum ſimpliciter. Nec aliquis credat eſſe nugationem dicere, quod habet vndequaque circumſcriptionem propriam, & non circumſcribitur ab alio; nam mox videbitis, ſimul ſtare abſque contradictione, aliquid circūſcriptionem vndequaq; habere propriam, ac tamen circūſcribi ab alieno. Eſt ergo propoſitio per ſe in ſecundo modo, & vniuerſalis, quod vndequaq; circumſcriptionē habet propriam, illud non eſt coniunctum alijs, quia cōuertitur; quod non eſt coniunctum alijs, illud habet circumſcriptionē vndequaque propriam; & eſt in ſecūdo modo per ſe, quia ſubiectum habere vndequaq; propriam circumſcriptionem, eſt cauſa prædicati, non eſſe alijs coniunctum; Nam, eatenus aliquid non eſt coniūctum alijs, quatenus vndequaq; circumſcriptionē habet propriā.

Ex his elicit Galenus, quòd ſicut totum ſe habet ad aliud, ita pars ad totum; totum reſpectu alterius eſt vnum per ſe, ab alijs diſtinctum, ergo vnaquęq; erit vna pars, ſed non eſt vna ſimpliciter, quia ſi pars eſſet vna ſimpliciter, iam eſſet ab alijs ſeparata, & ſic non eſſet pars, ſed totum: Sed pars dicitur vna, ſecundum quid, quia eſt alijs coniuncta, non eſt autem vndequaque coniuncta; quia ſicut vndequaq; ſeparata, nō eſſet pars, ſed totum, ita ſi eſſet vndequaque coniuncta per quantitatē cōtinuam communi termino cum toto copulatam, iam nō eſſet pars, ſed totum; pars ergo, nec vndequaque eſt ſeparata, nec vndequaque eſt coniuncta, ſed eſt cōtigua; Hinc fit, quòd pars non vndequaque propriam habet circumſcriptionem, non quidem ratione ſui, quia ratione ſui propriam habet vndequaque circumſcriptionem; Neq; enim eſt adinuenire partem, quæ ratione ſui vndequaq; non habeat propriam circumſcriptionem figuræ, numeri, quanti, & ſitus; ſed dicitur non habere vndequaque propriam circumſcriptionem, ratione alterius, quia cum ſit coniūcta alijs, ideo circumſcribitur ab alijs partibus, quæ omnes ſimul circumſcribūt vniuerſum animal, quod eſt vnum abſolutè; duplex igitur eſt circumſcriptio, ratione ſui, & ratione alterius; Et ideo Galenus dixit primum, partem propriam habere circumſcriptionē; poſtea, partem non vndequaque propriam habere circumſcriptionem, quia pars & a ſeipſa circumſcribitur, & ab alijs; Eſt ergo propoſitio vniuerſalis, enūciare, quod non habet vndequaq; circumſcriptionem

Quomodo pars ſit vna.

Quomodo pars circumſcriptionem habeat propriā.

Duplex circumſcriptio.

ſcriptionem propriam, non eſt cōiunctum vndequaq; alijs, & è conuerſo; & eſt in primo modo per ſe, ad differentiã ſuperioris, quæ erat in ſecundo modo. Nam prędicatũ, non eſſe vndequaque coniunctum alijs, eſt cauſa ſubiecti, non habere vndequaq; circumſcriptionẽ propriam; Demonſtratio autem ſic fieri poteſt.

Demonſtratio de parte.

Quod vndequaq; (ꝓpoſitio poteſt fieri affirmatiua per omne cui nulli) non eſt coniunctum alijs, id non habet vndequaq; circumſcriptionem propriam, pars vndequaque non eſt coniuncta alijs, ergo Pars vndequaque non habet circumſcriptionẽ propriam: Quamobrem pars corporis eſt illa, quæ nec vndequaq; circumſcriptionẽ habet propriam, nec vndequaque coniuncta eſt alijs: & ex his apparet, quàm mirabilis ſit hæc propoſitio, & definitio partis Galeni, & quàm neceſſarias illationes in ſe contineat.

Dubitationes.

Sed iam aduerſus hanc definitionem oriuntur difficultates: Prima, ſi hæc partis definitio eſſet bona, ſequeretur, quòd pars eſſet totum, vel ratione totius, vel ratione partis, conſequens eſt falſum, ergo definitio partis Galeni eſt falſa. Probatur conſequẽtia: Quod vndequaque circumſcriptionẽ habet propriam, id, vel eſt vndequaque cōiunctum alijs, vel vndequaque ſeparatum, pars vndequaque circumſcriptionẽ habet propriã, ergo, vel eſt vndequaque alijs coniuncta, & ſic erit tota, ratione totius, vel eſt vndequaque ſeparata ab alijs, & ſic erit tota, ratione partis; Et ſic pars erit totum, & vnum abſolutè.

Solutio.

Soluitur difficultas per id, quòd circumſcriptio eſt duplex, *ratione ſui*, & *ratione alterius*: pars habet circumſcriptionem vndequaque propriam ratione ſui, ſed præter propriam, habet etiam alienam, quia circumſcribitur ab alijs partibus, quibus eſt coniuncta.

Inſtantia.

Sed adhuc inſtatur; ſi circumſcribi ab alieno, eſt non habere circumſcriptionem vndequaq; propriam, ergo totum non habebit vndequaq; circumſcriptionem propriam, & ſic totum erit coniũctum alijs: Probatur conſequẽtia. Quia totum circũſcribitur a partibus, immò totum minus habebit circumſcriptionem propriã, quàm pars, quia totum, ſecundum ſui totum circumſcribitur à partibus; pars verò, præter alienam, habet quoq; propriã circumſcriptionẽ.

Solutio.

Tollitur difficultas, quia totum dupliciter poteſt ſumi, vno modo in ſe, vt totum eſt, alio modo, vt refertur ad partes: Si conſideretur totum reſpectu partium, & quis dubitat, totum circumſcribi a ſuis partibus. Sed ſi totum conſideretur in ſe, iam dicitur habere propriam vndequaq; circumſcriptionem, quia non eſt coniunctũ alijs, ſed eſt vnum per ſe, quod de parte dici non poteſt: pars enim præter propriam circumſcriptionẽ, ſicut coniungitur alijs, etiam circũſcribitur ab alijs.

Hanc partis Galeni definitionẽ, mirificè complexus eſt Fernelius, quando dixit, *toti cohærens*. Et hęc pro definitione partis, vt pars.

De

De definitione partis viuentis similaris. Quaestio II.

Argumenta in oppositum. ARguitur in oppositum, nullã dari partem similarem. Primò sic: Quod componitur ex alijs, illud non est simplex; sed ex Galeno 1. de elem capit. 8. & 1. de sem. partes similares componuntur ex humoribus, & ex elementis, ergo nulla datur pars similaris.

Secundò, nulla pars organica est similaris, sed omnis pars similaris est organica, ergo omnis pars, quæ ponitur similaris, est realiter dissimilaris. Minor est clara; Illud est organicum, quod sitũ, numerum, quantum, & figuram habet: hi enim sunt characteres organizationis; sed omnis similaris proprium situm, formam, numerum, & quantitatem habet, ergo omnis pars similaris est realiter organica.

Tertiò, vnaquæque similaris ex Galeno, 10. meth med. cap. vltim. constat ex triplici substantia, carnosa, fibrosa, & membranosa, ergo omnis dicta similaris est realiter dissimilaris; quomodo autem vnaquæque similaris ex triplici fiat substantia, declaratur à Fernelio, lib. 4. de cal. inn. cap. 5.

Quartò, ex Galeno lib. de art. medic. capit. 9. partes similares sunt, quæ per se primò à se ipsis reguntur, sed nulla pars similaris a se regitur, ergo nulla est pars similaris. Minor probatur, a se ipso regi, est insitam facultatem in sui substantia continere: sed nulla pars similaris in sui substantia similari insitam facultatem continet, ergo nulla datur pars similaris. Probatur minor ex Galeno in libris de placitis passim, dicente, hepar esse fontem facultatis naturalis, & ab ipso partibus omnibus communicari, sed quod communicatur ab alio, non regitur à se ipso, ergo nulla pars similaris habet insitam facultatem, ergo nulla pars similaris est similaris.

Quintò, hoc idem inductione omnium similarium probatur, nullam dari partem similarem.

De ligamento. Primò, quidem, nam ligamentum creditur similare, cum tamen sit dissimilare; quia quod componitur ex alijs partibus, illud est dissimilare: ligamentum componitur ex alijs partibus, ergo est dissimilare: Minor probatur ex Galeno, 1. meth. capit. 6. dicente ligamenta constare ex fibris, sed fibra est pars, ergo ligamentum non est pars similaris, quia non est prima.

De tendine. Secundò, tendo creditur similaris ab Aquapendente, de struct. musc. sed tendo componitur ex neruis, & ligamentis ex Galeno, 1. de mot. musc. c. 2. ergo tendo non est similaris.

De membrana. Tertiò, membrana existimatur per se similaris, sed membrana componitur ex fibris, ergo membrana non est similaris. Minor est Galeni 3. de facul. natural. cap. 15. dicentis, membranas fieri ex pluribus fibris.

De neruis. Quartò, nerui creduntur similares, sed ex Galeno, in lib. 2. de cibis boni & mali succi, cap. 4. nerui cõ-

ponuntur ex fibris, immò ex eodē Galeno, 8. de plac. cap. 5. nerui cōponuntur ex substantia cerebri, dura, & pia matre, ergo nerui non sunt similares.

De cute. Quintò, cutis inter alias simplicissima existimatur, tanquam non constans ex fibris, sed ex Galeno, libro, an sanguis naturaliter in arterijs contineatur; cutis componitur ex neruorum, venarum, & arteriarum extremitatibus, ergo cutis non est similaris.

De vena & arteria. Sextò, vena, & arteria reponuntur inter similares, sed ex Galeno, libro de inæqual intemp. cap. 2. venæ, & arteriæ componuntur ex fibris, & membranis, ergo venæ, & arteriæ non sunt partes similares, ergo si vnaquęq; similarium, nō est similaris, ergo omnis pars est dissimilaris; valet enim per necessariā inductionem à partibus indiuiduis ad vniuersale primum sensibile in vnaquaque parte similari, nullam esse similarem.

Septimò, pars similaris est illa, cuius pars est eiusdem nominis, & rei cum toto, sed portio venæ, non est vena, ergo vena non est similaris; Portio nerui non est neruus, ergo neruus non est similaris; sic de omnibus dici potest; quia quælibet portio partis similaris non potest gaudere totali definitione totius partis similaris, ergo nulla datur pars similaris.

De identitate partis similaris.

VT omnes difficultates, & Galeni contradictiones soluantur, & nullus dubitandi locus remaneat, duo sunt diligenter examinanda. Primum est definitio partis similaris. Secundum est numerus partium similarium.

Definitio partis similaris Auicen. Galeni, & Arist. Quo ad definitionē Auicenna, Fen. 4. lib. 1. doct. 5. cap. 1. definit partem similarem dicens, *partes similares eas esse, quarum quali-bet pars seorsim accepta, nomine, & definitione cum toto conuertitur*: Quæ definitio legitur etiam apud Galenum 8. de plac. cap. 2. dicentem, similares esse, quarum omnes particulę, tum inter se, tum toti sunt similes: Easdem etiam definiens 6. de plac. cap. 2. dixit, esse, quæ in partes specie non differentes diuiduntur: Eandem definitionem legimus apud Galenum, 1. de elemen. cap. 1. similares sunt, quarum vniuersæ particulæ eandē omninò formam, atq; temperiem habent. Aristoteles 1. de hist. anim. & 3. de partibus animal. etiam definit, similares partes esse, quæ in particulas sibi similes diuiduntur.

Cōditio, quæ cōstituit partem similarē in esse similaritatis. Ex quibus definitionibus formalibus partis similaris, vt similaris est, apparet, conditionem, quæ per se primò constituit partem similarem in esse similaris, esse *substantiam vniuocam*, quatenus scilicet vniuocatur, & identificatur cum toto; quamobrem oportet videre, quęnam sit hęc identitas partis similaris.

Quotuplex sit idētitas partium & totius. Identitas ergo totius, & partiū est multiplex: Nam vel est totius, vt substantia; vel totius, vt corpus, vel totius, vt animatū; vel totius, vt animal perfectum; vel totius, vt viuens; vel totius, vt officij; vel totius, vt simplex.

Pri-

Quomodo identificatio substantiæ, & partiũ substantiæ reperiatur in parte similari.

Prima, identitas totius, vt *substantia*, est, quia si compositum cõsideretur, vt substantia, tunc partes identificantur cum toto, quia pars totius substantiæ, siue sit materia, siue sit forma, est substantia, partes ergo substantiæ vniuocantur cum tota substantia, quamquã tamen partes substantiæ, materia scilicet, & forma non identificentur in esse partis, quia forma non ita identificatur cum materia, vt forma sit materia, & materia sit forma, vt optimè notatũ est à Scoto 2. sent. lib. 2. distin. 12. aduersus Ricardum, & Albertum Magnum; partes ergo substantiæ identificãtur cum tota substantia in esse totius non autem in esse partis, & talis identificatio reperitur in parte similari, quę cum substantia solida sit, materia, & forma simul identificantur in esse partis similaris.

Quomodo identificatio corporis reperiatur in parte similari.

Secunda, identificatio totius vt *corpus*, est, quia si compositum cõsideretur vniuocè, vt corpus, tunc partes identificantur cũ toto, quia omnes partes corporeæ, qualescũque illæ sint, sunt corpus, sub qua identitate Aristoteles, 2. de histor. anim. cap. 3. posuit humores, excrementa, quia cum sensibile per se primò constituat corpus in esse corporis, vt colligitur ex Aristot. in prædicam. cap. de relat. tex. 44. ideo quidquid est sensibile in corpore, est corporeum, & vnaquęque pars corporea est corpus, & denominatur corpus; Ideo partes corporis identificantur cum toto corpore: Et talis identitas reperitur in parte similari, quæ cum sit corporea, propterea identificatur cũ toto corpore; Et cum vnaquæque similaris pars sit corpus, vt in definitione partis, vt pars, dictũ est: Idcirco portio quælibet partis similaris, cum sit corporea, identificatur cum tota parte similari.

Quomodo identificatio totius animati sit in parte similari.

Tertia, identificatio totius, vt *animatũ, est*, quatenus partes idẽtificantur cum toto vnica ratione formali, & substantiali; Nam cum in doctrina Thomistica 1. 1. q. 15. art 5. ad tertium & 2. contra gentes cap. 64. in mixto animato non detur, nisi vnica forma substantialis, & specifica, quæ anima dicitur, eminenter continens in se omnes alias formas; ideo ab hac vna forma ità vniuocantur partes cum toto, vt ipsæ sint vnius rationis cũ toto, neque inuicem differant forma, vel specie, nisi secũdum varias dispositiones, & formas accidentales; sed omnes partes inter se, & ratione totius, sunt vnius rationis formalis, & substantialis: Et hæc identificatio reperitur in parte similari, quæ cum sit pars animata, ideo est eiusdem rationis formalis cum toto, & non differt specie ab alia similari, sed inuicem omnes partes similares animatæ, eadem ratione formali, ad vnam naturam vniuocam identificãtur, & hac ratione os specie nõ differt à carne, sed caro, & os sunt vnius naturę formalis substantialis, quãquam differant formis, & dispositionibus accidentalibus.

Quomodo identificatio totius animalis in re.

Quarta identificatio totius, vt *animal*, est omnium partium sensu præditarum; Nam cum ex Aristotele, in prædicam. cap. de relat tex. 44. conditio, quæ per se primo cõ

 stituit

ritur in similaribus. stituit animal in esse animalis, sicut sensibile corpus, ideo omnes partes per se sentientes conuertũtur cum toto animali; propterea talis identificatio nõ reperitur in omnibus similaribus, quia nõ omnes similares per se sentiũt, vt os, cartilago, ligamentum, sed reperitur tantũ in neruis, & membranis, quæ cum per se formaliter sentiãt, idcirco cum toto animali identificantur per sensum.

Quomodo identificatio totius animalis perfecti reperiatur in similaribus, & consequentibus. Quinta identificatio totius animalis, vt *perfectum est*, quia cum perfectio dependeat à forma, & à consequẽtibus formã, ideo omnes partes similares cũ sint perfectio formalis totius animalis perfecti, ideo omnes idẽtitate perfectionis vniuocantur cum toto perfecto, sicut, & quæ partes consequuntur, excrementa, scil. vt pili, vngues, cornua, cuticula, & similes, quæ in esse perfecto identificantur cum toto animali perfecto, non quidem primariò, sed secundariò.

Quomodo identificatio totius viuẽtis sit in similaribus. Sexta identificatio totius, vt *viuens* dependet ab actione; nã pars viuens in esse viuentis cõstituitur per actionem; & cum actio sit duplex, communis, & perfecta; ideo partes in esse viuentis identificantur cum toto viuente; Similares quidẽ per actionem communẽ, quę est nutritio; dissimilaris verò per actionem perfectam: & quia interim loquimur de similaribus, ideo quæ verè nutriuntur, sunt verè viuentes, & cum toto viuente vniuocantur; talisq; idẽtificatio nõ reperitur in omnibus similaribus: Nam vngues, pili, cuticula, sunt quidẽ similares, sed nõ sunt viuentes, quia verè nõ nutriuntur, & consequenter actione communi destituũtur.

Definitio partis similaris allata nõ competit ei, vt viuens, sed, vt similaris. Et hic noto, quod superior definitio partis similaris allata, est quidem definitio partis similaris, vt similaris, sed nõ, vt viuens, quia in ea non ponitur differentia cõstitutiua similaris in esse specifico viuentis, quę est actio communis, quę tamen ponitur in definitione Fernelij, vt suo loco dicetur.

Quomodo identificetur partes similares, vt instrumẽtales. Septima identificatio totius, vt *officij*, est earũ partiũ, quæ alijs tãquam instrumenta inseruiunt, quarum partium instrumentaliũ portiones identificantur quidem cùm tota parte instrumẽtali, vt coniũctæ sunt, non autem diuisæ, vt quælibet pars venæ continua cum tota vena, est vena; sed quælibet pars venæ diuisæ, non est vena; idem de arteria, & similibus instrumentalibus dicendum.

Identificatio similaritatis quomodo reperiatur in similaribus. Octaua identificatio totius, vt *simplex* est earũ partiũ, quę, & secundum sensum, & realiter habent vnam tantũ entitatẽ simplicem, & vnã formalem substantiã, quarum quælibet portio seorsim accepta idẽtificatur cũ toto, nomine, & definitione, vt quęlibet portio carnis simplicis, quę nomine, & re dicitur caro, cũ sit eiusdẽ substãtiæ, cuius est tota caro. Et de hac identitate substantiæ simplicis loquimur interim, & hãc intellexerunt pręcisè Auicẽna, Galen. & Aristot. in propositis definitionibus partis similaris; oportet igitur videre quot, & quæ sint hæ partes similares, quæ inuicẽ identificantur idẽtitate substãtię similaris simplicis, vt exinde difficultates oẽs soluantur.

De pluralitate partium similariũ.

CVm ex identitatibus partium similarium determinatũ sit, per similares nos potissimũ intelligere partes, non tantũ similares, sed etiam viuentes, ideo post earũ identitatem sequitur pluralitas, & numerus earũ, qui cum varius proponatur à Galeno, 9. meth. cap. vlt. 1. de nat. hum. 2. de elem. c. 2. lib. de diff. morb. c. 3. de inæq. intemperie c. 7. ab Aristotele, 2. de part. anim. cap. 2. 4. methe cap. 10. ab Auicẽna, Fen. 1. lib. 1. doct. 5. cap. 1. ab Auerroe, 1. collect. capit. 2. & 13. propterea certus numerus partiũ similarium viuentiũ est statuẽdus.

Numerus partium similariũ viuentium. Prima distinctio. Partes igitur similares viuẽtes sunt in duplici discrimine; Nã aliç sunt, quæ constituunt vnam tantũ partem determinatam: Aliæ verò sunt, quç constituunt plures, & omnes ferè partes, tamquam communia reliquarum elemẽta. Si partes similares accipiantur vltimo modo, dico esse numero nouem tantum, & sunt

1. Os.
2. Cartilago.
3. Ligamentum.
4. Membrana.
5. Fibræ.
6. Arteriæ.
7. Venæ.
8. Caro.
9. Cutis.

His Capiuacceus meth. anat. c. de ping. adderet pinguedinẽ existimans esse mixtũ ex excremento, & parte viuente. Fallopius de par. simil. vngues. Aquapẽdẽs, de struct. musc. adderet tendinẽ, volẽs cum esse corpus similare suæ speciei, nõ autẽ mixtũ ex neruo, & ligamẽto: quæ opinio est cõtra Gal. absq; ratione, vt suo loco demõstrabo: Alij adderent cuticulã pilos, & medullam, sed absq; ratione, quia nõ sunt partes viuentes; tot ergo sunt partes similares à parte rei secundum rationem, & secundũ sensum in secundo significatu acceptæ: Verũ. n. verò si in primo significatu accipiantur partes similares, vt determinatç ad vna tantùm partẽ, iam plures quàm nouẽ, sunt, quiã quçlibet pars indiuidua & cõposita habet propriam similarem, cui per se primò debetur actio, vt oculus humorem crystallinum; cerebrũ substantiam medullarem, & sic de reliquis; nouem ergo sunt partes similares viuentes, vt diximus.

Quòd si aliquis dicat, me omisisse neruos, qui tamẽ à Galeno inter partes similares viuentes reponũtur. *Obiectio.* Respondeo, neruos nõ esse partem similarẽ, quia cõponuntur, ex tribus partibus similaribus specie differentibus, videlicet ex tenui membrana, ex dura meninge, & ex sui substãtia medullari; propterea nerui nõ sunt reponendi inter partes verè similares. *Responsio.* Et quanquã Galenus aliquando eos vocauerit similares, tamẽ, vt vulgaris responsio est, nerui iudicãtur primo aspectu à sensu per inductionem similares, cum tamen non sint, quia constant ex triplici parte, quarum vnaquçque est similaris propriæ speciei seorsim acceptæ; Ideo neruus, quatenus neruus, non est similaris, sed dissimilaris.

Sed

Instantia. Sed aliquis instabit, neruo secundum sui totum competit definitio partis similaris, ergo totus neruus est similaris, probatur antecedens: Nam quælibet pars nerui, à toto seorsim accepti, habet eandem definitionem, & nomen cum toto, quia est neruus: Si ergo pars nerui vniuocè identificatur cum toto, ergo totus neruus est similaris.

Solutio. Respondeo, quòd, partem à toto seiunctam, habere idem nomē, & eādem rationem, contingit dupliciter; vno modo secundum sensum, alio modo secundum rationē; Si secundum sensum, quęlibet pars nerui videtur neruus; sin verò secundum rationem, quælibet pars nerui, non est neruus, idest, quęlibet pars nerui non est similaris secundum intrinsecam rationem similaritatis, cum quælibet pars nerui constet ex tribus partibus similaribus specie differentibus; & ideo tametsi portio nerui, secundū rationem sensus, sit neruus, tamen secundum rationem formalem, nō est pars similaris, neruus ergo à nymero partium similarium est relegandus.

Secūda distinctio. Enim verò hæ nouem partes similares sunt in dupliei differentia: Nam aliæ sunt, quæ immediatè fiunt ex substātijs primis, spermatica scilicet, & sanguinea; Alię verò sunt, quæ fiunt ex alia similari, & tamen sunt formaliter similares v. g. substantia membranosa venarum, & arteriarum est pars, quæ fit ex alia; fit enim ex fibris, quæ fibra est pars similaris; Tamen substantia membranosa venarum, & arteriarum est similaris, quia non constat ex partibus similaribus specie differētibus, sed ex vna tantùm similari cum qua vniuocè identificatur in esse similaris; fibra verò est pars, quæ non fit ex alia, sed immediatè fit ex semine, & sanguine; ex semine quidem fibra membranosa, ex sanguine autem fibra carnosa; Sunt ergo hæ partes similares sub duplici notione; sub prima notione reponuntur *ligamentum*, *membrana*, *arteria*, *vena*, *caro*; cutis pro nunc est suspecta, an fiat ex fibris. Sub secunda notione reponuntur *os*, *cartilago*, & *fibra*. Atq; tot sunt partes similares viuentes communes.

Responsiones ad argumenta.

Solutio 1 arg. AD primum dicitur, quòd etsi pars similaris sit composita ex materia, forma, elementis, ex humoribus, & substantijs; tamen dicitur similaris, quia constat ex vna tantū parte, quæ est vniuoca in esse partis, ideo similaritas, vt sic, cōsistit in simplicis partis substantia identificante partes cum toto.

Solutio 2. Ad secūdū dico, quòd esse organicū, & esse similare, nō sūt duo cōtradictoria, sicut est esse organū, & similare; Ideo cōceditur, omnē partem similarem, in via ad organum, esse organicam; hoc tamen non tollit, quin non sit similaris, v.g. tametsi mēbrana habeat formam, situm, numerum, & quantitatem determinatam, hoc tamen non tollit eius similaritatem; organum quidem tollit similaritatem, quia, vt inferius dicetur, organum

ganum quatenus organum de ratione sua formali includit pluriũ similarium specie differentium compositionem; at organicũ,& similare vnà concurrunt citra contradictionem.

Ad tertium dicitur, aliud esse dicere substantiam,aliud verò partem: Concedimus,vnamquamque similarem immediatè constare ex triplici substantia;sed negamus ex his cõstare,tanquam ex partibus; & idcirco Galenus 10. meth. cap. vlt. dixit ex *triplici substantia*, non autem dixit,ex triplici parte.

Quomodo intelligatur propositio Galeni: Pars similaris constat ex triplici substãtia.

Verùm quia hoc dictum, videlicet, vnaquæque similaris ex triplici constat substantia, membranosa,fibrosa,& carnosa, habet aliquam difficultatem, cum in generatione partium nõ concurrat nisi duplex substantia,sanguis scil.maternus, & semen;ideo oportet videre, quomodo intelligendum sit hoc dictum: Et augetur difficultas,quia Fernelius lib.4.de cal.innat.cap. 5. pariter videtur asserere, vnamquamque similarem ex triplici constare substantia, & in his proponendis differt à Galeno, quia ponit substantiam solidam, carnosam,& spirituosam:& solidã diuidit in terrenum crassamẽtum cum ipso Columella,& in humidũ radicale;Insuper in terreno crassamento ponit humorem aqueum glutinosum: quapropter videre oportet, quomodo hæc propositio sit intelligenda. Dico igitur,hanc propositionem fuisse ibi positam à Galeno,non vt vniuersalem,tanquam verificetur de omnibus similaribus particulis,non, sed tanquam indefinitam, quæ tantum verificatur de partibus membranosis,& carnosis;Alioquin propositio esset falsa; nam os,est pars similaris tamen in osse,nec substantia fibrosa, nec membranosa, nec carnosa cernitur;Idem de cartilagine; propterea propositio non est vniuersalis,sed particularis,& valet tantum de partibus carnosis, & membranosis:Et quòd sit verũ, præter rationem allatam, patet, quia Galenus eo capite loquitur de Hectica,quę prius roridam partium substantiam consumit: postea substantiam carnosam,quæ tũ circa fibrosas, tum circa membranosas partes hæret; tandem ipsas solidas populatur; vnde patet, quòd Galenus loquitur tantum de partibus carnosis, & membranosis, & quòd illa propositio est particularis,quæ extenditur tantũ ad partes solidas membranosas, & carnosas: Et quanquam dicat Galenus, *in singulis simplicium, ac primarum quas vocant partiũ, alia portio substantiæ earum est veluti fibrosa, alia membranosa, alia carnosa.* Ly *in singulis*, non stat pro omnibus, sed pro quibusdam,mẽbranosis,scil. & carnosis.

Sed aliquis instabit, dato etiã, quòd illa propositio verificetur tantum de partibus similaribus membranosis, & carnosis, adhuc sequitur,membranam, carnem, & venam, non esse similares; quia quod constat ex partibus specie differentibus,non est propriè similare; caro simplex constat ex propria substantia carnosa,& ex substantia fibrosa, quæ substantiæ dif- *Instantia.*

ferunt

ferunt specie: Consimiliter, membrana constat ex propria substantia membranosa, & substantia propria carnosa, quæ substantiæ differunt specie: Tandem vena nõ erit similaris, quia vt Galenus ibi probat, vena constat ex substantia membranosa, ex fibrosa, & ex propria carne, quæ substantiæ differũt specie, ergo nõ erit pars similaris.

Solutio.

In similari duplex tãtum est substãtia.

Tolluntur istæ difficultates per id, quòd duæ tantum sunt substantiæ reales, vna quę fit ex semine, & dicitur fibrosa; Et alia, quæ fit ex sanguine, & dicitur carnosa; Hinc Galenus, 11. meth cap. 1. cum in calce decimi libri superius citati triplicem substantiam proposuerit, duplicem tantum proposuit, alteram, quam vocauit solidam, per hanc intelligens fibrosam; alteram, quam vocauit carnosam, sicut etiam Fernelius loco citato; Natura enim ex semine fibras orditur, postea ex sanguine carnem generans, ea fibrarum interstitia infarcit; propterea duæ tantum substantiæ primæ sunt, fibrosa, & carnosa, quæ duæ substantiæ ita se respiciunt, vt carnosa non possit esse sine fibrosa; fibrosa tamen potest esse sine carnosa: Nã etsi proponatur à Galeno tertia substantia membranosa, hæc tamen non est realiter diuersa à fibrosa, quia membrana non est nisi textura fibrarum; Et quanquam membrana differat formaliter à fibris, quatenus scil intelligimus membranam partem fieri ex fibris; realiter tamen membrana non est nisi congeries, ac fibrarum textura; vnde substãtia membranosa non differt realiter à substantia fibrosa; Et quanquam Galenus, 10. method. cap. vlt. dixerit, *at verò nec fibrosa, nec membranosa natura eandem generationem habere cernitur*: Hæc tamen verba non sunt intelligenda de substantia fibrosa respectu membranosæ, quod videlicet hæ duę substantię habeant diuersam generationem, sed hoc cũ Galeno eo loci debet intelligi de vtraque substantia membranosa, & fibrosa respectu carnosæ; Nam infert Galenus, substantia fibrosa, & membranosa habent diuersam generationem à carnosa, quia illæ sunt ex semine; ista verò est ex sanguine; propterea sicut habent diuersam generationem, ita habent diuersam corruptionem, & colliquationem in hectica, quia caro prius consumitur, tandem substãtia fibrosa, & membranosa, immò quòd ex illis verbis colligitur potius eandem esse substãtiam fibrosam, & membranosam. Substantia igitur fibrosa, & membranosa non differunt realiter, & consequenter membrana non constat ex duabus partibus specie diuersis, sed est pars similaris in secunda notione, quia membrana realiter non est nisi substãtia membranosa, & substantia membranosa non est realiter nisi substantia fibrosa. Idem dicendum est de vena ipsa, quę formaliter dicitur constare ex fibrosa, & membranosa substantia, quatenus scilicet intelligimus conformationem venæ fieri ex membrana, & membranam ex fibris; sed realiter vena non est nisi substantia membranosa, & consequenter

Substãtia membranosa, & fibrosa realiter non distinguũtur.

est

est nisi substãtia fibrosa; Et quamuis Galenus loco citato dicat, in vena, prẹter substãtiam fibrosam, esse quoq; substantiam carnosam fibris interpositam, vnde aliquis posset dicere, venam esse dissimilarem, quia constat ex duplici substantia specie diuersa, & consequenter, membranam esse dissimilarem, quia membrana resultat ex duplici substantia, fibrosa, & carnosa, & consequenter ita differre substantiam fibrosam à membranosa, sicut vna pars à toto, cum substantia fibrosa sit vna pars totius membranæ compositẹ, non solùm ex fibrosa, verùm etiam ex carnosa: Dico tamen, quòd substantia carnosa, quæ reperitur in membrana, & vena, non est caro, sed est analogum carnis, quæ proportione aliqua correspondet carni, sed non est caro, & per consequens non est pars; Et hanc analogiam carnis ostendo ex Galeno ipso qui loco citato dixit *in singulis*, harum partium similarium reperiri portionem substantiæ *veluti* fibrosam, &c.

Quid sit caro, & analogum carnis.

Est notandum illud aduerbium *veluti* in quo consistit analogia quædam; sensus enim verborum Galeni est talis: In partibus, in quibus est realiter substãtia fibrosa, & membranosa, in talibus etiã est substantia carnosa, sed *veluti substantia carnosa*, idest, in his est analogum carnis, sed non est vera caro; Et in partibus, in quibus est realiter substantia carnosa, & fibrosa, ibi est etiam substantia membranosa, sed *veluti membranosa*, idest, in his est proportio quædam membranæ: Declaro, in carne est realiter substantia carnosa ex sanguine, & est realiter substantia fibrosa ex semine, & est etiam quædam proportio substantiæ membranosæ; Non quidem in carne simpliei est realiter substantia membranosa, quia membrana esset in carne, sed est quædam veluti substantia membranosa, cum caro constet ex fibris: Ex aduerso in membrana, & vena est realiter substantia membranosa, & realiter substantia fibrosa, sed non est ibi realiter caro, sed veluti caro, & proportio quædam carnis; Et ideo, sicut analogum substantiæ membranosæ in carne non est pars, ita analogum carnis in membrana, & vena, non est pars; propterea membrana, & vena sunt partes similares, quia constant ex vnica tantum substantia fibrosa, quæ pars est, fibræ enim sunt partes: Hoc sibi voluit Fallopius, de partibus similaribus, capit. 12. qui arguit Galenum, lib. 1. de fac. nat. & lib. 10. meth. c. vlt. proponentẽ in venis carnẽ, dicens in vena nec ratione, nec sensu apparere carnem. Sed non intellexit Fallopius Galenum quia per carnem non intelligit carnem, quẹ sit vt pars in vena, sed intelligit analogum carnis, quod proportionem aliquam cum carne videtur habere. Membrana igitur, & vena est pars similaris, quia constat tantùm ex vna substantia fibrosa, cum fibrosa, & membranosa sint vna realis substantia.

Fallopius in Galen.

Reprehẽditur.

Sed aliquis instabit, tu posuisti, sub-

Instantia.

ſubſtantiam fibroſam,& membranoſam eſſe eandem realiter; Si ergo ſubſtantia fibroſa eſt realiter in carne,ergo realiter ſubſtantia membranoſa erit in carne, & ſic non erit veluti mēbranoſa,ſed erit abſolutè, & realiter membranoſa.

Reſponſio. Reſpondeo, propoſitionem hāc eſſe per ſe,ſed non conuertibilem: Vbi eſt ſubſtantia membranoſa, ibi eſt ſubſtantia fibroſa; Nam in membrana idem eſt,eſſe membranoſum, & eſſe fibroſum,at non cōuertitur; quia in carne eſſe fibroſum, non eſt realiter eſſe membranoſum;eſt quidem in carne ſubſtātia veluti membranoſa,ſed non eſt realiter, quia in carne ſimplici eſſet membrana; membrana igitur, & vena eſt pars ſimilaris in prima notione.

Iam de carne ſoluenda eſt difficultas, quæ,vt dictum eſt, cum ex duplici ſubſtantia ſpecie diuerſa conſtet, ex fibroſa ſcil.& membranoſa,nō videtur pars ſimilaris nec in prima, nec in ſecunda notione:

Solutio difficultatis de carne. Multipliciter ſoluitur hęc difficultas, ſtando in eo, quòd caro ſit pars ſimilaris in ſecunda notione, quia in ſe non continet niſi vnam partem ſimilarem, nimirū fibras; Et quando dicitur,caro conſtat ex duplici ſubſtantia diuerſa, carnoſa, & fibroſa; dico in hac ratione latitare nugationem, quia ſubſtātia carnoſa non eſt niſi caro ipſa,& ideo tantum eſt dicere, carnem conſtare ex ſubſtantia carnoſa, ac ſi diceretur, carnem conſtare ex carne, quæ nugatio eſt;Ex quo, vt rectè dicamus,oportet dicere;Caro, ideſt, ſubſtantia carnoſa cōſtat ex fibris;& ſic cum caro cōſtet tātum ex fibris, propterea eſt pars ſimilaris in ſecunda notione; Adhoc enim vt pars diſſimilaris ſit, ex diuerſis partibus conſtare debet differentibus ſpecie.

Inſtantia. Et ſi aliquis dicat,inſufficiētem eſſe reſponſionem, quia ſubſtantia carnis eſt ex ſanguine, & ſubſtantia fibrarum ex ſemine, propterea eſſe carnoſum,& eſſe fibroſum, non poſſunt identificari in eſſe ſimilari cum differant ſpecie.

Reſponſio. Reſpondeo, quod fibra eſt duplex, membranoſa, & carnoſa; fibra membranoſa eſt ſpecie differens à carne,ac talis non reperitur in carne: At fibra carnoſa eſt eadē realiter cum carne; Et quamuis fibra, vt fibra fiat ex ſemine,& caro vt caro fiat ex ſanguine, quæ ſunt duæ ſubſtantiæ ſpecie diuerſæ; attamen fibra carnoſa ita identificatur cum carne in eſſe carnis,vt realiter non differat à carne; cuius identitatis ſignum eſt, quia ex eis fit propoſitio per ſe; dum dicitur, *caro fibroſa*, quod non eſſet niſi vniuocarentur in eſſe partis ſimilaris; Hinc eſt, quòd caro non poteſt realiter ſeparari à fibris, nec fibræ à carne, quia tota caro non eſt niſi ſubſtantia carnoſa fibroſa, vt patet in carne cocta, quæ non eſt niſi coniunctio fibrarum carnoſarum: Et quamuis Fallopius neget, carnem coctam eſſe carnem, tamen decipitur; quia caro ex aſſatione, aut elixatione, amittit quidem aliquam humiditatem, & exſpoliatur quibuſdam accidentibus, ſed non amittit formam carnis; Caro igitur eſt pars ſimilaris in

in secunda notione, sicut membrana, & vena.

Instantia. Et si aliquis pertinax persistat in sua opinione, fibram, & carnem non posse identificari in esse partis similaris, cum differant specie.

Responsio. Respondeo, non esse inconueniens, vt duo diuersa specie simul identificentur, dummodo vnum sit materia, alterum verò sit forma; Nam clarum est, materiam, & formam specie discriminari, attamen ex materia, & forma fit vnum per se ex identitate materiæ, & formę: Consimiliter fibræ stant loco materiæ, & caro stat loco formæ, propterea ex fibris, & carne resultat vna pars similaris, quæ dicitur caro, & idcirco fibra, & caro, quãquam specie seorsim differant, idẽtificantur tamen simul in esse partis similaris, quod non contingit de parte dissimilari, cuius partes similares componentes non identificantur cum vna sit separata realiter ab altera; Tunica enim cornea non identificatur cum humore glaciali in oculo; Et tunica pia non identificatur cum dura in ipso neruo, caro igitur est pars similaris in secunda notione.

Responsio ad 4. Ad quartum arg. respondetur, vnamquamque similarem regi à seipsa, quia continet facultatem naturalem insitam, propter quam pars similaris constituitur in esse partis viuentis, cum possit edere communem actionem, quæ nutritio dicitur: neque est contradictorium, quòd pars habeat insitam facultatem, & vt nutriatur, egeat alimento ab hepate influente tanquam à fonte facultatis naturalis; sic enim conciliantur loca Galeni.

Solutio quinti. Ad quintum respondetur, ligamentum cõstare ex fibris, propterea ligamentum est pars similaris in secunda notione, quia non constat ex partibus specie differentibus.

Ad sextum, respondeo concedẽdo tendinem esse dissimilarem, quia componitur ex fibris nerueis, & ligamentalibus specie differentibus; quomodo autem deceptus fuerit Fabritius Aquapendens in Apologia de struct. musc. dicemus.

Ad septimum dicitur, vt supra, membranam componi ex fibris, & esse similarem in secunda notione.

Ad octauum dicimus, neruos re uera esse dissimilares, vt supra.

Ad nonum dicitur cutim, ratione propriæ substantiæ cuticularis esse partem similarem in prima notione, quia non componitur ex fibris, sed immediatè ex semine, vt os, cartilago, & fibra.

Ad decimum respondeo, venas, & arterias componi quidem ex fibris, & membranis, & esse similares in secũda notione, vt dictũ est.

Verùm quia Galenus modò vocat venas, & arterias partes similares, modò dissimilares, ideo oportet speculari huius diuersitatis rationem.

Responsio Syluij, & Montani. Respondet Syluius, & Montanus, duplicem esse compositionẽ, aliam esse sensus, alteram verò rationis: partes similares secundum sensum sunt similares, vt vena, & arteria; at secundum rationem sunt dissimilares.

Hæc respõsio est falsa, quia tam secundum sensum, quàm secũdum

rationẽ venæ, & arteriæ sunt similares, quia nõ cõponuntur ex pluribus partibus specie differẽtibus.

Responsio Fuchsii. Respondet Fuchsius, cui suffragatur Laurẽtius, distinguẽs, aliud esse organicum, aliud esse organũ: venæ, & arteriç à Gal. dicũtur dissimilares, idest, organicç, sed esse organicum non est esse dissimilare realiter, quia stat simul esse organicum, & similare; non stat autem simul esse organum, & similare.

Hçc responsio nõ tollit difficultatẽ, quia Galen. de ineq. intemp. cap. 2. excludit venas, & arterias à numero partiũ similarium, non ratione organizationis, sed ratione compositionis, dicit enim, nõ sunt similares, quia cõponuntur ex fibris, & mẽbranis. Piccolom. lect. 7.

Responsio Piccolominei. dicit, partem similarẽ constare ex substantijs, semine, videlicet, & sanguine, dissimilarẽ verò ex partib.

Sed hçc responsio non tollit difficultatem, hoc enim est quod quçritur, cum dicat Galenus, venas, & arterias esse dissimilares, quia cõstant ex fibris quæ sunt partes, & ex membranis, quç sunt partes.

Responsio Fernelij. Fernelius ait, respectu diuersorum non esse inconueniens, partes similares, esse dissimilares, & similares: similares ratione substantiç; dissimilares ratione figurç; Ideo venç ratione substantiç, sunt similares, sed ratione figurç sunt dissimilares.

Hçc responsio Fernelij, est verissima, & colligitur ex Gal. li. de dif. morb. c. 3. qui ex duplici elementorũ suppositione hanc distinctionẽ exhaurit: In prima n. suppositione, differentia similarium consistit in sola compositione elementorũ: In secũda suppositione, consistit in formatione: Nã dicebat, caro quatenus caro, in cõpositione elementorum differentia consistit; at quatenus caro est instrumentorũ alicuius pars, differentia consistit in formatione, & sic pars similaris dicitur organica in via ad organum, non ratione compositionis, sed ratione conformationis, & sic vera est responsio Fernelij, quæ tamẽ nõ potest accommodari obiectioni; quia hoc est, quod facit difficultatem, cùm Galenus respectu substantiæ, & compositionis ablegat à numero similarium venas, & arterias, eò quia dicit constant ex fibris, & membranis.

Responsio Fallopij. Fallopius, vt Galeni contrarietatem componat, vult, non repugnare organo esse simplex, ita vt organum possit esse pars similaris, dicerç; organũ, & organicũ, nulla ratione differat: Et quòd organo non repugnet esse simplex, probat ex Galeno dicente, organũ esse illud, quod perfectam actionẽ edere potest; Ecce inquit Fallopius, in hac organi definitione nulla partiũ compositio ponitur, tanquã differentia constitutiua organi, igitur organum quatenus organum non est à compositione plurium partium, sed quod actionem perfectam edere potest; quare organo non repugnat esse simplex: Hac posita distinctione, dicit contrarietates Gal. ita esse cõponendas, Gal. benè dixisse, venas, & arterias esse organa, & partes similares, quia licet organa sint, tamẽ possũt habere substãtiã similẽ, cũ

non

nō repugnet organo esse simplex.

Reprobatur. Hęc respōsio Fallopij falsissima est; & si etiam esset vera, non adhuc solueret dubitationē, quia Galenus à numero similariū venas, & arterias excludit, non ratione organi, sed ratione substātię dissimilaris, cum dicat, quia constant ex fibris, & membranis, quę sunt duæ partes diuersæ: Sed præter hoc dico erroneam esse responsionē Fallopij, cū dicat, non repugnare organo esse simplex; quod est dicere, non repugnat parti similari esse dissimilarē: Est.n. cōtradictio in adiecto manifestissima; enim verò, vt falsitas huius respōsionis appareat, peto quid intelligat Galen. 1. meth. c. 6. per actionē perfectā, dubio procul intelligit actionem officiale, vt fit à toto instrumēto; Edere igitur actionē perfectā, præsupponit partium compositionē; nisi enim oculus ex omnibus suis partibus compositus esset, non ederet actionem perfectā visionis; Causa ergo adæquata actionis perfectæ, est partiū compositio, & per cōsequēs de ratione intrinseca organi est, vt cōponatur ex pluribus partibus, Repugnat igitur organo esse simplex, quia repugnat parti similari edere actionē perfectā: Ex his etiam patet, aliud esse organum, & aliud partē organicam; Nam organum in casu recto est ratione compositionis; organicum verò in casu obliquo est respectu conformationis; Organū igitur & similare esse, repugnat; esse tamē similare, & dissimilare, idest, organicum, non repugnat. Cum ergo omnes hę respōsiones nō tollant radicitus difficultatem, quid respondendum?

Multipliciter ego soluo hanc obiectionē; primò quidē, quòd Gal. loquatur de partib. similarib secūdum sensum, non autem secundum rationem absolutè; & quòd sit verum, patet, quia enumerās partes similares digitorū, dicit, esse *ossa, cartilaginem, ligamentū, arteriā, venam, membranam, carnē, tendinem, vnguem, cutē, adipem*; postea subdit; *Has diuidere in aliam speciē non est.* Ex quibus patet, Galenum præstare iudicium de his partibus secundum sensum, non autē secūdum rationem, quia tendo diuiditur in aliā speciem, diuiditur enim in neruum, & ligamentum, & tamē tendo inter partes similares connumeratur; propterea sicut tēdo secundum sensum iudicatur à Gal. similaris indiuisibilis in aliam partē; Ita venæ, & arteriæ secundū sensum iudicantur dissimilares, cū sensus videat cōstare ex fibris, & membranis, quæ tamen fibræ, & membranę non differunt specie; cū membrana non sit nisi textura fibrarum: Hęc eadē respōsio corroboratur, quia Galenus reponit vngues inter partes viuentes, cū tamen non viuant: Signum enim est Gal. pręstare iudicium de partibus similaribus, non simpliciter, & secundum rationem, sed secundum sensum; Et ideo hæc responsio est contraria responsioni Syluij, & Montani, quia venæ, & arteriæ iudicantur à Galeno secundum sensum, non similares, vt ipsi dicunt, sed dissimilares; quamquam realiter sint, non dissimilares, sed similares.

Secunda responsio est, partes similares sunt in duplici discrimine; aliæ sunt similares in prima notione; aliç verò sunt similares in secũda notione: venæ, & arteriæ, quando à Galeno negantur esse similares, negantur esse similares in prima notione, quia similares in prima notione sunt non tantum similares, sed etiam primæ, vt os, quod est similare in prima notione, quia primò fit ex semine, & hoc pacto negantur venæ, & arteriæ esse similares, quia non sunt primç; Hoc tamen non tollit esse similares in secunda notione, quia constant ex vnica substantia fibrosa membranosa, & consequenter sunt similares in secunda notione: Et hanc responsionem esse ad mentem Galeni, patet, quia enumerans partes similares digiti; inter eas enumerat etiam venam, & arteriam; postea considerans aliquas tantum esse similares, & primas, subiungit venas, & arterias non esse similares, & *primas*, quare non dicit absolutè, venas, & arterias non esse similares, quia sibi ipsi manifestè contrariaretur; Sed negat esse ita similares, vt sint primæ; non enim sunt primç, quia constant ex fibris, & membranis, idest, non fiunt immediatè ex semine, sed ex substantia membranosa; propterea venç, & arteriæ non sunt similares in prima notione; sed per hoc non sequitur esse dissimilares, quia sunt similares in secunda notione; vt enim saluetur similaritas, sufficit fieri ex vna tantum parte reali.

Instantia. Sed instabit discipulus probans, venam, & arteriam in secunda notione esse dissimilares: Nam quod componitur ex partibus specie diuersis, illud est dissimilare: vena, & arteria est talis, ergo &c. Minor probatur: Nam vena, vt vena, est pars, fibra, vt fibra est pars, membrana, vt membrana est pars; sed fibra, vt fibra est pars specie diuersa à membrana quatenus membrana, ergo vena quæ componitur ex fibris, & membranis, componitur ex partibus specie differentibus, ergo vena erit dissimilaris in secunda notione; idem de arteria dicendum. Minor est vera, quia si fibra non esset pars specie diuersa à membrana, iam fibra, vt fibra esset membrana, & membrana quatenus membrana esset fibra, quod est absurdum, ergo &c.

Responsio. Respondeo, venam, membranã, & fibram esse quidem partes formaliter diuersas, quia vena est formaliter vna pars, membrana est formaliter alia pars, & fibra est formaliter alia pars; sed non differunt realiter; quia vena realiter non est nisi membrana, & membrana realiter non est nisi collectio fibrarũ; propterea vena non constat ex partibus realiter diuersis, & ideo si ly specie dicat formaliter, concedimus fibram, & membranam esse partes specie diuersas: At si ly specie dicat, realiter, negamus fibrã, & membranam in venis, & arterijs esse specie diuersas, quia sunt realiter eiusdem substantiæ.

Et ex hac responsione colligo tertiam solutionem ad principalẽ obiectionem, quæ est, venas, & arterias esse dissimilares formaliter, quamuis tamen sint similares realiter

liter in secunda notione: Et ly formaliter non dicit conformationē venæ, vt respondebat Fernelius; Sed formam partium formaliter componentium ipsam venam, mēbranarum scil. & fibrarū, quę quidem formaliter in esse partis sunt diuersæ; non autem realiter in esse partis similaris, quia sunt eiusdem substantiæ vniuocæ; & per ly *formaliter*, intelligo formam accidētalem partis, vt pars est, & per ly *realiter*, intelligo formam substātialem materialem, quam dico esse vniuocam in fibris, & membranis, venam, & arteriam componentibus.

Ad vndecimum, & vltimum argumentum respondeo dupliciter; Primò quidem ex parte rei; nam quando dicitur pars similaris est illa, cuius portio est eiusdem rei, & definitionis cum toto, non sic debet intelligi, vt intelligatur de tota definitione, quia sic nulla esset similaris, quia v.g portio venæ nō habet totam definitionem cum vena, quia per portionem venæ à toto diuisam non influit sanguis; sed debet intelligi de parte illa definitionis formali, quæ videlicet exprimit substantiam similarem ipsius partis, & hoc pacto quælibet portio venæ est vena, quia est eiusdem substantiæ similaris.

Secunda responsio est ex parte nominis; Nam cum dicitur pars similaris est ea, cuius portio habet idem nomen cum toto, non est semper intelligendum de nomine in recto, quia sufficit nomen identificari cum toto in obliquo; ideoque quāl bet portio venæ non dicitur vena in recto, sed substantia venosa in obliquo; idem de arteria, & similibus dicendum: Et hæc de parte, vt similaris, dicta sint.

Vtrum definitio Fernelij de parte, sit bona. Quæst. III.

Diuinus Fernelius, lib. 2. de elem. cap 2. partem sic amplexatus est definitione: *Pars est corpus toti cohærens communi vita fruens ad functionem, & vsum comparata*. In oppositum igitur arguens dicitur.

Primò, vnaquæque bona definitio debet esse vna, sed definitio dicitur vna ab vnica differentia specifica, & in hac sunt quatuor; prima est, cū n dicitur, *cohærens toti*. Secūda est, *communis vitæ fruitio*. Tertia est *functio*. Quarta est, *vsus*; Et vnaquæque istarum ex se est differentia propria, ergo definitio Fernelij nō est vna, sed multiplex, & per consequens est definitio per additamentum. *Definitio Fernelij habet quatuor differentias.*

Secundò, si dicant, propriam differentiam partis in hac definitione esse, quando dicitur, *cohærens toti*, Contra.

Cohærere toti est vndequaque circumscriptionem non habere propriam, & vndequaque non esse coniunctum alijs; sed vndequaque non habere circumscriptionem propriam, &c. est differentia constitutiua partis quatenus pars, ergo non est differentia constitutiua partis viuentis, quatenus viuens. *Quid sit cohærere toti.*

Tertiò si dicant, propriam differentiam in hac definitione esse *frui vita communi*; Contra.

Frui-

Primaria actio est nutritio. Fruitio vitæ nil aliud est, quam primaria actio, quæ dicitur nutritio, quia omne viuẽs nutritur; sed nutritio per se primò debetur parti similari, vt similaris, ergo per hanc differentiam excluditur dissimilaris, ergo hæc non est bona definitio, quia definitum subiectũ, quod dicitur *pars*, latius patet, quàm hoc prædicatum, *communi vita frui*. ergo &c.

Quartò si dicãt, hanc definitionem esse solius partis viuentis similaris; Contra, actio perfecta, & propria est actio partis dissimilaris, vt dissimilaris, sicut nutritio est partis similaris, ergo in hac definitione comprehenduntur etiam partes dissimilares; sed duo diuersa non possunt vnica definitione definiri, ergo nõ est bona definitio.

Quintò, si dicãt, vtrasq; partes, tã similares, quàm dissimilares cõtineri in hac definitione; Contra. *Termini partium nõ conuertibiles.* Quæ sunt vnius definitionis, sũt vnius naturæ, pars similaris, & dissimilaris sunt vnius definitionis, ergo sunt vnius naturæ, ergo pars similaris est dissimilaris, & ecõtra: Et sic hæc propositio erit conuertibilis, organum est pars, pars est organum, quod tamen negatur à Galeno, 1. meth. c. 6. ergo, &c.

Cõditio organi principalis. Sextò quòd hæc definitio non possit amplecti partem dissimilarem, sic probatur: Conditio principalis, quæ necessario constituit partem dissimilarem in esse dissimilaris, est compositio partium similarium, sed talis compositio non exprimitur in hac definitione, ergo non potest conuenire parti dissimilari.

Septimo. Actio, nedum communis, verum etiam propria debetur per se primo parti similari, vt visio, quæ est actio propria oculi, & non debetur ipsi oculo, sed per se primò humori cryſtallino, ergo actio propria non debetur per se primò parti dissimilari, ergo hæc definitio non amplectitur partem dissimilarem, quia alioquin sequerentur absurda posita. *Actio propria per se primò debetur parti similari.*

Distinctiones pro veritate.

Mirabilis profectò est hæc definitio partis, quæ intrinsece in se cõtinet omnem rationem partis, ita, vt quæ pluribus definitionibus à Galeno, Auicenna, & cęteris fuit definita, hanc vnica definitione amplexatus est Fernelius: Siquidem Galenus, 1. de vsu par. 1. seorsim definiuit partem, vt pars est, alibi verò, 8. de plac. cap. 4. definiuit partem, vt similaris est: sicut & Auicenna, Fen. 4. lib. 1. doct. 5. c. 1. Gal. tandem, 1. meth. cap. 6. definiuit partem, vt dissimilaris: Diuinus verò Fernelius vnica definitione quidditatiua omnia complexatus est, partem quidem, vt pars est, quia cum dicit *partem esse toti cohærentem*, iam cõstituit partem in esse partis, & est idem dicere; toti cohærere, & circumscriptionem vndequaque non habere propriam; quia quod toti cohæret per quantitatem discretam, non est vndequaque coniunctum, & separatum ab alijs, & consequẽter circumscriptionem vndequaque non habet propriam: Hæc definitio Fernelij continet partem simi- *Laudatur Ferneliana partis definitio.* *Cohærẽtia totius, & circumscriptio quomodo sint idem.*

similarem viuẽtem, dum ait: *Communi vita fruens*: Nam actio cõmunis omnibus partibus, est nutritio, quę per se vniuersaliter debetur, tamquã primis subiectis, partib. similaribus: Hęc definitio Fernelij continet partes dissimilares, dũ habet, *ad functionẽ*; Nam per functionem intelligit actionẽ propriam perfectã, quę vt perfecta debetur toti organi, estq́; cõditio per se constituens organum in esse organi; nõ quidẽ in primo modo per se, sed in secundo, vt inferius explicabo: Cõtinet tandẽ hęc Ferneliana definitio partis, partes, quę pręter communẽ actionẽ, solum vsum potiuntur, dum ponit; Et *ad vsum comparata*, veluti sunt ossa: quare nihil superflui, nihilq́; diminuti reperitur in hac definitione, sed tota est necessaria, & quidditatiua, qua meliorẽ efformare, est impossibile: vt autẽ dubitationes propositę soluantur, ponẽdę sunt distinctiones.

Cõditio organi in secũdo modo per se qualis.

Prima distinctio. Quæ definiuntur, sũt in duplici discrimine, quędam sunt diuersæ speciei, nullũ nexum essentialem inter se habentia; & hęc nõ possunt, vnica definitione quidditatiua, definiri, quia habent contrarias, & oppositas differentias, quæ consequenter diuersis definitionibus cõprehendi debẽt, & diuersis enunciationibus, vt si vellemus definire hominem, & leonem, cum sint duę species diuersæ, oppositas habentes differẽtias, inter eas non potest fieri mutua prędicatio essentialis, & cũ nullus nexus essentialis in eis sit; idcirco nõ vna, sed pluribus definitionibus definiri debent, sicut colligitur ex Arist. In antepręd. c. 3. dicẽte, quòd inter species generum subalternatim non positorũ, non potest intercedere prędicatio essentialis: Quędã verò sunt ex opposito, quę quidem sunt diuersæ speciei, vnum tamen est essentialiter ordinatum ad aliud, & ideo inter isthęc potest fieri prædicatio essentialis, & consequenter vnica definitione definiri possunt, ita vt tamen in definitione exprimantur omnes cõditiones eorum diuersorum, quorum vnum est tamquã materia alterius; vt si definiamus hominem per id, quod sit substantia animata sensitiua rationalis mortalis In hac definitione sunt plures conditiones: Nam prima cõditio, *animata*, constituit substantiam. Secunda, *sensitiua*, constituit animal; Tertia, *rationalis*, constituit hominem diuersum à cæteris animantium speciebus. Quarta conditio, *mortalis*, constituit hominem diuersum à Deo; Et quamuis substantia, animal, & homo differant plus quàm specie, tamen quia hæc habent nexum essentialem inter se, & vnum est tãquam materia alterius, ideo non pluribus definitionibus, sed vnica tantum definiuntur: A pari dico, quòd etsi pars, vt pars; pars similaris, & dissimilaris differant specie, nihilominus quia inter se habent nexum essentialem, ita vt vna sit materia alterius; pars enim similaris est materia dissimilaris, ideo inter eas potest fieri essentialis coordinatio definitionis, nec tamen sequitur per vnicam definitionem identificari, quia sicut homo est animal; animal autem non

Quomodo diuersæ speciei possint vnica definitione definiri.

est homo, quia propositio non cōuertitur, ita pars dissimilaris constat quidē ex similaribus, sed pars similaris nō est dissimilaris, & hac de causa optima est definitio Fernelij.

Secunda distinctio est, cum ex hac definitione Fernelij habeatur duplex actio; *communis* quę per se primò simpliciter debetur similari parti: & *actio propria*, quę debetur parti dissimilari; propterea vt dubitationes positæ soluantur, videndum est, an actio propria debeatur parti dissimilari, vel similari; hoc autem sciri non potest, nisi proponantur conditiones necessariò requisitæ ad organum ipsum. Et hæ conditiones sciri non possunt, nisi vera definitio organi constituatur; cum apud authores sit varia.

Quid sit organum ex Capiu. Capiuacceus, in sua meth. anat. cap. de organo, sic definiuit *organum esse membrum genitum ex determinatis partibus à propria generatione gratia actionis propriæ perfectæ humanæ.* Quæ definitio, vt inferius apparebit, optima est, excepta tamen causa effectrice, quæ in ea ponitur, dum habet, *à propria generatione*; dicit enim, vim partium in generante, esse propriam facultatem generatricem organorum in specie, eorūdem in genito, dum scilicet, tempore coitus, spiritus v.g. procedēs ab oculo generantis, secum ducit vim oculi eiusdem, vt oculus in genito generetur; Hæc sanè ratio, & causa efficiens non est; quando quidem causa efficiens organi est illa eadem quæ determinat partes similares ad esse organi determinati; Nam determinare partes vt sint partes alicuius organi determinati, & generare organum ipsum, est vnum, & idē; Eadem enim facultas, quæ conformat, etiam partes conformatas vnit, & componit v.g determinare humores, & membranas, vt constituant oculum, est cōponere oculum ipsum, & quamquam aliqua prioritas naturæ intercedat inter partes determinatas, & inter organum ipsum, quatenus scilicet intelligitur prius natura determinatas esse partes similares, antequam fiat organum ipsum; tamē nulla est prioritas temporis, quia eodem tempore cōponitur organum ipsum; quamobrem eiusdem causæ numero, & specie est determinare partes, & componere organum; Sed determinare partes similares ad generationem organi, est partibus similaribus tribuere proprium numerum, formam, quantitatem, & situm: Et est actio facultatis conformatricis: propterea causa efficiēs organi generatrix non potest esse vis organi generantis; primò quidem, quia hæc vis, quæ per spiritum communicatur, vel est naturalis, vel animalis, vel vitalis: Non quidem vitalis, nec animalis, quia illa dat calorem, hæc verò sensum, & motum; Neq; etiam naturalis, quia vis naturalis in organo generantis est insita, & immobilis, quæ propterea non potest per spiritum naturalem influere. Secūdò, si influeret hæc vis per spiritum, iam illa esset causa conformatrix, quod tamen abhorret ab ipso *Causa efficiens organi non est vis generātis sed facultas conformatrix.*

ipso Capiuaceeo, cum voluerit, facultatem conformatricem esse diuinam quandam facultatem ab alteratrice specie diuersam: Pro causa igitur effectrice non est ponenda, *propria generatrix*, eo modo, quo posuit Capiuaceeus, sed est ponēda *propria conformatrix*: quæ autem sit hęc facultas conformatrix; lege quæstionem nostram de facultate conformatrice.

Duæ cōditiones organi ex Capiuac.

Ex superiori igitur definitione, Capiuacei colligitur, duas esse conditiones organi continētes naturam illius; prima, quæ est per se in primo modo, est *compositio partium determinatarum*. Secunda conditio, quæ est per se in secundo modo, est *edere actionem perfectam*; propterea, quidquid est cōpositum ex pluribus similaribus, & actionem propriam perfectam edit, illud est organum, & quod deficit ex altera harum duarum conditionum, illud non potest esse organum.

Vnica est conditio organi ex Fallopio.

Fallopius, de part. similaribus, cap. 3. putauit, vnicam tantum esse conditionem organi, quæ est, *edere actionem perfectam*, quod ex Galeno, 1. meth. c. 6. probat, sic definiente, organum est *illud quod perfectam actionem edere potest*; In qua definitione Galenus non meminit compositionis partium similarium determinatarum; Idcireo putauit hic vir, non contrariari organo esse similare, & parti similari, edere actionem perfectā; Insuper esse *organicum*, & *organū* non discriminari, sed esse vnum, & idem.

Mercatus, videtur fuisse eiusdē sententiæ Fallopij, cum lib. 1. par. 5. q. 103. & 105. in articulo secundo, constituerit primò, actionem communem deberi quidem similari, quatenus similaris; secundò actionem aliquam propriam deberi parti similari *figuratæ*, & instrumentali, sicut sunt vterus ventriculus, vesica, & intestina quibus debentur actiones propriæ perfectę, ac tamen sunt partes similares sed *figuratæ*, ac instrumentales. Tertiò, actionem aliquam propriā perfectam deberi parti similari figuratæ, quatenus tamen est vnita alijs sub forma organi: Quare visus est Mercatus voluisse, quòd edere actionem perfectam posśit competere vni soli parti similari figuratæ, & consequenter, organo non repugnare, esse similare, & cōsequenter, *organum*, & *esse organicum* conuerti, & consequenter, compositionem plurium similariū non esse conditionem necessariam constituentem organum in esse organi. Verum in articulo 5. Cognoscens errorem, in antecedenti articulo commissum, palinodiam canit, confitēdo, vesicam, vterum, intestina, & ventriculum, non esse partes similares tantùm organicas, sed esse organa realiter dissimilaria ex pluribus partibus determinatis genita, ex quo tres cōditiones organi proponit: Prima est, vt ratio organi sit *instātanea*: Nam cùm ratio actionis perfectæ consistat in figuræ integritate, actio perfecta celebrari non potest, nisi integrum sit organum, & cum ratio organi perfecti sit *figura*, hæc verò sit accidens, ideo fi-

Inconstantia Mercati de natura organi.

Tres cōditiones organi ex Mercato.

gura organi non fit paulatim, sed in instanti; propterea organũ nondum est, nisi vltimum generationis instans aduenerit, quod nõ potest dici de parte similari, quæ dũ fit, talis est, cum quælibet portio partis similaris sit eiusdem naturę cum toto.

Prima ergo conditio organi est ipsa *simultas*, quòd scilicet simul tempore totum fiat.

Secunda conditio est, vt *perfectam actionem edere valeat*.

Definitio organi Mercati. Tertia conditio, vt ex *pluribus* componatur, quare definiens ipse organum, dicit, esse *partem, quæ peculiarem edit actionem, quam nullum aliud membrum edere valet, & quæ figuram habet peculiarem, & sibi propriam.*

Taxatur. Cuius Mercati definitio est potius descriptio: Nam sufficit ponere *actionem propriam perfectam*; cæteræ verò particulæ sunt superfluæ: Nã si organum est illud, quod actionem edit propriam, eatenus actio illa est propria, quatenus cęteris nõ competit, & eatenus edit actionem propriam perfectã, quatenus habet propriam figurã perfectam: quapropter superuacanea est hæc definitio in conditionibus non necessarijs, & est diminuta in conditionibus necessarijs, cum non includat compositionem partium determinatarum, quæ est prima conditio per se primò constituens organum in esse organi.

Compositio est conditio organi per se in primo modo. His sic stãtibus, constituo, duas tantum esse conditiones organi essentiales: Prima conditio est per se in primo modo, quia est essentia & quidditas organi, qua posita ponitur organum, & qua ablata, aufertur organum, & est *compositio partium determinatarum*, quæ vniuersaliter primò ipsi organo debetur; Ideo æqualiter conuertuntur, compositio partium determinatarum cum organo, & organum cum compositione partium determinatarum. Secunda conditio est per se in secundo modo, quia est *proprium accidens* proueniens ab organo subiecto, & est *edere actionem propriam perfectam*, quæ dependet ab organo, quatenus est compositum ex pluribus similaribus, sicut risibile dependet ab homine, quatenus est rationalis; quæ duæ conditiones ita se respiciunt, vt vna dependeat ab alia; edere namque actionem propriam perfectam, dependet à compositione similarium, & hanc illa supponit, & ideo tametsi Galenus, 1. meth. cap. 6. definiuerit ororganum per solam actionem propriam, tamen supposuit naturam organi compositam ex pluribus, à qua dependet actio organi perfecta; propterea deceptus est Fallopius existimans, vnam tantùm esse conditionẽm organi, quæ sit edere actionem propriam, vt in superiori quęstione sanciuimus. *Actio propria est conditio organi per se in secundo modo.* *Fallopij error.*

Sed hic oritur gemina difficultas; prima est: Nam omnis actio, tam communis, quàm propria, conuenit parti similari; ideoq; videtur, hanc non esse conditionem propriam organi, nimirum *edere actionem propriam:* Et hoc ratione, & inductione patet; cum in vno- *Prima difficultas.*

vnoquoque organo necessariò detur pars aliqua similaris, cui per se primò debetur actio illius propria, vt in oculo humor crystallinus, cui p se primo debetur actio; Sic de singulis; Si ergo in organo semper datur pars similaris cui per se primo debetur actio propria, ergo edere actionem propriam non est conditio, quæ per se primò competat organo; quia si per se competit parti similari, per accidens competit toti organo; & confirmatur authoritate Galeni 6. de placit. cap. 8. dicentis, in vnoquoq; organo dari partem, cui non reperitur aliqua alia in toto similis, cui per consequens debetur per se primò actio propria organi, ergo, &c.

Respōsio Capiuaccei. Respondet Capiuacceus, in methodo anat. de organo, actionem propriam pendere quidem *originaliter* ab aliqua similari determinata, sed perfici à toto organo.

Respōsio Mercati. Respondet Mercatus de partib. art. 3. actionem propriam deberi quidem parti similari, cui similis alia reperiri non potest, sed ei competit; non vt similaris, sed vt *figurata*, & *organica*.

Harum duarum responsionum, prior quidem est vera, sed non sufficienter exposita; Nam iterum ali quis posset instare: Si actio propria per se primò *originaliter* procedit ab aliqua similari, perficitur autē à toto organo, ergo illa actio non erit propria, & per se totius organi, sed per accidens; Ideoq; respondendum, actionem propriam per se primò, & adæquatè competere

Respōsio propria. toti organo, sicut risibile per se primò competit homini; & sicut rationale est ratio formalis, qua est homo per se primò risibilis; ita pars similaris in organo est ratio formalis, qua organum totum per se primò dicitur edere actionem; & ideo, sicut ratio formalis risibilitatis non ridet, ita ratio formalis organi non operatur, vt humor crystallinus est ratio formalis oculi, qua oculus videt, humor autem crystallinus non videt; Actio igitur propria per se primò debetur toti organo propter rationem formalem alicuius partis similaris: Et ex his patet,

Solutio Mercati falsa. solutionem Mercati esse falsam, quia actio propria nunquam debetur formaliter alicui similari etiam *figuratæ*, vt videre, quod non competit formaliter humori crystallino: sic de vtero, ventriculo, & alijs, quæ non sunt partes similares organicæ, sed sunt organa dissimilaria vera, ex pluribus similaribus composita, propterea nugatur Mercatus.

Secunda dubitatio. Secunda dubitatio difficilior, est illa, quæ desumitur ex Galeno, 1. methodo, capit. 6. dicente, organum illud esse, quod perfectam actionem edere potest, & inter exempla, nedum *oculum*, & *linguam*, proponit, quæ sunt verè organa, sed etiam *venas*, & *arterias*, quæ non sunt vera organa, sed sunt partes similares tantùm organicæ, igitur actio propria non erit essentialis conditio organi, & consequenter non repugnabit parti similari, *edere actionem perfectam*, quod maximopere faceret pro Fallopio.

Ca-

Responsio Capiuacci. Capiuacceus, meth.anat.de organo, sub nebula, vidēs hanc obiectionem, videtur assentiri, venas, & arterias esse organa, & consequenter compositas ex pluribus similaribus differentibus specie, edereq́; actionem perfectam; cum venæ, & arteriæ, extra partem nō sint tanquam ductus, simplicesque canales, sed per eas facultates expultrices sanguinem distribuant; ideoq́, sanguinis distributionem dici actionem propriam venarum, & arteriarum.

Reprobatur. Verùm hæc responsio est falsa, quia supponit duo falsa; primum, venas, & arterias, esse organa, & partes dissimilares, quod est falsū, vt superiori quæstione sancitum est. Secundum, venas, & arterias edere actionem propriam perfectam.

Respōdendum igitur est primò, distributionem vtriusque sanguinis per venas, & arterias non esse actionem propriam, sed esse communem, quia expulsio est actio naturalis; actiones autem naturales sunt communes, & non propriæ; propterea, sicut venæ, & arteriæ sunt partes similares, ita habent actiones communes.

Actio naturalis est duplex communis, & propria. Sed hic nota, quòd actio naturalis est duplex, altera est propria, alia verò est officialis: Propria actio naturalis est, quando aliqua pars in gratiam sui tantum attrahit, retinet, eoquit, & expellit, & ista actio *communis* dicitur; quia commune est omnibus partibus nutriri: Actio autem naturalis officialis, est, quando aliquid attrahitur, retinetur, coquitur, & expellitur, non ex toto, in gratiam sui, sed in gratiam totius, vt chylificatio in ventriculo, & sanguificatio in iecore; hæ quidem sunt actiones naturales, sed non sunt communes, quia commune non est omnibus partibus chylificare, & sanguificare, ideo sunt actiones *propriæ*, illa iecoris, quæ idcirco debetur toti iecori, vt est organum; ista vētriculi, quæ toti ventriculo debetur, quatenus est organum. Res igitur ita se habet, vt, commutata proportione, actio naturalis propria sit communis omnibus similaribus viuentibus; Actio verò cōmunis, & officialis sit propria sui organi, & instrumenti: Propterea, cum sanguinis distributio per venas, & arterias, sit actio naturalis propria, quia venæ distribuunt sanguinem pro totius nutritione; Similiter arteriæ; ideo nisi superior responsio corroboraretur, ex hoc videretur sequi, venas & arterias esse organa, & consequenter habere actionem propriam: & eò magis vrget dubitatio, quia Galenus 1.meth.c.6.scripsit hæc verba; *velut oculus visionem, & linguā loquelam, & crura itionem. Ad eūdem modum vena, & arteria, & neruus tum instrumenta, tum partes animalis sunt:* quibus verbis Galenus videtur affirmare, venas, & arterias, nedum neruos, ita esse organa, sicut oculus, lingua, & crus, & consequenter edere actionem propriam: vnde aduersus nostram scholam, alterum horum sequeretur inconueniens, vel quòd venæ, & arteriæ sint dissimilares, vel quòd, si sint similares, non repugnet

pugnet partibus similaribus, edere actionem propriam,& per consequens,organum,& organicum esse vnum, & idem,neque partium compositionem esse conditionem organo necessariam.

Quomodo venę & arteriæ edāt actionē propriā.

Quamobrem respondendum, venas, & arterias esse similares, quatenus arteriæ,& venæ,quocirca habere communem actionem nutritionis:venas verò &arterias, eatenus dici organa, & edere actionem propriam,quatenus cōcurrunt in propria earum actione, & partes expellentes,& partes attrahentes; nisi enim hæ agerent simul cum venis, venæ non distribuerent sanguinem.propria expultrice,& consequenter non haberēt actionem propriam perfectam: Nam sicut iecur non potest actione propria coquere,& sanguificare sine venis; ita venæ non possunt actione propria expellere; & distribuere sanguinem absque iecore: quare iecur,& venæ simul agūt in officiali distributione sanguinis:Et idem dicendum est de arterijs,& corde;quādo igitur ait Galenus,venas, & arterias *ad eūdem modum* esse instrumenta, sicut ócūlus,& lingua,sensus est,venæ,& arteriæ,eodem modo edunt actionē perfectam, non *vt venæ, & arteriæ*, quia sic sunt similares,& gaudent sola actione communi, sed quo modo *oculus*,& *crus*,idest,sed quatenus cum eis per partium cōtinuitatem concurrunt partes expellentes, & attrahentes: sic enim sunt instrumenta, & actionem propriam perfectam distributionis sanguinis edere possunt. Stat igitur vera hęc doctrina, quòd edere actionem propriam perfectā præsupponat, vel plurium similarium compositionem, vt visio in oculo,motus in crure,& loquela in lingua; vel saltem plurium partium simul in eadem actione concurrētium continuationem, vt distributio sanguinis per venas, & arterias; quare duæ sunt conditiones organi; prima, vt ex pluribus similaribus componatur: secunda, vt actionem propriam perfectam edat.

Generatio instātanea non est propria conditio organi.

Tertia conditio organi à Mercato proposita,est ab organo separanda,cùm ponat generationem organi *instantaneam*, esse propriam conditionem organi: Non quidem hoc loco disputandum est, an conformatio sit *in instanti*, an in *tempore*,sed dato, & non cōcesso,esse in *Instanti*; Iam hæc cōditio est communis tam similaribus, quàm dissimilaribus, quia similares, & ipsæ conformantur,nedum organa; quocirca duæ sunt tantum conditiones constituentes organum in esse organi, compositio partium, & actio propria perfecta; quibus sic positis,definitio organi debet esse talis.

Definitio organi.

Organum est membrum compositum ex partibus determinatis, gratia actionis perfectæ. Organum est definitum. *Membrum* genus definitionis, quod prædicatur,& de parte, & de organo. *Compositum ex partibus determinatis*, est differentia specifica, essentiam organi determinans,& dicitur, *ex partibus determinatis*, quia organum nedum fit ex similaribus,verùm etiam ex dissi-

dissimilaribus; Ex quo quatuor species instrumentorum à Galeno lib. de morb. differ. cap. 4. proponuntur.

Quatuor species instrumenti. Prima species est organi compositi ex partibus similaribus, vt musculus.

Secunda species est organi compositi ex primis instrumentis, vt digitus ex musculis compositus.

Tertia species est organi compositi ex secundis instrumentis, vt pes ex digitis.

Quarta species est organi compositi ex tertijs instrumentis, vt crus ex pede, tibia, & femore: Et hæ sunt partes determinatæ, ex quibus organa fiunt.

Dicitur tandem, *gratia actionis perfectæ*, quæ est alia differentia specifica organi trahens originem ex prima, qua mediante organum differt à parte similari. Et hęc organi essentia clauditur in ea parte definitionis Fernelianæ, dum habet, *ad functionem comparatá*; Nam *functio* est *actio propria organi*, & actio propria præsupponit, tanquam sui principium, compositionem partium determinatarum: propterea hæc definitio partis Fernelij est optima; relinquitur vt dubitationes soluantur.

Argumentorum responsiones.

AD primum respondeo, definitionem Fernelij esse vnam, & specificari ab vnica differentia, quæ vt est communis *vitæ fruitio*, est differentia constitutiua partis similaris viuentis; & vt est, *functio*, est differentia constitutiua partis dissimilaris; neque est incōuenięs eadem definitione vtramque partem amplecti, cum vna sit materia alterius, sicut substantia animata sensitiua est materia hominis; & hac responsione soluitur, secunda, tertia, quarta, & quinta difficultas.

Sextum argumentum diluitur ex eo, quia tametsi in hac definitione Fernelij, non exprimitur cōpositio partium, tamē includitur; actio enim propria, quæ ab ipso *functio*, dicitur, necessariò in ea præsupponit compositionem partium, tanquam sui causam adæquatam.

Septimum argumentum soluitur, ex eo, quòd actio propria per se primò cōpetat toti organo per rationem formalem intrinsecam, quæ dicitur pars similaris, sed negatur, actionem propriam per se primò tribui debere parti similari, vt in distinctionibus declaratum est.

De partibus, impostura Hermetica.

POstquam superius cum Dogmaticis vidimus, quid, & quotuplex pars sit; nunc tandem videamus quid Hermetici senserint, tam de natura partis, quam de ipsarum diuisione. Quoad naturam, vt ex Hermetico licet colligere, lib. 2. Paramiri, c. 3. Pars *est vnum corpus, ex triplici substantia genitum, actionis, & vsus gratia*. *Definitio partis hermeticæ.* Genus definitionis mecum statuerent, esse *corpus, ex triplici substātia in vnum identificatum*, hoc *Genus.* enim,

enim, nedum animalium, verum etiam, ex illorum sententia, plantarum partibus, competit, ideoque de pluribus prædicari statuunt.

Differentiam esse, *actionem*, & *vsum*, partem animalis viuentem constituentes, mecum pariter determinarent.

Verum, vt partium diuisiones, quæ ab ipsis afferuntur, intelligantur, prius tradita definitio, ex eorum principijs, est declaranda; dicunt igitur vnamquamque partem *triplicem esse*, i. ex tribus conflari substantijs in vnicum tamen semen identificatis, sulphure, scil. sale, & Mercurio, etenim quęlibet pars, cum tres in se substantificè contineat conditiones, *esse*, scilicet *liquoris*, esse *tangibile*, & *formæ susceptibile*; primũ esse liquoris recipit intrinsecè a Mercurio; esse tangibile a sale; esse formæ a sulphure, ideoq; vnaquęque pars, ex his tribus necessariò, tanquam intrinsecis principijs substãtificis, construi debet: at verò, quia hæ tres substantię seorsim specie distinguuntur acceptæ, ideo, si ex his vna pars, & vnum corpus generari debet, necessariò in simplici sui mixtione, ita inuicem transmutari debent, vt vnum specie producatur, tanquam ex tribus identificatis, a quibus tantum formaliter, & non realiter distinguantur; sicque, constituunt, partem quamlibet esse vnum semen ex triplici hac substantia compactum: quę cum suum fundamentũ habeant in ijs, quæ in prima impostura dicta sũt, iecircò non est, quod vos diutius morer.

Quomodo vna pars sit duplex

hęc ergo est ipsorum partis definitio.

Post partis naturam, sequuntur eiusdem diuisiones. circa quas cũ Dogmaticis conueniunt in duarũ postremarum diuisionum titulo, quamquam in re ipsa discrepent, in prima verò partium diuisione omnino dissentiri videntur; non enim accipiunt diuisionem in similares, & dissimilares, sed totum corpus videtur similare ab ipsis constitui, cum dicant, *vnum tantum esse corpus*, *sed tres res*, vt superius fuit expositũ; sicut vero corporis partes in similaritatis ratione conuenire asserũt, ita in specie discriminari autumant, nam v.g. tametsi cerebrum, & hepar in sulphuris similaritate conueniant, in sulphuris tamen discrepant specie, alia enim est sulphuris cerebri, alia hepatis species; sic de sale, & Mercurio subintelligendum esse, subiungunt; & iecirco, supercilio censorio determinant, tot esse numero, & specie, sulphura, sales, & Mercurios, quot numero, & specie sunt partes similares; quas substantias in diuersis partibus, specie distinctas volunt, tanquam in proprijs specie distinctis subiectis, fundari in seminis partibus, etiam specificè discriminatis, vt colligitur ex Hermetico tract. secundo de generatione hominum cap. sexto, ponit enim aliud esse semen *cerebrale*, aliud *iecorale*, & sic de singulis: hæc de prima partium diuisione.

Prima partium diuisio hermetica in similares

Circa secundam diuisionem quòd aliæ sint partes Principes, alię ministrantes, accipiunt hanc

Secũda diuisio.

diuisionē Hermetici, sicut & Principum diuisionem, in facientes ad indiuidui, & speciei propagatio nem; discrepant tamen in numero, & specie; nam Dogmatici dicunt, partes principes esse tres, cor, cerebrum, & hepar; ipsi vero volunt, esse *septem*, sicut in superiori firmamento sunt septem Planetæ;

Partes principes.

Cor, cui tribuunt Solem.
Cerebrum, cui tribuūt Lunam.
Lienem, cui Saturnum.
Fellis cystim, cui Martem.
Rhenes, quibus Venerem.
Pulmones, quibus Mercurium.
Epar, cui Iouem.

Ministrātes. His ministrantes adiungunt,

Cordi, arterias.
Cerebro, neruos.
Lieni, venas splenicas.
Cysti fellis, poros cholidicos.
Rhenibus, emulgentes, & vretera.
Pulmonibus, asperas arterias.
Epati, venas.

Principes ratione speciei. Principibus conseruantibus pariter, & ipsi, principes propagantes adijciunt,

Vasa spermatica.
Osæum.
Pudenda.

Tertia diuisio. Tertiam tandem recipiunt diuisionem in partes se ipsas regentes, & non regentes. Quæ à se ipsis reguntur, volunt esse septem superius declaratas, dicentes, in se ipsis, septem Planetarum ritu, cōsistere, nullumq; alimentum aliunde capescere, vt colligitur tract. 3. Paramir. de ente naturali, cap. 4. quales vero sint, quæ aliunde gubernantur, vt colligitur ex Chyrurgia magna, & vt etiam adnotaui in mea Chyrurgia de vlcerib. cap. 7. omnes illæ sunt, ex eorum sententia, quæ à septem superioribus principibus gubernātur, nam cerebrum, (cui tribuunt Lunam,) *Quę gubernantur ab alijs.*

Spinam Dorsi.
Costas.
Scapulas.
Et Lumbos, regit.

Cor, cui tribuūt Solem, complectitur Collum.

Pectus.
Hippochundria.

Et quicquid inter clauiculas, & ingina continetur,

Vmbilicum.
Et eius partes circūiacentes.

Hepar, cui tribuunt Iouem, posteriora cranij respicit.

Pulmones, quibus Mercurius exhibetur, omnia alia viscera interna etiam respiciunt,

Linguam.
Gingiuas.

Lien, cui Saturnus adsistit, artus ipsos,

Canales omnes.
Ligamenta.
Medullam.
Iuncturas.
Occiput.
Nucham.
Cranium.
Frontem.
Oculorum cauitates.
Et partem nasi superiorem.

Rhenes, quibus Venerem,

Pudenda.
Osæum.
Et omnino, quę generationi inseruiunt.

Cystis fellis, cui Martem assigunt, faciem, & omnes partes carnosas,

nosas, faciei correspondentes, vt sunt volæ manuum, & pedum, vna cum vulua.

Hæ sunt partes, quibus à iam dictis principibus septem, totum suæ vitæ regimen ministratur. Et hæc de partibus secundum Hermeticos.

Impostura cõfutatio. Quæ omnia, prout fraude plena sunt, ità confutari merentur: & primo, quantum ad ipsius partis naturam, parum consistens videtur illorum doctrina; nam, si pro tribus illis substantijs, semini inexistentibus, eius calidum substantificum, humidam, & terream substãtiam, intelligant, quæ pariter sunt tres substantię in semine simul vnitæ, ita quòd *calida* substantia, quæ dat esse formæ, sulphuri proportionaliter correspondeat, *humidum*, quod dat esse liquoris, mercurio: & *terreum*, quod dat esse tangibile, sali pariter analogicè correspõdeat, nihil noui proponunt, vnde cum eis libenter conueniemus: at si tres substantias à iam tribus dictis semini inexistentibus, specie distinctas in semine identificatas, proponant, sicut ponere videntur, merum ipsorum citra rationem suppositum esse videtur: nam pręter id, quod calidum innatum, humidum, & terreum, in semine, illud omne efficiãt, quod ab illis tribus substantijs efficitur; & pręter quod in primo capite, eorum rationes reiectæ sunt; adhuc pluribus destrui possunt rationibus; & primo *Prima ratio.* hæ tres ipsorum substantiæ semini inexistentes, vel sunt eiusdem speciei, cum eis, quæ in maiori continentur Mundo, sulphure, sale, & mercurio, vel non: non potest dici, esse eiusdem speciei, quia animal in easdem specie substantias resolueretur, quod nullus affirmare potest, nullus enim in humani corporis resolutione, sulphur, salem, & Mercurium vidit; quę si sint diuersæ speciei, metaphoricè tantum dicentur illæ tres substantiæ sulphur, mercurius, & sal, sicq; tãtum analogicè; sieq; specie, realiter, nõ different à calido innato, humido, ac terreo substantifico. Secundo *Secũda ratio.* quæro, hæ tres vestræ paradoxæ substantiæ, vel sunt substantiæ perfectæ, vel imperfectæ; non dicetis dubio procul, esse in sua specie imperfectas; quia vultis, vnam habere perfectam sulphuris formam, aliam mercurij, aliamq; salis; easq; proprium esse substantiale vnicuique præcisè correspondens, exhibere; ergo ex vobis perfectæ substantiæ nuncupari debent: tunc sic infero, tres substantiæ perfectæ, inuicem specie distinctæ, non possunt in vnum simul identificari, ergo insapienter posuistis, has tres substantias in vno temere identificari. Ant. est clarum, quia adhoc vt duo, vel tria fiant vnum per se, vnum, vel duo, se debent habere tanquam potentia, tertium vero, vel duo, tanquam actus; sed illę tres substantiæ, tres sunt actus, ergo simul identifica vnitate vniri nequeunt, ergo non consistit vestra doctrina, quæ, prout tota est, metaphorica, ita facili negotio ruit, tertio vos ponitis, tres has *Tertia ratio.* substantias, pro diuersis partium rationibus, specificè differe, itaut, sicut cerebrum à corde differt spe-

 cie,

cie, ita eorum sulphura, sales, & Mercurios, quod nullum maius inconueniens excogitari potest, scilicet res, nedum ratione formæ, sed etiam ratione materiæ specie discriminari, cum in vera philosophia compertum sit, materiam esse solum causam distinctionis numeralis, formam vero totius distinctionis specificæ; vnde necessariò sequitur, verbi gratia, cor, & hepar, ratione seminis, specie non differre, sed ratione formæ diuersę, per seminis vtriusque substantialem transmutationem, ab Agente introductæ; ecque grauius redditur vestrum peccatum, quia prout diuersa diuersarum partium, sulphura, sales, & Mercurios, suo semini inexistentes, efficitis, ita earundem partium semina partialia specie distincta esse vultis, cum partes seminis à toto semine specie, haud distinguantur; quanquam etiam iuxta varias dispositiones, aliquam accidentariam diuersitatem sapiant; concludamus ergo, sulphur hoc, Mercuriũ, & salem, vel nihil esse, vel nõ differre ab ijs, quæ physicè semini inexistunt, ex quo partes gignuntur.

Error in prima diuisione. Circa primã partium diuisionẽ, peccant Hermetici, constituentes vnum totum corpus similare, quia & si ratione seminis, vnum numero, & specie dici possit, tamen ratione diuersarum partium, ex quibus compactum est, dissimilare est nuncupandum.

Error in secunda In secunda autem diuisione, præter id, quod metaphoricè mẽbris Planetas tribuunt, quod est extra negotium physicum, errant quoque, cum principibus partibus ministrantes admisceant, *pulmones* enim, *lienem, cystam fellis*, & *rhenes*, enumerant, quæ Principibus solum deseruiunt: & cum in secunda partium diuisione, à vero tramite discedãt, in tertia quoque, ob eorum inexperientiam, in scillam incidunt, cum prædictæ ministrantes, tanquam principes numeratæ, à se ipsis nõ gubernẽtur; totumque corpus à corde p arterias, à iecore per venas, & a cerebro per neruos, iugiter, regatur, & gubernetur. Subticebo eorum plures contradictiones, in assignatione partium a seipsis non regentium, quæ silentio potius, quam confutatione dignæ sunt, vt puta, quòd *renes pudenda regant, cystis fellis volas manuum* lien *artus*, & *canales*, cæterasq. subalternatim positas. pulmones, *omnia viscera interna*, Hepar *posteriora cranij*, & reliqua omnia falsissima, & sine ratione prolata. *Error in tertia.*

DE FACVLTATIBVS.
Quid sit facultas. Cap. I.

QVoniam, facultas in partibus residet, tanquam actionis opifex; ideo post partes, de facultatibus agẽdum est, & primum quid sit facultatis *entitas*, & essentia explicandum est.

Plures sunt, & extiterunt de animæ facultatis quidditate opiniones: Nam stoici putarunt, eam esse *Spiritum*, alij esse *calidum innatũ*: alij esse *temperamentum*: alij esse *potentiam animæ rationalis*.

Quo ad stoicos, hi putarunt, facultas- *Opinio stoicorũ*

de facul tate. cultatem animæ esse corpoream, sed tenuissimam, & proinde spirituosam substantiam: verùm hæc opinio tanquam falsissima refutatur a Galeno de plac. cap. 3. potissimum per id, quòd spiritus sit quidem animæ facultatis vehiculum, & instrumentum, non ipsa tamen facultas: Nam, si facultas esset spiritus, sequeretur quòd spiritu destructo, anima quoque periret, & sic animal continuò periret, quod est falsum. Assumptum patet; Spiritu enim exhausto, actiones quidem imminuuntur, eo tamen restaurato, actiones denuò producuntur, quod nō esset, si spiritus formaliter esset animæ facultas; Facultas ergo non est spiritus, sed spiritus est facultatis organum.

Opinio Rudij. Qui tenent animæ facultatem esse *calidum innatum*, sunt, vt Rudius, qui ad mentē Galeni, & Hip. probat, calidum innatum esse substantiam ipsam animæ: Verùm decipiuntur; quia calidum innatū est quidem *organum primarium* respectu *conseruationis*, sed nō est causa ipsa actionis effectrix; quare sic esset idem causa effectrix, & instrumentum, quod implicat.

Qui volunt, animæ facultatem esse *temperamenti proprietatem*, sunt, vt Fuchsius; sed decipiuntur; Temperamentum enim est primarium instrumentum respectu *actionis*, sed non est causa ipsa effectiua.

Quare cum facultatis essentia consistat in eo, quòd sit causa effectiua adæquata, & immediata respectu actionis, idcirco facultas, nil aliud est, nisi *potentia animæ*, quæ cum sit *actus corporis physici organici*, ideo per suam potētiam est sufficiens causa effectrix cuiuscunque actionis: *facultas ergo nil aliud* est, *quam potentia animæ, actionis causa*: Cuius facultatis organum est duplex, *operatiuum*, & est *temperamentum*; *Conseruatiuum*, & est *calidum innatum*. *Quid facultas.*

De facultatum speciebus. Caput II.

Cognita facultatis essentia, remanet, vt eius species numeremus; Tot ergo erunt facultatis species, quot sunt causarum effectricum differentiæ corpori inexistentium: Tres autem sunt actionum corporis causę effectrices, ergo tres erunt facultatis species, *vitalis*, *animalis*, & *naturalis*: Specie autem differre, clarum est, cum id, quod sequitur, & id, quod ex ipsis prouenit, specie diuersificetur; Aliud enim est temperamentum cerebri, quod facultas animalis sequitur, eiusque actio; pariter aliud est temperamentum cordis, quod facultas vitalis sequitur, & eius actio; Tandem aliud est temperamentum, quod naturalis facultas sequitur, eiusque actio; & ideo cum temperamenta, & actiones specie differāt, facultates quoque specie differre, manifestè conuincitur. *Facultatum species.*

Animalis. Animalis ergo facultas in cerebro residet, & per neruos, ceu per canales quosdam sensum, & motum voluntarium in vniuersi corporis partes dispensat.

Vitalis. *Vitalis* facultas in corde suū hēt domi-

domicilium, tanquam in fonte caloris;& per arterias, tanquam per canales vitam toti corpori impertitur: Hæc *iraſcibilis* dicitur, eo quod ira à corde proueniat, cum ſit *ebullitio ſanguinis circa cor.*

Naturalis. *Naturalis* facultas in iecore reſidet,& per venas,omnibus partibus,alimoniam præſtat. Hæc *concupiſcibilis*, *appetrix*, & *altrix*, nuncupatur.

Harum trium facultatum, *vitalis*, & *animalis* influentes dicuntur,quia illa per arteriam,hæc per neruos influit : *Naturalis* facultas *inſita*,*ingenita*,& *innata* dicitur,quia ſingulæ cuique parti innaſcitur:Et hæ sũt facultatũ ſpecies.

De Animalis facultatis differentijs. Caput III.

Facultas animalis eſt in triplici differentia:

Sentiens .
Mouens.
& princeps.

De ſentiente.

Facultas ſentiens in quinque diuiditur,in facultatem,

Viſiuam.
Auditiuam.
Odoratiuam.
Guſtatiuam.
& tactiuam.

Viſiua. Facultas viſiua in humore cryſtallino oculi reſidet, mediantéque proprio temperamento per *ſpecies viſibiles* receptas, actum videndi efficit.

Huius inſtrumenta ſunt duo nerui optici.

Auditiua. Facultas audiendi ſita eſt in aure : huius inſtrumentum eſt quinti paris neruorum,alter,qui intra aurem *membrana modo dilatatus*, vnà cũ *tribus oſſiculis*, & *aere interno* inſtrumentum facultatis redditur,vt ſonos percipiat, & eorum diſcrimina dijudicet.

Odoratiua. Facultas odorandi intra nares in *oſſe cribriformi* ſita eſt, cuius inſtrumentum ſunt proceſſus *quidã cerebri albicantes neruis ſimiles*, quorum medio odores vnà cum aere percipiuntur, nec non dijudicantur.

Guſtatiua. Facultas guſtandi in lingua locum habet, cuius inſtrumentum eſt neruus à *tertio pari*, qui iuxta baſin linguæ dilatatur,*tunicamq́; linguæ efformat*,qua mediante,ſapores dijudicantur.

Tactiua. Facultas tangendi in *membranis*,reſidet,ideo ſicut cæteris facultatibus determinatus ſitus in aliquo loco debetur;è contrario tangendi facultas in quacunq́ corporis parte ſubiectatur , quæ neruis, & membranis donata eſt:Hæc tangibiles qualitates dijudicat . Et hæc de facultate ſentiente.

De Mouente.

Secunda facultatis animalis differentia *mouens* nominatur; cuius inſtrumentum adæquatum eſt *muſculus*, cuius ope motum voluntarium producit,qui motus voluntarius dicitur, quia eſt liber ſecundum vtramque libertatem,*contradictionis in actu*, & *contradictionis ad actum*. *Libertas mouentis.*

De Principe.

TErtia facultatis animalis differentia, Princeps appellatur, quæ triplex eſt.

Imaginatrix.

Ratiocinatrix.

& Memoratrix.

Imaginatrix. Facultas *Imaginatrix*, ſub qua in doctrina Galeni comprehenditur *ſenſus communis*, illa eſt, quæ imagines ab exterioribus ſenſibus oblatas apprehendit, & ſingulorũ ſenſuum obiecta dijudicat, quæ obiectorum externorum effigies ab imaginatrice conceptæ, *phantaſmata* dicuntur.

Ratiocinatrix. Facultas *ratiocinatrix* illa eſt, quæ ſpecies intelligibiles, ex phantaſmatibus elicitas, componit, ac diuidit, diuidendoq́, nec nõ cõponendo, de ſingulis ratiocinatur, vnde mens, ratio, intellectus, & intelligentia latinis, νοῦς Græcis dicitur.

Memoratrix. Facultas *memoratrix* illa eſt, quæ rerum idola diutius conſeruat, velutq; in horreum condit, & quod firma contentione ſeruauit, in actum tunc exponit, quando cæteræ ceſſant.

Has principes facultates *loco, et ſubiecto* in cerebro diſtinctas aliqui opinati ſunt, quæ opinio pueriliter ficta eſt, temereq́ue effutita: non enim realiter diſtinguuntur, ſed formaliter, quatenus ſcil. imaginatrix in ſua actione vtitur ventriculis cerebri *anterioribus*; memoratrix *poſtrema cerebri parte*; Ratiocinatrix *media* cerebri cauitate; ſed per hoc nõ ſequitur realiter loco, & ſubiecto diſcriminari. *Quomodo diſtinguãtur in cerebro.* Et hæ ſunt facultatis animalis differentiæ.

De vitalis facultatis differentijs. Caput IV.

DE facultate vitali duo ſunt cõſideranda. Primum quid illa ſit. Secundum quomodo ab alijs differat.

Quantum ad primum; vitalis facultas illa eſt, quæ vitam in vniuerſum effundit: vita autem nil aliud, quàm *facultatum, actionumq; earundem conſeruatio à corde cum influente calore profecta; ex quo vita* conſiſtit formaliter in calido innato, quo ignorato, ignoratur vita, & per conſequens vitalis facultas. *Quid vita.*

Calidum ergo innatum, Græcis θερμὸν ἔμφυχον, multifariam accipitur in doctrina Galeni, & Hipp. Quadrupliciter enim dicitur: Primo modo accipitur pro eo, quod *primis principijs implantatum eſt.* Secundo, pro *humida, & aerea ſubſtãtia* ex principijs in ſingulis partibus poſt generationem relicta. Tertio: pro *innata, & influente, ſubſtantia calida*. Quarto, *pro aggregato calidi inſiti, & influentis.* *Quid calidũ innatum.*

Primo modo calidum innatum dicitur à Galeno in libell. contra Lycum, accipitur enim pro primis principijs, nimirum pro *ſemine*, & *ſanguine*, quatenus in eis ſubiectatur calor; quod ſemen, & ſanguis menſtruus ſunt corpora nobis à primordio generationis innata; quare in prima notione calidum innatum accipitur pro toto aggregato *Prima notio calidi innati.*

gito feminis,& fanguinis mēftrui, quatenus in eis calor quidā innafcitur,ex quo femine, & fanguine generantur partes folidæ.

Secunda notio. Secundo modo innatum calidū proponitur à Galen.2.de natura humana com.13. Et accipitur pro *humida fubftantia* partibus, implantata:neque implicat, calidum innatū pro humido vfurpari; quoniam cum calor ex femine, & fanguine partibus ipfis inditus, temperatus effe debeat,ad hoc vt animal fanum exiftat,Ideo calor innatus humido quodam perfunditur, quod *humidum radicale*, & primogenium dicitur, quod eft caloris innati pabulum, & fubie&um: hoc autem humidū ex femine partibus folidis innafcitur: Idcirco calidum innatum fecunda notione acceptum nil aliud eft, quàm calidum ab humido radicali temperatum; hinc traxit principium illa propofitio medica *vita in calido, & humido confiftit.*

Humidum radicale.

Tertia notio. Tertio modo calidum innatum pro influente à Galeno 5.de s. m. facult.cap.8.vfurpatur; Siquidem fubftantia iam fuperius declarata à primordijs nobis infita,promptè citòq; diffoluta periret, nifi alia ei fimilis afflueret;propterea ex eis, quæ ingeruntur cibarijs, fubftantia duplex calida gignitur, *Sāguis* equidem in iecore, *fpiritus* autem in corde, & fanguis per venas, & fpiritus per arterias in omnes corporis partes effunditur,vt fubftantia calidi innati reparetur, & conferuetur, quæ *influens* in *recto* dicitur,quia propriè influit; In *obliquo* autem calidum innatum dicitur,non quia reuera infita fit, fed quia infitam auget, & conferuat.

Quarta notio. Quarto modo calidum innatū a Galeno 1.aph comm.15. accipitur pro *toto aggregato calidi innati & calidi influentis* fimul vniti, quod ab ipfo dicitur omnium operum naturalium caufa. Hæc ergo quantum ad primum propofitum patet,facultatem vitalem illam effe,quæ fanguinem fpirituofum gignit in corde, & a corde tranfmittit gratia vitæ.

Diftinctio concretiua triū facultatū. Quantum ad fecundum, facultatem vitalem ab animali, & naturali diftingui *concretiuè*,ex eo potiffimum patet, quia læfa facultate vitali,cæteræ non læduntur;cæterifque læfis, hæc non femper læditur, vt in febribus peftilentibus, vitalis læditur, cæteris illæfis, vel faltem parum offenfis, ex quo non tātum ratione,vel formaliter, fed realiter diftinguuntur: Infuper vitalis eft diuerfa ab animali, quoniam vitalis non eft in noftra poteftate, animalis verò cum voluntaria fit,fub noftro imperio iacet:Eft diuerfa a naturali,quoniam naturalis abfque alimento non agit,fed quiefcit, vitalis autem femper mouetur,ergo vitalis facultas eft à cæteris realiter diftin&a.

De naturalis facultatis differentijs. Caput V.

NAturalis facultatis primariæ differentiæ funt tres;
Generatrix.
Au&rix.
Altrix.
Has facultates Ariftoteles *vegeta-*

getatrices appellat.

Facultas generatrix. *Generatrix*, seu procreatrix duplex est, Immutatrix, & Formatrix.

Immutatrix illa est, quæ ex semine, & sanguine simul concepto substantiã aliquã producit, vt os, carnem, & alias, in esse ossis, & carnis.

Formatrix illa est, quæ partibus iam productis *conformationẽ* præstat, quæ consistit formaliter in determinato *situ, numerò, quantitate, & figura.* v.g. Facultas immutatrix substantiam humoris crystallini producit, formatrix verò illa est, quæ humori dicto determinatum numerum, quantitatem, situm, & figuram contribuit: Et hæc est facultas generatrix, tam immutatrix, quàm formatrix.

Auctrix. *Auctrix* est illa facultas, quæ in partibus incrementum à natura determinatum efficit secundum trinam dimẽsionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis. v.g. facultas auctrix ipsius carnis, ex cognato sibi alimento, carnis molem auget in longitudinem, latitudinẽ, & profunditatem.

Altrix. Facultas *altrix* illa est, quæ circa alimentum versatur, ita vt illud assimilet, & in substantiam partis, siue nutriti cõuertat, vnde *nutrix*, & *assimilatrix* nominatur; differt autem ab auctrice, quia auctrix *quantitatem* partis augendæ respicit; altrix verò alimentum in *substantiam* aliti transmutandum.

Huius tanquam ministræ sunt
Attractrix.
Retentrix.
Alteratrix.
& Expultrix.

Attractrix illa est, quæ nedum animalibus, sed etiam stirpibus, & inanimatorum pluribus inexistit, qua mediante, proprium, ac sibi cõueniens determinatumq; alimentum attrahitur.

Retentrix illa est, quæ succum iam attractum retinet quousq; alteratrix eum in partis naturã mutet. vnde *Alteratrix*, seu *coctrix* illa est, quæ attractum, & retentũ succum alterat, coquit, in naturãque partis mutat.

Expultrix illa est, quæ à coctione inutilia segregat, ne, si retinerentur, putrescerent.

Hæ autem tres altricis facultatis species suis instrumentis opus suum exequuntur, *fibris*, s. Nam attractrix fibris *rectis* attrahit; retẽtrix, *obliquis fibris* retinet; Et expultrix *transuersis fibris* expellit: *Coctrix*, non fibris, sed partis substantia vtitur, tanquam sibi determinato organo. Et hinc sequitur, quòd partes, quibus hoc triplex fibrarum genus donatum est, triplici etiam polleant facultate; quibus duo fibrarum genera, duæ etiam facultates, quibus vnũ, vna insit facultas. *Instrumenta materialia specierum Altricis.*

DE FACVLTATE CONformatrice. Quæst. I.

GAlen. lib. de format. fœtus c. 6. vniuscuiusq; partis corporis humani fabricam, & artificium miratus, ipsarumq; fines, & scopos cõtemplatus, non ad *myriades*. i. non ad millia, sed ad *chiliadas*. i. ad decem millia eos numero computauit; propterea artificium summi opificis non sat miratus, qui

tam affabrè omnes corporis partes composuerit, *ut ex tam multis nihil inueniatur, quod reprehendi, vel minimum possit*; nihil aliud de conformatrice facultate fœtuũ prodidit, nisi quòd à sapientissimo, ac potentissimo Opifice talis, ac tanta pendeat præsertim humani corporis diuina conformatio, omninòque confessus est, se per demonstrationem nõ potuisse causam adæquatam tanti mysterij exculpere: nobis ergo, qui post Galenum, tot philosopho medicos super hac re philosophantes audiuimus, & legimus, consultum est de hoc primo principio methodi physiologicæ controuersari, & causam adæquatam nostræ conformationis *efficientem in quarto modo dicendi per se*, rimari, & contemplari: Quæ causa, cum per se quasi eluceseat, sat mirari non possum tantorum virorũ admirationem, qui de hac re tantopere mirati sunt, qui nisi cum admiratione agentes de causa naturali, illam extra limites, & extra elementa constituerunt. Hanc ergo tractaturus, hũc obseruabo ordinem, vt prius titulum quæstionis declarem, postea cæterorum sententiam in medium afferam; tertio quid pro tenuitate dicam.

Titulus quæstionis. Tituli, & quæstionis sensus est. Cùm fœtus sit opus facultatis generatricis, & cùm actio facultatis generatricis sit mixta ex alteratione, & formatione; alteratione quidem quatenus obtinet propriã substantiam similarem, Temperaturam, & consequentia; formatione verò, quatenus obtinet compositionem: Ideo facta necessariã suppositione, substantiam propriã similarẽ, tẽperiem, & consequentia esse actiones facultatis naturalis alteratricis, quæritur cui facultati tribuenda sit actio compositionis partium, quæ facultas cum dicatur formatrix, quæritur quænã sit hæc facultas conformatrix. Vt pro causa conformationis, non quæratur sola causa conformationis, quæ cõformatio diuiditur in *superficies, meatus, formam, & cauitatem*, sed quæratur tota compositio nimirũ cõformatio, magnitudo, numerus, & situs, & horum vnitas. v.g. quæritur cur partes talem conformationem, magnitudinem, numerum, & situm habuerint, vt ex his oculus fuerit factus, & non alia pars, & sic de cæteris. *Quid conformatione sit intelligẽdum.*

Quòd causa conformatrix sit anima matris, & eiusdem imaginatio; Opinio prima.

PRima opinio est quorundã potius Platonizantium, quàm rectè philosophantium, existimantiũ, vel fœtum *anima matris* viuere, & conformari, vel matris *imaginationem* esse causam cõformatricẽ. Qui credunt animam matris esse causam conformantem, sic ratiocinantur. *Ratio primæ opinionis de anima matris.*

Ad fœtum generandum requiritur causa efficiens, & materialis; At semen est materia, ergo causa conformatrix non poterit esse, nisi anima matris, quę in vtero matris sic conformat partes fœtus.

Hæc opinio est falsa: primò quidem, quia si anima matris confor- *Cõfutatur.*

maret,

maret, sequeretur, quòd eadem forma informaret duo corpora, corpus matris, & corpus fœtus.

Secundo, si anima matris esset sufficiens causa conformatrix, sequeretur, quòd fœmina conciperet absque viro: Consequens est falsum ergo antecedens: probatur consequentia. Nam fœmina haberet vtramq; causam, materialē, videlicet semen, & sanguinē menstruum & causam efficiētem, id est animam ipsam, quæ per vos est causa conformatrix.

Tertiò à simili; sicut oua subuentanea, quæ à fœminis absq; mare concipiuntur, sunt fœtui inepta; ita fœmina absque viro non potest cōformare fœtum, ergo saltem anima sola matris non est sufficiens causa conformatrix.

Quartò, sicut plantæ non confor mant, sed solum semen in terram proijciunt, ita fœmina non conformat, sed solum præstat locum, & materiam. Et hæc de anima matris.

Ad ipsorum arg. respondetur, quòd præter semen, & præter animam matris, requiritur alia causa sufficiens conformatrix.

Qui existimant, matris imaginationem causam hanc esse, sic argumentantur.

Prima ratio de imaginatrice. Primò, fœmina imaginationem aliquam fortem apprehendens, hanc fœtui imprimit, & illam in fœtu conformat, ergo causa conformationis est tribuenda imaginationi.

Secūda. Secundò, quod potest facultas inferior, potest etiam superior, sed data, & non concessa facultate formatrice, vt diuersa ab imaginatrice, adhuc facultas imaginatrix est superior, ergò si con formatrix con format, imaginatrix quoque conformabit.

Tertia. Tertiò, fœtus parentibus assimilantur propter imaginationem: sed fœtus esse similes parentibus, nil aliud est, nisi habere eandem conformationē, ergo facultas imaginatrix est conformatrix.

Confutatur hæc opinio. Hæc opinio pariter est falsa; siquidem clarum est ex hac ratione, quòd aliud est simpliciter partes cōformare, & aliud est, partiū, quæ conformantur, & cōformatæ sunt, dum conformantur, colorem, & figuram immutare: omnia argumenta probant, imaginationem posse quidem colorem, & figuram immutare, & alterare, dum partes cōformantur, per *spiritum tignarium* imaginationis imprimētem in sanguine menstruo speciem rei imaginatæ in *prima fundo imaginantis*, idest, tempore conformationis; sed non demonstrant, imaginationem simpliciter conformare, ita vt singulis corporis partibus suam naturalem compositionem tribuat, quare ad primum argum. respondetur.

Soluitur prima ratio. Facultatem superiorem id posse, quod inferior, quando facultates sunt inuicem *subalternatæ*: modò conformatrix, & imaginatrix non sunt facultates subalternatę.

Soluitur secunda Ad secundum arg. respondeo, negando antecedens, quia fœtus parentibus non assimilantur propter imaginationem, sed propter semen: Nam si in conformatione, facultas conformatrix non impe-

Similitudo fœtus ex qua causa.

diatur, si semen patris prædominetur, fit fætus similis patri; si semen matris, fit similis matri; Et si æqualiter permisceantur, partes aliquæ fætus sunt similes patri, & aliæ matri; Et quando assimilantur auo, atauo, ac tritauo, est ex Aristotele, quia sicut magnes vim suam per cohærentes ordine acus effundit in quartam acum, & vltra; Ita facultas aui, ataui, ac tritaui in semine patri fætus asseruari solet, propterea fætuũ assimilatio est opus simpliciter facultatis formatricis relatæ ad semen, & non ad imaginationem, vt supponit argumentum. Vnde triplex est ex D. Fernelio similitudo.

Triplex similitudo.

Prima similitudo est *speciei*, & hæc oritur à specifico semine, quia humanum semen generat hominem, & equinum equum.

Secunda similitudo est *sexus*, & hæc oritur à temperamento seminis, quod si calidum fit, gignit marem; si frigidum fœminam.

Tertia similitudo est *effigiei*, & hæc oritur ab imaginatione, quæ propterea nil aliud potest, nisi alterare colores, & figuras, vt in *maculis à natiuitate*; sed nec similitudinem in sexu, & specie, nec conformationem moliri potest: Quamobrem sit determinatum, nec animam matris, nec matris imaginationem esse causam talis conformationis; eodem modo respondetur ad tertium.

Nec temperamentum, nec calidum innatũ est causa conformatrix.

Quòd seminis, vel alterius *temperamentum*, & *calidum innatum* non sit causa conformatrix, clarum est; sunt enim potius organa, & instrumenta facultatis, neque est quòd moremur in argumentis probabilibus, sicut quòd neque *forma seminis materialis*: tota igitur disputatio est de anima vegetatiua, an hæc sit facultas conformatrix, & si sit, cui subiecto inhæreat, vel semini, vel fætui.

Sententia Archangeli Piccolhominei.

Hic vir sustinet, animam vegetatiuam non esse causam, & opificem nostrę conformationis, & mouetur vnica ratione deducta ab auth. Galeni lib. de fęt form. cap. 6. qui summa admiratione causam conformationis contemplatus cõcludit: *In fætuum formatione sapientiam, & potentiam inesse video*: tunc ipse subsumit minorem; anima vegetatiua, siue naturalis est *bruta*, & insipiens, ergo non potest esse causa conformatrix: Hæc igitur pulchra demonstratione ductus Archagelus, vt suam, quam profitetur, admirabilem sententiã lect. 3. exstruat, concludit; non solã animam naturalem esse causam cõformatricem, *sed animam naturalem à sapientissimo Deo instructã, & edoctam* destinatam in perpetuam partium corporis humani conformationem: Quamobrem tota huius viri speculatio hæc est, quod anima vegetatiua, *non quatenus vegetatiua*, sed quatenus à Deo instructa, est causa adæquata nostræ cõformationis, ita vt Deus Opt. Max. mediante anima vegetatiua, sit causa conformatrix; quam suam sententiam tripliciter

Ratio Piccolhominei.

pro-

Secũda ratio. probat. Primò authorit. Plutar. Secundo exemplo Galeni; Tertio ex natura rei: Ex natura quidem rei; nam duplex est natura; elementaris, & natura trans elementa. Natura elementaris ab elementis pendet, & hæc non potest esse causa conformatrix: Natura *trans elemẽta* est duplex; Natura *naturans*, & *natura naturata*: Natura naturans est Deus: natura naturata est anima naturalis à Deo seminibus infusa, vult ergo naturam naturatam à Deo edoctam esse causam conformatricem.

Sententia Fernelij, & Capiuaccei.

HÆc opinio fuit diuini Fernelij libr. de abd rer. cauf. cap. 10. qui videtur in cælum, cælique formam, omnes formas, & conformationes naturales referre: Huius opinionis fuit etiam Methodicus Capiuacceus, metho. anath. cap. 1. qui de facultate tractans, fatetur, facultatem formatricem esse aliam ab alteratrice, & esse facultatem quandam diuinam, & artificiosam, & supra naturam, idest, trans elementa, vt aiebat Piccolhom.

Sententia Galeni.

Galeni indeterminatio DE Galeno quid sentiendum? dico, eum nunquam à seipso ita dissentientem fuisse, sicut in hac re determinanda. Etenim libro de semin. capite 6. 11. de vsu part. cap. decimoquarto, & decimoseptimo de vsu part. cap. primo dixit, modò conformationem esse *opus, & artem naturæ*, arguens eos, qui *naturam aiunt arte carere*: Et infra, conformationem vocat *symmetriam naturæ*: & inferius, qui negant conformationem esse opus naturæ, sed fortunæ, vocat *calumniatores operũ* naturæ: Et inferius ait negari non posse, artem esse artificiosam: & postea vocat *dementes, & operum naturæ inimicos*: modo in eodem capite mutat terminos, dicens, In conformatione hominis, *esse artem, ac sapientiam opificis*; & potius Theologus, quàm medico philosophus eam vocat *mentem cæli*, & *opificis sapientiam*, & *animam rationalem*, & *vim admirabilem*, ita, vt realiter nescias, quid Galenus senserit de facultate formatrice.

Opinio Scheckij.

IAcobus Scheckius de Plastica sem. facultat. libro primo, semini tribuit actum quendam substantialem sola mente perceptibilem, qui actus substantialis est à substantia primi actus separabilis, qui tamen actus non est anima, habens tamen pro proprio subiecto semẽ, quod per hoc tamen non est animatum: & vult quòd hic actus separatus in semine positus, non sit causa prima efficiens, sed instrumentalis alterius acti separati, qui per hoc semen ita actuatum, tanquã per manus, corpora animata conformet. *Duplex actus.*

Sed

Cõfutatur Scheckius. Sed reuera hic actus seminis ab alio actu segregatus, est potius in somnium, vt prudenter notat Daniel Sennertus: Et præter rationes ab ipso positas, hæc alia poni potest, quòd videlicet Scheckius per hunc actum à semine diuisum, non demonstrat, quid sit hæc facultas conformatrix: Nam ille actus separatus, qui est causa efficiens, quid sit, non declaratur.

Opinio Danielis Sennerti.

HIc vir prudens in prima suarum quæst. medicar. existimat, causam conformatricem esse referendam in semen, non quatenus semen, sed quatenus est ***animatum anima vegetatiua***, & quanquã hæc sit mentis, ac intellectus expers, nihilominus, quoniam regitur à Deo, & est tanquam manus sapientissimi Opificis, propterea est principium diuinum, & immutabile; vult ergo (& est eadem sententia Piccolhom.) esse animam vegetatiuam informantem semen, & conformantem corpora: Et quoniam multi ex Medico philosophis in dubium vocant, an semen sit animatum, propterea probat semen animatum quinque argumentis.

Prima ratio de semine animato. Primum est. Semen est de numero agentium ex primo de gen. cap.18. Sed agens, eatenus est agẽs, quatenus actu. Ergo actus animæ in semine non est negandus.

Secũda. Secundum. Anima vegetatiua diuiditur ad diuisionem subiecti, sed anima naturalis diuiditur ad diuisionem seminis, ergo anima inexistit semini, ergo semen animatum est, & est principium conformans: Maior est clara: Nam propagationes eiusdem speciei fiunt, aliæ per ramos, aliæ per radices, aliæ per spinas, aliæ per semen, & aliæ per semini analogum; & ad diuisionem horum subiectorum diuiditur etiam anima vegetatiua per accidẽs. Minor est clara: Nam ad seminis diuisionem diuiditur anima vegetatiua, vt fiant diuersa indiuidua eiusdem speciei, ergo semen est animatum, ergo semen animatum est causa conformatrix.

Tertia. Tertium argumentum: Generatio est actus vniuocus, ergo supponit agens actu existens, vt vniuocum, sed hæc non potest esse nisi essentia animæ, ergo semen est animatum, &c.

Quarta. Quartum arg. Anima vegetatiua non potest deduci ex alia materia, quàm ex semine, ergo generãs viuens semini essentiam animæ indidit, ergo semen est animatum, ergo est causa conformans.

Quint. Quintum argum. Agens immediatum, dum agit, necessariò passo coniungitur: sed dum fit conformatio, materiæ sanguineæ nihil coniungitur, nisi solum semen, ergo semen est agens immediatum conformationis.

Propria sententia.

EXistimo, causam adæquatam, naturaliter loquendo, nostræ conformationis esse ***animam vegetatiuam***, siue naturalem, siue alteratricem, vt vocant, non tamen eo modo, quo Sẽnertus, & Piccolhom. ponunt:

ponunt: Nam quòd anima vegetatiua sit causa conformationis quatenus īstruitur à Deo, hoc est principium Christianum, quod & ipse fateor, & ꝑfiteor; sed interim quærimus causam naturalem, quæ naturaliter in secundo, & quarto modo dicendi per se sit causa naturalis conformationis; quare Piccolh. non respondit interrogationi factę per quid: Consimiliter Sennertus probat quidem, semen esse animatum, sed illius consequentia non tenet; Semen est animatum, ergo semen animatum est causa cõformationis; tota enim eius speculatio est illuc directa, vt probet, semen esse animatum.

Quæ nā sit facultas cõformatrix. Credo igitur, facultatem naturalem alteratricem esse causam nostræ conformationis, nimirum, tam facultatē naturalem *seminis*, quàm facultatem naturalem ipsius genituræ: quod vt probem, suppono vnum, quod doceor à D. Thom. 1.1.q.1.18.ar.1. Docente, materiā ad conceptum generandum à fœmina præstitam, statim à principio esse donatam anima vegetatiua, ita vt fęmina tempore conceptionis statim proprio semini, facultatem, & animam vegetatiuam tribuat, pariterque mas ante conceptionem proprio semini eandē facultatem contribuat; Nam semen animatū esse, stat dupliciter; *Quō semē fœminæ, & maris possit dici animatum* vno modo *anima rationali*, alio modo *facultate vegetatiūa*: Semen dubio procul non est animatū anima rationali, quia antequam anima rationalis adueniat, corpus supponitur perfectè organizatum, est tamen præditum facultate vegetatiua (quam sine facultatem, siue animam vegetatiuam appelles, nihil differt) & hoc à nemine negatur: omnes enim conueniunt, parentes seminibus suis facultatem vegetandi impertiri; nec aliquis tam ignarus reperitur, qui facultatem generandi, alterandi, ac producendi abneget semini, quod etiā a Francisco Piccolhom. 2 lib. de anima. in exposit. tex. 11. conceditur, qui tamen tenet, semē neutiquam esse animatūm: sit ergo suppositio demonstratiua, semen esse animatum, idest, præditum facultate vegetatiua.

Hoc ergo præcognito, & præsupposito tanquam vero principio totius speculationis, infero, vtramq; facultatem vegetatiuā, tum seminis, tum *genituræ* esse causam immediatam nostræ conformationis, qua non est altera prior, & quæ habet omnem necessitatem subiecti, & prædicati in secundo modo per se, & causæ, & causati in quarto modo, ita vt non vna facultas vegetatiua, sed plures concurrant ad conformandum, & organizandum. Enim verò, vt hoc probem, tempora totius organizationis, prius demonstro, quæ sunt quinque. *Tēpora organizationis*

Primum est tempus conceptionis.

Secundum est, genituræ.

Tertium est fœtus.

Quartum est ramificationis.

Quintum est totius efformationis.

Conceptio ex Galeno, lib. de sem. est commixtio seminis vtriusque cum puriore parte sanguinis menstrui: quæ commixtio seminis, *Quid sit cōceptio.*

&

Cõceptio nis tẽpus & ſanguinis, ſi ab vteri calore viuido fiat, ita vt calor innatus ſeminis genitalis actuetur, dicetur *conceptio*, quę poſt ſeptenas horas, poſt ſeminis eiaculationem, & retentionem celebrari ſolet: Et in hoc conceptionis tempore nihil conformatur, huiuſque conceptionis adæquata cauſa eſt calor vteri innatus, qui de potentia ad actum redigit calorem ſemini implantatum.

Cauſa cõceptionis adæquata.

Quid genitura. Facta conceptione, ſequitur *genitura*, quæ nihil aliud eſt, niſi *ſeminis iam concepti mutatio in tres primas membranas, chorion, allontoidem, & amnion*, & in tres *bullas* cum *ſuis tribus membranulis*, quæ genitura *ſpatio ſeptem dierũ* fieri ſolet, & hæc genitura nil aliud eſt, niſi quædam fœtus delineatio obſcura.

Tempus geniturę

Quid fętus. Facta fætura, ſiue *genitura*, ſequitur fętus, qui nil aliud eſt, quàm *incrementum genituræ, repletioq́; partium in fætura delineatarum*; quæ tantum incrementi genituræ impertit, vt nomen fœtus mereatur: In hoc tamen incremento partes delineatæ, & carne expletę non ſuſcipiunt adhuc perfectam, & conſummatam membrorum conformationem.

Quid cõformatio, ſeu ramificatio. Genito fœtu ſequitur quartum tempus *conformationis*, in quo viſcera principalia, *cor, cerebrum*, & *iecur* fiunt ſenſibilia; Cætera verò membra in hoc tempore non ſunt perceptibilia, quod tempus *ramificationis* dicitur ab Hippocrate.

Tota cõformatio. Tandem eſt tempus *totius completæ conformationis*, in quo nedũ membra interiora, verum etiam artus ipſi completi cernuntur. Hęc igitur ſunt tempora totius conformationis poſt conceptum ſemen, quæ ad ſummum, diebus 45. explentur, & ad minimum, vel 30. vel 35. vt ex Hipp. colligitur.

Tempus totiꝰ conformationis.

Stantibus propterea hiſce temporibus, ad quæſtionem reſpõdeo: Conceptionem eſſe opus ſolius caloris vteri: genitura vero eſt opus facultatis vegetatiuę ſeminis, quãdo ſemen in formam genituræ corrumpitur, cùm.n. ad ſeminis corruptionem, illius quoque facultas alteratrix, & conformatrix corrumpatur, ideo ex potentia fæturæ educitur alia facultas vegetatiua (nos enim cum D. Thoma loc. cit. tenemus ad corruptionem ſeminis, corrumpi etiam illius facultatem alteratricem, & mutari in formatiuam alterius potentiæ vegetatiuę ex potentia geniture deductæ, quę quidem eſt eadem ſpecie, ſed diuerſa numero) & hæc alia facultas vegetatiua genitūrę, eſt illa, quę fętũ in genitura delineatum, perfectè conformat: Abſoluto fætu, ex fętus potentia deducitur anima ſentiẽs, quę fętui aliquam perfectionem tribuit: Tandem corpori ſic conformato, rationalis anima aduenit, quę corruptis pręcedentibus formis, & facultatibus, omnes facultates corporis partibus pręſtat.

Fætura vegetatiua.

Sentiẽs ex fætu.

Anima rationalis.

Ex hac igitur demonſtratione colligo, potentiam *vegetatiuam ſeminis, & vegetatiuam genituræ* eſſe cauſas adęquatas noſtrę conformationis, ſeminis quidem, quatenus ſemen conceptum in genituram corrumpitur; fęturę verò, quatenus

tenus in reliquis tribus temporibus fœtum conformat: anima sentiens, & anima rationalis excluduntur, quia corpori iam organizato adueniunt: vtraq; igitur anima vegetatiua est causa conformationis adæquata, seminis, & genituræ.

Instantia. Sed iam aliquis instabit, hactenus non probasti, has animas vegetatiuas esse conformatrices: Nã (& in hoc argumento consistit omne robur) facultatis alteratricis, vt facultas alteratrix est, munus, & actio est, attrahendi, retinẽdi, alterandi, & expellendi, & sic substantias partium similares generare, ipsarumq; temperaturas, & quæ consequuntur; Non autem partes componere, & conformare: hoc enim illud est quod probari debet.

Responsio. Respondeo, me hoc demonstratiuo argumento sic demonstrare; quod *format*, illud etiam *conformat*, idest, quod dat formã, & quæ consequuntur, dat etiam illa quæ accidunt: Sed anima vegetatiua dat substantiam similarem, temperaturam, & quæ consequuntur, ergo dabit etiam quæ accidunt, id est numerum, quantitatem, figurã, & situm. Maior est principium philosophicum, & demõstratiuum: Minor est pariter clara, quoniam est axioma medicum, ita vt hæc sit demonstratio potissima, qua ego probo, facultatem vegetatiuam esse causam nostræ conformationis, quę quatenus generat substantiam similarem, & quę consequuntur, eatenus dicitur alteratrix; quatenus verò substantias genitas inuicem coniungit, eatenus dicitur *conformatrix*: Neque mirum debet esse, tot partes diuersimodè cõformare; Nam prout successiuè operatur in diuersis temporibus, & in diuersas materias diuerso modo dispositas, illas quoque diuerso modo conformat; Qua propter non duæ sunt numero, & specie facultates diuersæ in vnica materia subiecta, alteratrix & formatrix, vt plurimi statuunt; sed est vna, & eadem numero, & specie facultas, quæ respectu diuersorum modò dicitur alteratrix, modò conformatrix.

Demonstratio qua probatur facultatem vegetatiuam esse conformatricem.

Quomodo eadẽ facultas dicatur alteratrix, & confirmatrix.

Neque valet argumentum Piccolhom. Anima vegetatiua est *bruta, & insipiens*, ergo non potest esse causa, & opifex conformationis, quæ ex Galeno arguit sapientiam diuinam; Nam si facultas conformatrix deberet esse rationalis, & sapiens, hæc deberet esse anima rationalis, quæ tamen non est: Nam ad actum conformationis sufficit anima vegetatiua, quæ tametsi bruta, & insipiens sit respectu animæ rationalis, in sua tamen actione est sapiens, & rationalis. Et hæc de facultate conformatrice dicta sint.

Soluitur arg. Piccolhom.

In mea tamen Iconographia fœtus humani hæc enucleatius declarabuntur.

DE FACVLTATE Nutritiua.

Quęnam sint instrumenta materialia facultatis nutritiuæ. Quæstio II.

HÆc difficultas potiùs consistit in enumeratione, & dispositione instrumentorum, quam

in aliqua difficultate explananda; Est tamen aliqua difficultas in puris vegetabilibus, an habeant aliquod organum nutritioni deditũ; Præterea in animalibus, quodnam sit proprium principium, in quo alimentum conuertitur in Sanguinem.

Titulus Quæst.

1. Cõcl.

Organũ vegetabilium quale.

Respondendum est primo; Primarium organum pure vegetabilium nutriendorũ esse *terram*, cui tanquam vniuersalissimo stomacho, & ventriculo omnes plantarũ radices infiguntur ad exugendum alimentum; Sicut venæ portæ infiguntur ventriculo, & intestinis, exugentes chylum, & deferentes ad instrumenta Sãguificatiua: Terra igitur poterit appellari animalis Platonici stomachus, potius, quam stomachus plantarum, quia terra non continet materiam, in qua principali, & potentiori virtute agant plantę, sed potius in quã agant, vnde terra correspõdet cordi animalium; Sicut enim cor influit, & cõmunicat calorem omnibus partibus, ita vt quælibet pars suum alimentum iuxta partialem formam per actiuitatem caloris influxi conuertat in suam substantiam: Sic etiam sol influit cunctis vegetabilibus, & vniuersæ terræ calorem præstat, quo agente varię plantarum radices materiam alimenti attrahunt, & conuertunt iuxta specificam talis plantæ naturam, & sicut crudum alimentum propositum ossi, & cæteris partibus immediatè non posset ab osse, vel à carnibus in os, vel in carnes conuerti; Sic etiam alimentum plantarum, nisi prius extra radices aliqua concoctione perficiatur, nõ potest attrahi à radicibus plantæ; non enim habent tantam virtutẽ, vt rude alimentum possint concoquere; Sicut ergo natura in animali constituit ventriculũ, in quo primò elaborentur cibaria, & reddantur facilia ad quaslibet partes nutriendas; Ita etiam in mundo terram constituit, in qua alimonia plantarum primo perficiatur virtute caloris; Et hoc inde etiam declaratur, quia cum in eodem situ sæpissimè reperiantur vegetabilia varij generis, quæ omnia simul nutriuntur, vnumquodq; tamen determinat alimoniam iuxta sibi conuenientem naturam, quod indicat, dispositionem in terra factam circa alimentũ, esse indifferentem, & communẽ, & aptam cuilibet nutritioni, sicut est chylus in ventriculo confectus.

Qualis sit stomachus animalis Platonici.

Vegetabiliũ ventriculus

Respondendũ est secundò; Etiã animalia, dũ fabrefiunt, ab initio statim habere aliquod organum nutritioni, & cibo conficiendo institutum: Quamuis enim magis elaborato vtantur alimento, nihilominus rursus illud alimentum concoqui debet in ipsis animalibus, vt colligitur ex excrementis, quæ simul extrahuntur, cum nascuntur animalia.

2. Conclusio de animalibus in origine.

Respondendum est tertio; Aliorum viuentium perfectorum principale Instrumentum esse *ventriculum cum intestinis*: Et declaratur, quia prius cibus ingestus est in os, vt facilius calor naturalis permeet omnes eius partes; vnde duplici instrumentorum genere natura prouidit effectui huic

3. Cõcl. de animalib. perfectis

huic exercendo: Primum enim *Dentiũ vsus.* sunt varij dentes, quorum *priores octo incisorij sunt*, alij *duo canini* appellantur; postea *viginti molares sequuntur*, vt perfectè conteratur cibus; Sed quia, si aridus esset, plurimum negotij facesseret, ideo in extremitate linguæ, & æsophago constituit *Glãdul. vsus.* *quatuor glandulas*, quæ iugiter foueant humorẽ in ore, vt humefactus cibus, non modò facilè confringantur, sed etiam facilè deglutiatur; Verum est tamen, non omnia viuentia eodem modo habere dentes; aliqua enim *Animalia corn. deorsum dentata.* sunt tantùm *deorsum dentata*, vt *cornuta*; Alia *dentes habent* in lingua; Alia habent dentibus aliquid proportionale; de qua varietate videndus est Aristoteles tertiò de partibus animal. capit. primo, & secundo de generat. animal. capit. quarto, & quinto lib. quar. capit. Addit præterea Aristoteles, innatam esse dentibus *Peculiare detiũ augmẽtum.* *peculiarem augmenti naturam*, vt cum continua attritione minuantur, etiam noua augmentatione reparentur: Ex quo col*Voraces* ligit, eos, qui dentes habent minores, voraces esse, quia plus conterunt mandendo, quam possit natura lege ordinaria reparare; Deducit præterea, quòd si vita hominis foret longissima, oporteret dentes, immutari, tandem enim minimum contriti non possent amplius restitui ad debitum augmentum: His ergo instrumentis tantum præparatus cibus in ore, nihil omnino immutatur, sed tantum, vt dixi dispo nitur ad immutationem per aliam digestionem; Et ideo non dixi, os esse instrumentum, aut regionem nutritionis; sed dixi esse ventriculum eum intestinis; de quo mox sequitur dicendum.

Est igitur imprimis notanda distinctio, quam habet Aristoteles lib. 3, de partibus animal. capit. decimoquarto, & lib. secundo de hist. animal. capit. decimoseptimo, plurimas differentias afferens; quæ tamen huic loco deseruit, est; quòd aliqua cor habeant, alia non; Ea quæ non *Situs ve triculi in animal. cor non habẽtib.* habent cor, ventriculum obtinent immediatè post os, vt piscibus contingit: quæ verò cor habent, longius habent ventriculum ab ore constitutum: Etenim superior thoracis regio cordi dicanda est, intra cuius terminos non potest contineri ventriculus, tum ne impediat motum pulmonis, tum ne impediatur quando nimium turget, à costarum duritie: Est igitur sub costis con *Situs eiusdem in animalibus cor habentib.* stitutus ventriculus, ad quem constitutum necessarius est quidam *ductus* ab ore, vsque ad orificium eius, qui ductus gula, sepe stomachus appellatur, & deseruit *æsophagi vsus.* transmittendo cibo, quo munere, vt perfectius fungatur, dedit natura duas fibrosas tunicas, ex quibus constituitur. Quid autem *Quid fib. sint.* sint fibræ, declarat Aristot. septimo de partibus animal. cap. quarto, & tertio de hist. animal. capit. sexto, dicitque esse quasdam *terreas particulas*, quæ repe- riuntur tum in sanguine, tum in alijs partibus, quarum fibrarum

beneficio sanguis coagulatur: vnde Sãguis taurorum facillimè coagulatur, quia maximè fibrosus est; Et ea animalia, quæ eiusmodi Sanguinis dispositione vtuntur, *iracundiora* sunt, quia calor feruens in ira, potentius accenditur, & retinetur ab eiusmodi partibus; è contra verò sanguis damarum, & ceruorum non facilè coagulatur, quia tenuis est: disponuntur autem fibræ, quasi quidam ductus serici, seu linei fili, & multiplices obtinent figuras, ex Vesalio lib. primo de fabr. hum. corp. cap. primo; Aliæ enim sunt per *longum* deductæ, aliæ sunt *obliquæ*, quemadmodum accentus græci, grauis, & acutus; Aliæ dicuntur *transuersales*, seu *orbiculares* ad modum annulorum: & quidem priores obtinent vim attractiuam; Secundæ habent vim retentiuam; tertiæ expulsiuam: Stomachus ergo quia nihil debet retinere, sed omnia transmittere ad ventriculum, tantùm duplici fibrarum genere donatus, videlicet rectis ad attrahendum, & orbicularibus ad expellendum; obliquis autem prorsus caret. Tandem est illud notandum quòd ad mediam regionem stomachi duæ adnascuntur glandulosæ substantiæ, quasi spongiæ, quo nomine ab Hippocrate insignitæ humorem fouent stomachi, vt facilis sit ciborum descensus.

Sanguis Taurorũ valde fibrosus.

Sanguis Ceruorũ non valde fibrosus.

fibrarũ species.

Ventriculi necessitas.

Respondendum est etiam, necessarium esse cunctis viuentibus ventriculum, seu aliquid loco ventriculi, & ratio est, quia quemadmodum materia quæ præparatur, vt loquitur Plato in Timæo, ad vnguenta redolentia, debet omni odore spoliari, ad quemlibet recipiendum odorem; Sic etiam materia, quæ præparatur ad tot formas partiales nutriendas, debet omni forma destitui, quæ habeat aliquod prædominium contrarium alicui talium formarum, & aliquam formam induere, quæ non sit contraria, sed potius communis omnibus formis, seu partialibus compositis nutriendis: Huic ergo muneri adscribendus est aliquis locus, cum sit res operosa, tot genera ciborum ad vnã formam redigere: Erit ergo hic locus ventriculus, seu aliquid loco ventriculi: Vnde iuxta varias viuentium naturas, varij præparantur ventriculi; In puris vegetabilibus, vt notat Albertus, reperiuntur quidam nodi, qui hoc munere coquendi funguntur, & isti, vel sunt in radicibus, vel inductu medullæ, vel etiam exterius euidenter patent in vegetabilibus, quæ grana emittunt, vt in herba tritici, & similibus: Quòd autem in illis nodis fiat digestio, apertè colligitur ex eo, quia ab illis nodis oriuntur folia, quasi excrementa alimenti digesti; Et iterum eiusmodi nodi euidentes sunt in locis plantarum vbi inseruntur arbores diuersi generis; ibi enim statim circumducitur à natura turgens quidam nodus, in quo iterum alimonia plantæ concoquitur iuxta naturam rami inserti: In animalibus autem multiplex alia intercedit diffe-

Forma communis in ventriculo producitur

Plantarũ nodi.

differentia; Alia enim quæ dentes non habent, prius transmittunt cibaria deglutita integra in ingluuiem, quæ est euidens in palumbis, gallinis, vbi præparatur cibus ad actionem ventriculi: Alia animalia plures habent ventres, maximè quæ vtrinq; non sunt dentata, vt habetur apud Aristotelem 3. de part. animal. cap. 14. quia perfectè non conterunt cibum in ore, ideo multiplici instrumento vtuntur; Aliam rationem addit Auerrœs, quia plæraq; animalia cibum, deglutiunt difficilis passibilitatis, vt Camelus, qui spinas mandit; & ideo pluri opificio indigent ad concoquendum: Tertia causa est, quia habent virtutem imperfectam digestiuam, & etiam organa imperfecta, & ideo multiplicanda sunt, vt vbi intensitas deest, ibi suppleat multiplicitas.

Animalium in gluuies in qua cib. præparata.

Quatuor autem sinus enumerat Aristoteles secundo de hist. anim. cap. decimoquarto, primus est *gula*, quæ terminatur ad ventrem, hic terminatur ad *reticulum*, sic appellatum ob similitudinem retis. Tertio loco sequitur *Omason* intus asperum, crustatum, & cancellatum quarto loco *Abamason* longum, nullis cancellis, & crustis magnis, & lenibus inornatum, de quibus loquitur iterum Aristoteles 7. de part. anim. cap. 14. Et iuxta positionem horum sinuū magis, ac magis transmittitur cibus digestus post ventriculum: Aliqua sunt, quæ non habent intestina, sed statim transmittunt, & egerunt materiam transmissam à ventriculo, & ista animalia voracissima sunt: modicum enim hauriunt ab alimentis alimentum; Alia modò sunt, quæ diutissimè retinent confectum cibum, & hæc quidem rarius comedunt, & sunt naturæ maximè terreæ, cum non tantùm quodam leniori vasculo nutriantur, quemadmodum priora, in quo genere sunt pisces, sed etiam partes maximè terreas extrahunt à materia suscepta: Alia tandem sunt, quæ nec statim egerunt, nec diutissimè detinent, sed ita habent intestina disposita, vt extrahant alimentum medioceris, & temperatæ soliditatis, in quo genere præcipuum animal est homo, qui vnico donatur ventriculo, coque perfectiori præ cæteris omnibus, quem iam explicamus.

Gula reticulum Omason Abamason.

Animalia vòracissima quæ.

Animalia retinentia quæ.

Homo perfectiori donatus ventriculo.

Sedes ventriculi humani est sub *septo transuerso* non ad amussim in media regione omnium membrorum hominis, vt quibusdam placuit, sed magis ad *sinistram* partem declinat, magisque in posteriora propendet, quàm in anteriora, *forma oris* varia est; nam in sinistra parte amplior est, & quò magis ad dextram tendit, magis constringitur. Rotundam tamen vbique seruat figuram, vtpotè capacissimam; duo habet *orificia* alterum latius in parte sinistra alterum strictius in parte dextra, & eleuatum in superiori parte: Primum deseruit excipiendis cibis à stomacho, Secundum deseruit ad naturam iam primò elaboratam in ventriculo egerendam in intestina; & propterea con-

Sedes ventriculi.

Forma ventriculi.

Orificia ventriculi.

constitutum est in parte superiori, ne fortasse alimonia proprio pondere ante concoctionem exeat à ventriculo. *Quantitas* eius maxima est, præsertim si extractus inflectur more vtriculæ, sic tamen se habet vt facillimè rugas contrahat & constringatur ad rectè constringendam materiā alimenti exceptam, & pariter facilè dilatetur pro multitudine ciborum. *substantia* eius tribus compacta est tunicis; Interior durior est, & præcipuè iuxta sinistrum orificium, ibique longis, seu rectis est donata fibris ad attrahendū cibum; Alias quoque habet fibras obliquas in parte exteriori ad retinendum cibū, cui secunda superponitur tenuior quàm prima; sed plures habens fibras orbiculares ad expellendum cibum iam cōfectum in intestinis.

Eius quantitas.

Tunicę.

Tertia tandē superponitur pronata à pęritoneo cooperiens totū ventriculum, & excipiens venas, quæ multiplici serie infiguntur vē. triculo, & suis osculis hauriūt subtiliorem partem ciborum iam elaboratam, & ascendentem ad concauam ventriculi superficiem.

Sed quia ob materię crassitiem, & etiam loci amplitudinem, non omnes confecti cremoris partes attingere possunt internam ventriculi superficiem, ne tum statim extra corpus feratur materia, plurimū adhuc vtilis existens, ne animal relinquatur semper appetens cibum, ideo natura constituit *intestina* multiplici nomine donata, cum tamen sint *vnicus ductus* cōtinuus procedens à dextro ventriculi orificio, vsque ad egerendas exterius fęces, cuius ductus longitudo, vt plurimum est *quatuordecim vlnarum* Italicarum cum dimidia, vt testatur Vesalius; Munus eius est duplex, & ideo pręcipuè in duas diuiditur partes, in tenuem, & crassiorem; tenuior pars incipit à ventriculo, & plures habet anfractus, seu circumuolutiones, ita vt commodè per tot mutationes omnes partes materię alimentaris attingant intestini superficiem internam, cui cum præstò adsint plurima venarum oscula, statim excipiunt quicquid vtilis humoris illis offertur: Sic igitur per primam partem, & per primum munus extrahitur totus vtilis succus, & triplici nomine hæc prima pars donatur: In principio dicitur *duodenum* intestinum, quia constat duodecim digitorum longitudine; post quam longitudinem sequitur *ieiunum* intestinum, quod breue est; post ieiunum sequitur *Ileon*, quod longius est: Altera, & crassior pars deseruit secundo muneri expellendarum fęcum, & pariter triplici nomine donatur; quędam eius particula in dextra parte sub rene dextro dicitur *cecū*; reliqua pars sursum ascendēs, & prorepens, iuxta ventriculum, vsq; ascendēs, dicitur *colum*, quia pluribus cellulis constet, in qua parte excitantur *colici dolores*, qui maximè torquent homines; extrema pars ab vmbilico vsque ad exteriora rectà descendens, dicitur rectum intestinum; habet autem plurimas orbiculares fibras totus iste ductus, extrema parte excepta, quæ rectas habet fibras ad citò egerendum.

Intestinorum necessitas.

Intestinorum quantitas.

Intestina tenuia.

Duodenū intestinū.

Ileon.

Intestina crassa.

Cęcum.

Colum.

Rectū.

Re-

Restat solùm ad intestinorum descriptionē addere, quòd totus iste ductus colligatur simul quadam corporea membrana pingui, quæ in medio situs intestinorum residet, & dicitur *mesenterium*, cuius beneficio, non tantum simul colligantur intestina, sed vlterius exporrigantur intestinis *venæ portæ* rami ad extrahendum succum.

Mesenterium.

Conclusio 4.

Dicendum est quartò, *necessarios esse venarū ductus, vel alios meatus loco venarum*. Hanc particulam addo, quia venæ propriè acceptæ tantum sunt in ijs, quę sanguine nutriuntur. Declaratur igitur hæc conclusio ex præcedentibus; Cum enim prima concoctio fieri debeat in aliqua parte communi, opus est, vt succus confectus ducatur, & iustè distribuatur ad varias partes in maiori, seu minori copia, iuxta cuiusque partis naturam; & sic aliquibus vasculis opus est ad deferendum succum, quæ vascula, vel venæ sunt, vel loco venarum; vt docet experiētia, & notat Albertus, libro 2. de vegetabilibus, & plantis cap. 3. & 4. Apparent enim eiusmodi *ductus* in herbis, & alijs vegetabilibus: Imò addit aliam experientiam acceptā à maiori vrtica, cannabe, lino, & similibus, in quibus cùm adsint lignea, vel *herbacea supplementa*, quemadmodū in animalibus sunt carnes ad sanguinis ductus, cumque aqua, & alijs instrumentis macerentur, deficiant herbaceæ, & ligneæ partes, solumque remaneāt duriores, quæ sunt *ductus loco venarum*; Et hoc idem in aliorum vegetabilium folijs facillimum est credere: cùm enim confringūtur, facillimè herbacea supplementa depereunt, & venæ remanent.

Anadosis, idest, distributio.

Ductus in plantis loco venarum.

Dicendum est quinto, *perfectioribus quibusq; non sufficere vnicū venarum genus*. Et hoc dictum declaratur in primis, quia licet materialioribus quibusque herbis vnus sufficiat continuus ductus, quatenus enim sunt imperfectioris substantiæ, facillimè redditur alimentum simile eis, & multiplici non indigent concoctione: At verò in perfectioribus, vt aduertit Albertus, cap. 3. cit maximè *granifferis*, vt plurimum sunt quatuor nodi quasi ventriculi, & varij ductus, in quibus purgantur quatuor humores superflui, *terreus*, in primo; *aqueus* in secundo; *ventosus* in tertio; & *spumosus* in quarto, ita vt tandem relinquatur substantia alimēti purior; vnde fit inquit Albertus, vt vegetabilia, quæ in pluribus virgulti partibus semen, & fructum emittūt, quemadmodum sunt *faba, faseolus, pisa*, & cæt. sint ventosa, quia non expurgatur ventosus humor per nodos dispositos. Multo magis igitur in animalibus perfectissimis multiplici venarum serie opus erit, sed maximè in homine, & similibus, seu proximè accedentibus. Duæ potissimum sunt *venæ vniuersales*; Altera quæ dicitur *porta*, vel *ianitor*, vel *Lactea*, excurrit enim per vniuersam iecoris substantiam penè infinitam propaginem venarum, & pariter duobus *surculis felleis* vesiculam, in iecore contentam constringit: In parte autem inferiori permeat totum ventriculum, & omnia intestina

Conclusio 5.

Graniferis quatuor ductus, seu ventriculi.

Cur faba, faseolus, & pisa, sint ventosa.

Vena porta distributio.

Surculi fellei.

testina pluribus ramulis, vsque ad exitum comitatur ad extrahendũ vndiq; quicquid boni succi continetur, & sursum deferendum in iecoris substantiam concoquendum. Insignis est etiã *ramus eius* exiens à sinistro latere, & tendens in lienem, vbi expurgatur terreus humor: Alia est etiam vena pariter vniuersalis, quæ *à corde* originẽ ducit, & per exporrectos quosdam palmites ad iecoris gibbam, haurit cibum iam secundò confectum, & defert ad cor, vndè iterùm exiens per vniuersas viuentis partes distribuitur, & dicitur *vena caua*; & istæ duæ vniuersales sunt: Aliæ sunt etiam duæ particulares, quarum altera ab vmbilico ad iecur pertingit, quæ deseruit fœtui nutriendo in ventre materno, & post natiuitatem paulatim exsiccatur; Alia est quæ exiens à cordis dextero ventriculo nutrit pulmones, & dicitur *uena arterialis*, quia ducit *spumas sanguinis* ad pulmones.

Ramus splenicus.

Vena caua.

Vena vmbilicalis.

Vena arterialis.

Respondendum est sextò, *ad bene esse in perfectioribus animalibus, necessariam esse bilis vesiculam, lienem, & vesicam humoris aquei.* Dixi *ad bene esse*, quia plura animalia aliquibus horum sunt priuata, vt *aues* non habentes vrinæ vesiculam, *columbæ* non habentes vesiculam bilis, & in pluribus alijs varia conspicitur natura, quę exigit, vel non exigit tales partes; Et ideo dixi, necessarias esse ad bene esse, vt scilicet sanguis meliùs expurgetur; adiuuant etiam concoctionem cibi, dum lien sub ventriculo residens, adiuuat cõcoctionem suo calore, quem habet ex multitudine arteriarum: Vesicula item bilis, quæ infigitur duodeno intestino, sæpiùs eructando humorem igneum, sua acredine commouet intestina, & facit rigare ad citiùs expellendas fæces, vnde intestinum, quod ieiunum dicitur, semper *vacuum est*, quia est proximũ eructationi bilis: Hæc autem omnia quasi sacculo quodam concluduntur à quadam substantia pingui, quæ *omentum* dicitur; Hæc enim deducta circa ventriculum, & descendẽs ad partes inferiores, continet ventriculum, intestina, lienem, & renes, quamuis in parte inferiori non omnia intestina cooperiat peculiariter in homine, etsi in alijs animalibus omnia coniungat.

Conclusio 6.

Aues nõ habent vesicã. Columba non habent vesicam fellis.

Bilis eructatio in intestina.

Ieiunũ cur vacuum.

Omentum.

Dicendum est septimò, *sanguinem viuentibus necessarium esse, iecur, & cor*; à quo autem generetur sanguis dicemus inferius, & hæc conclusio, Arist. 3. de partib. anim. c.4. & c.7. & alibi, vlteriori non indiget probatione, cùm sit apud omnes in confesso: Tantùm hic explicabimus, qualia sint hæc organa. Sicut ergo diximus superius, vniuersum thoracem in duas diuidi partes, ita quædam sub *septo transuerso*, quod est *quædam neruosa simul, & carnosa, substãtia*, continentur, & est potissimùm *iecur*, cuius substantia tot constat venarum propaginibus, vt tãtùm videatur quidam sanguis ab alijs venis exsudatus, & coagulatus, nec aliam habet figuram præter eam, quæ illi relinquitur in implẽda vacuitate relicta à ventriculo, &

Septima conclus.

Iecoris conformatio.

Septum transuersũ.

& intestinis inter septum, & ipsum ventriculum: Etenim munus hepatis non indiget aliqua speciali figura, sed quæcunque ei relinquatur, sufficiens erit, dummodo varias obtineat venarum propagines, quæ procedunt à vena porta, & quasi sunt rami eius superius diffusi, cũ videatur arbor habens suas radices inferiùs defixas inter intestina, vt iã superiùs notauimus.

Sedes cordis. De *corde* igitur nunc aliqua dicenda restãt: *Sedes* eius est in superiori thoracis regione, vbi quasi quibusdã mœnibus in tutissima ciuitate circumambitur à costis, declinat aliquantulũ suo *mucrone* ad partem sinistram, & est *Cordis figura.* figuræ pineatæ non ad amussim rotũdæ, sed aliquantulum compressę, habet interius *duos ventriculos*, vnum in parte dextera, alterum in sinistra: *Dexter ventriculus.* Ventriculo in parte dextera infigitur vena caua, quæ habens propagines aliquas à iecoris gibba procedentes, haurit à iecore confectum cremorem, & defert ad cor, à quo excipitur in ventriculo dextero, & aliquantulum elaboratus, cum plurima pars remittatur in venam cauam, relinquuntur subtiliores partes, quæ exire nequeunt in cordis elongatione propter tres pelliculas, quæ præfigũtur ori venæ cauę, & in cor dis elongatione ita constringũtur, vt, quod interius est, exire non possit: Istæ igitur partes magis elaborãtur calore cordis, & transmittũtur per incomprehẽsibiles meatus ad sinistrũ latus, vbi *à sinistro* *Ventriculus sinister.* *ventriculo* recipiuntur spiritus facti, & in eadem cordis elongatione exeunt à sinistro ventriculo in magnam arteriam, quæ ori huius vẽtriculi infixa est, & habet *tres pelliculas* ab anteriori parte ipsius ar- *Tres valuulæ.* teriæ procedentes, quæ dum spiritus exeunt à corde sursum aperiũtur, & locũ præbent ingressuro spiritui, & impediunt regresũ in cor, sicut *virgulæ in piscatorijs retibus* aptatæ, ita conueniũt in summitate, vt ingredienti pisci aperiatur, egressuro tamen concludãtur, cui muneri perfectè absoluendo, aliam addidit natura venã, seu, vt melius loquar, *arteriam venalem*: Hęc.n. *Arteria venalis.* more venarum, per plures propagines in pulmones diffusa, recipit ab aspera arteria aerem haustum ore, & transfundit in cordis sinistrum latus, vt eius substantia, & qualitate admista cum sanguine, subtiliores procreentur spiritus, & ideo locum habet in sinistro latere, quod ingreditur, vbi duas habet pelliculas, pariter impedien- *Duę valuulæ.* tes, ne iterũ effluat aer receptus, donec cum sanguine mistus fungatur suo munere, & tunc superfluæ fuligines emittuntur per contractionem, & elongationem cordis, & tandem à respirante exeunt; sed quia iugiter deseruiũt cordi, æquũ est, vt pariter cor pulmonis substãtiam enutriat, tanquam seruum fidelem, & sic habet quandam *ve-* *Vena arterialis.* *nam arterialẽ*, quæ defert *spumosas* quasdam substãtias relictas per talem commotionem ad pulmonẽ nutriendum. Talis enim substãtia maximè cõueniens est naturę pul- *Pulmones.* monis, *qui pulmo* maximo vsui deseruit cordi, dum defert aerem inspiratum ad ipsum: Ideo constat

O qua-

quadam substantia maximè porosa, & subtili ex pluribus venalis arteriæ, & arterialis venæ propaginibus compacta: Vnde dum aere repleantur propagines arteriæ venalis, quàm maximè dilatatur, & replet vniuersam cauitatem superioris thoracis; Et quia mētionem fecimus *constrictionis*, *elongationis*, & *dilatationis* cordis; notandum hic est, quo motu moueatur cor, & ideo sciendum est à mucrone cordis quasdam *substantias fibrosas* enasci, quæ sursum prorepentes, in plurimas partiuntur fibras, quarum extremitates appensæ sunt pelliculis, & orificijs ventriculorum cordis: Harum ergo beneficio mouetur cor, ita vt *mucro* cordis attrahatur versus basin, eo modo, quo simul compositis digitorum apicibus, eos cōtrahimus, simul coniunctos ad palmam manus, & talis dicitur *contractio* cordis, seu etiam *dilatatio*; tunc enim aperiuntur ventriculi, in qua apertione *dexter ventriculus* recipit in vena caua, sanguinem illuc delatum prius confectū in iecore, vt infra dicetur: Sinister verò *recipit aerem ab arteria venali*: Quando verò mucro cordis magis discedit à basi, & protenditur secundum longitudinem cordis, quæ dicitur *elongatio* cordis, vel etiam *constrictio*, quia constringuntur ventriculi eo modo, quo digitos elongando à palma manus magis eos simul constringimus, retinentes apices simul cōiunctos, vt diximus, tunc dexter ventriculus per venam arterialem emittit ad pulmones spumas sanguinis confectas in confectione spirituum: Sanguis autem non receptus intra membranas præpositas orificio venæ cauæ, in tali elongatione regreditur per eandem cauam ad reliquas partes corporis, & in eadem elongatione, finister ventriculus emittit puriores spiritus per magnam arteriam; fuligines autem per arteriam venalem.

Quo motu cor moueatur.

Cordis fibra.

Quid cordis contractio.

Quid cordis elongatio, & constrictio.

Emissio spirituū

Transmissio fuliginum.

Hinc igitur sanguis elaboratus exit, & pariter cum spiritibus confectis ad varias corporis partes permeat, sed adhuc aqueum retinet humorem, vt cùm difficilior sit ascensus, sursum opaco humore facilis fiat; dum autem descendit in parte inferiori sub cingulo expurgatur à renibus, & transmittitur ad vesicam illi excipiendo præparatam; Et hæc est ratio cur partes superiores magis soleant exsudare, quàm inferiores; quia videlicet partes superiores recipiūt sanguinem non admodum expurgatum ab opaco humore, quemadmodum recipiunt partes inferiores; Et hæc de instrumentis materialibus nutritionis.

Vsus aquei humoris.

Cur partes superiores magis exsudent.

QVAENAM SINT VIRTVtes instrumentariæ effectiuæ nutritionis. Quæst. III.

HIc recolendū est, quod diximus in physicis de natura instrumenti, vt quo sensu loquamur, in aperto sit; Cùm enim instromētum sit illud, quod eleuatum à superiori,

Quid instrumentū.

periori, producit effectum superioris perfectionis, quem non possit producere ex natura sua: Hic certum erit, non esse sermonem de instrumentis propriè acceptis: Nulla enim est productio nobilioris effectus in vniuersum, loquendo in vniuersali, sed tantùm, quatenus variæ potentiæ, & virtutes, variè sibi inuicem deseruiunt: Dicuntur etiam ad inuicem instrumenta, latiùs accepto nomine instrumenti, quatenus conuertitur cum organo; Cæterum, dum omnes istæ virtutes effectum operantur, minimè excedētem propriam actiuitatē, verè sunt causæ aliquo modo principales; sed quia effectus harum causarum non sunt vltimatè intenti à natura, cuiusmodi est *attractio, retētio, confectio chyli*, &c. Sed ad alios ordinantur vltimatos, videntur causæ secundæ, & quasi instrumentariæ, respectu superiorum causarum, à quibus, quadam *metaphorica motione* per modum finis eleuãtur ad superiorem effectum, eo modo, quo media eleuantur ad obtinendum finem: Non negarem tamen aliqua peculiari efficientia in homine, vel alijs animalibus, esse instrumētaria, cuiusmodi *sunt accidentia*, quę concurrunt *ad actus vitales*, saltem *materialiter* accepta, hoc tamen tantū vniuersaliter loquēdo aduerto; antequā ergo soluatur hęc difficult.

Causa instrumentaria.

Notandum est primò, duplicem esse potentiæ nutritiuæ negotiationem; alteram in præparāda cō muni materia omnium partium alendarum, qualis est, in sanguineis, operatio sanguificatiua; vel in alijs cum proportione; Alteram esse similem in actu vltimę conuersionis materiæ alimentaris in partiales partes.

Duplex potentia nutritiua negociatio.

Notandum est secundò, hęc munera in vniuersum sumpta, duplicia esse: Alia *localem* alimēti constitutionem respiciunt, & huiusmodi sunt *attractio, retentio, & expulsio*: Alia circa *substantiam alimēti* versantur; Et hęc sunt *alteratio, corruptio*, & *generatio substantiæ communis*; Postea alteratio, corruptio, & generatio substātię *particularis*, ossis videlicet, carnium, neruorum, &c.

Duplex munus facultatum.

Sit prima conclusio. *Prima instrumenta ordine executionis requisita, seu etiam extrinsecus accepta, sunt attractiua virtus, retentiua, & expulsiua, quæ licet sint virtutes necessariæ, sunt tamen extrinseca nutritioni, cum sint circa localem constitutionem alimenti.* Dico tamen hęc instrumenta esse *necessaria*, quia alimentum ex se non procedit ad sustentandum hoc, vel illud animal, seu viuens, sed debet attrahi à viuente; est enim indifferens ad hoc, vel illud; & præterea sæpissimè concurrerent aliqua alimenta maximè vitæ nocua, & ideo natura prouidens dedit viuētibus *attractiuam virtutem*, vt conuenientia cibaria arriperent, cætera relinquerēt; Sed ne cibaria hausta proprio pōdere statim effluerent, adiunxit, & *retentiuam* virtutem, donec quod sibi conuenit, natura accipiat; & demum ne fæces ineptæ vsibus vitæ, remanerent in corpore occupantes organa, cum maximo vitæ di-

Prima conclusio.

Attractiua necessitas.

Retentiua necessitas.

discrimine, adiunxit, & *expulsiuam*, vt istæ fæces excernantur.

Expulsiuæ necessitas. Vt tamen explicetur, quid nam sint tales virtutes, pluribus dicendis opus est.

Quomodo fiat attractio ex vacui fuga. Dico ergo, *Attractiuam virtutem* sæpe fieri ex inclinatione prohibendi vacuum, non ex aliqua speciali qualitate. Quòd autem hoc modò attractio fiat, facilè est asserere in plantis, & vegetabilibus: *In vegetabilib.* Dum enim vis intima confectũ alimentum sursum per medullas propellit, ne pori reliquantur vacui, occurrit proxima materia, & quicquid ingredi poteſt, à radicib. absorbetur eo modò, quo ex clepsydris attracto aere subsequitur aqua, vel vinum suppositum. Idem *In animalib.* quoq; dicere possumus in virtute; quatenus.n. adiuuante calore feruet sanguis in venis, & magis dilatatur, quærit locum, & exit per poros venarum, & vbi exit, adsunt proximę partes, quę ex caloris voracis consumptione relictæ sunt *Quomodo ex venis resudet sanguis in partes nutriendas.* *porosæ*; Et ideo excipiunt sanguinem à venis exsudatum, & exceptum alterant, alteratum conuertunt in suam substantiam: Si autem partes proximę non indigeant, defluit ad partes remotiores.

Attractio per positiuã virtutẽ quomodo. Dico secũdò, attractionem etiã fieri posse per aliquam positiuam virtutem, quemadmodum magnes per positiuam qualitatem efficaciter attrahit ferrũ; qui modus probabilior est in viuentibus, maximè animalibus, quia attrahere alimoniam, est res maximè necessaria partibus viuentis, & ideo conueniens videtur, vt huic muneri pręposita sit qualitas positiua.

Attractiua virtus, cur magis à cęlestibus causis. Dicò tertiò, talem virtutem esse potius à cælestibus causis deriuatam, quàm à naturalibus, quia virtus alimentaris in ordine ad locum, vel est ad sursum, vel ad deorsum, nec habet aliquam indifferẽtiam ad latera, & tamen *attractio*, quæ contingit in viuente debet esse ad omnem loci differentiam, ergo erit à causa superiori indifferente ad motum sursum, vel deorsum.

Retentiuæ facultatis ratio. Dico quartò, hæc eadem dici posse de virtute *retẽtiua*, vt etiam in ipsa iudicetur qualitas positiua, qualem videmus potentem esse in pisce Remora.

Expulsiuæ ratio. Dico quintò, idem de *expulsiua* dici posse, ita tamen vt peculiari ratione hæc virtus possit dici inclinatio naturalis, qua cuncta tendunt ad sua loca; Etenim, quamdiu alimentum habet aliquid vtilis, tamdiu manutenetur à retentiua, sed postea quasi dimittitur, & suo pondere exit; Non est tamen negandum, quemadmodum superius diximus de alijs, etiam huic effectui esse prępositam, & determinatam facultatem.

Secũda cõclusio. Conclusio secunda. Instrumenta istis virtutibus deseruiẽda, sunt *primæ qualitates elementares*: Et hæc conclusio declaratur ex fibris, de quibus superius diximus esse quędam corpuscula terrea, & consequenter sicca, & frigida iuxta prædominium, quæ quasi sunt organa harum virtutũ: Calor enim, & humiditas deseruiunt attractiuæ, & expulsiuæ; Frigus, & siccitas adiuuant retentiuam, & expulsiuam: Nam *calor* rarefaciendo dila-

dilatat partes, & *humiditas*, quæ facilè alieno termino terminatur, omnes partes penetrat, & sic maximo est vsui attractiuæ; *frigiditas* verò constipando partes, & conferente *siccitate*, termino proprio, & consistentia cogit, si quid internum est, aut validè aufugere; aut intus potenter includi, & hac de causa, natura constituit orificijs ventriculi *fibras elongatas*, vt ex siccitatis, & frigiditatis prędominio facilè constringant omnia, & contineant intra ventriculum cibaria ingesta: Aliæ verò ventriculi fibræ, quæ orbiculares sunt, impediuntur vel à cibi mole, vel à calore, & humiditate introducta, ne regant, & contorquendo stomachum expellant cibum adhuc incoctum, & sic, cum debiles sint, ob huiusmodi contrarietatem, relinquunt quietum cibum.

Calor, et humid. attract. interuiunt.

Frigitas & siccitas retentiua, & expulsiua.

Fibræ q & quomodo ad retentionē faciāt

Rursus quæ sunt *obliquæ*, cùm non tam directè opponantur toti cibo, & inuicem sese intersecent, detinent cibum: Nam si vna expellit, alia per aliam obliquitatem impedit, ne expellat: Et huius indicium est, quòd si aliquis nimis fluido vtatur cibo, facilè euertat, quia hæc humiditas impedit officium fibrarũ orificij ventriculi; humiditate enim dissoluuntur: Et si quis nimium arido vtatur cibo, sentit quandam ventriculi constipationem, & grauedinem, quia omnes fibræ siccitate corroboratæ, aliæ potenter retinent, aliæ potenter expellere conantur, cum tamen sint plures retentiuæ, maximo cùm ventriculi incommodo angustum retinetur alimentum; In fine autem digestionis, cùm iam humiditas vtilis penè exhausta est, remanent sicciores partes, & tunc corroborantur *fibræ expulsiuæ*, & simul constrictæ constringunt materiam relictam, & cogunt fibras præfectas dextro ventriculi orificio operari, & aditum ad intestina patefacere.

Fibra expulsiua

Conclusio Tertia; *Qualitates elementares contractæ, & concomitante cælesti influxu, sunt instrumenta animæ vegetatiuæ ad faciendam communem materiam primam alimenti in ventriculo.* Declaratur Conclusio: Inclusa cibaria in ergastulo ventriculi, cùm multis modis & ab inuicem, & à ventriculo dissideant, talis inæqualitas est admodum inconueniens viuenti: Nec sufficit, si tota hæc materia quadam temperie accidentali communi donetur, sed opus est substantiali mutatione, quia si remanerent tot formæ substantiales discrepantes, sæpissimè conarentur recipere propria accidentia, & maximum viuenti damnum, & alterationem excitarent.

3. Concl.

Substantialis mutatio ad communem formam ventric. celebratur.

Debet ergo quædam *substantia communis* generari, & ideo hinc nomen Instrumenti propriè accipiendum est, quia producere talem substantiam, est supra virtutem harum qualitatum, & ideo indigent eleuatione substantiali.

Eleuat. substāt. qualita. elementarium.

Dico igitur esse instrumenta propriè accepta ad hanc substantialem mutationem.

Quòd

Quòd autem ipsæ qualitates elementares, non autem aliæ virtutes magis Spirituales, sint instrumenta huius actionis facilè probatur, quia anima vegetatiua versatur circa materiam, seu obiectum omninò materiale, vt educatur ex eo, vel ex potentia eius forma substantialis materialis secundū temperiem qualitatum elementariū, & ideo hæ qualitates sufficiunt, vt propriæ causæ alterationis, & vt instrumenta mutationis substantialis *adiuncta virtute* cælesti, quā maximè diximus prędominari corporibus viuentibus.

4. Ccl. Conclusio quarta; *Instrumenta prædominantia in conficiendo chylo, sunt humiditas, & aliqua saltem innata frigiditas aquea*: Et probatur, quia cum debeat conuerti in sanguinē, qui est aereę naturæ, non est aliqua substantia proximior huic conuersioni, quàm *substantia aquea*; Etenim *terrea* durior est, & difficilior; *Ignea* vero non est admodum apta, tum ob acrimoniam, tum ob tenuitatem, tum quia potius descenderet ad gradum inferioris perfectionis, dū mutaretur in aeream complexionem; Et hoc non est conueniens naturæ, vt in constituendis rebus sit processus à perfectiori ad imperfectius.

Substantia aq̄a est sanguini ꝓximior.

Confirmatur præterea, quia *pituitosus humor* maximè abundat in ventriculo, quod est indicium dominij aquei temperamenti: Præterea ex calore hoc idem confirmatur; est enim albi coloris; vt autem notat Albert. lib. 2. de veget. & plant. tract. 2. cap. 7. color albus ex esse humido aqueo lucido superante terrestrem temperiem, ita vt *terrestris temperies* si necessario includenda sit, tantùm includatur ad consistentiam faciendam; Vbi aduerte, non esse omnino exclusam temperiem terrestrem etiam in magna copia à natura alba, dummodo semper humiditas aquea prædominetur. Cùm ergò Chylus sit albi coloris, dicendus erit *humidus aquosè*.

Terrestris temperies vt concurrat ad naturā albam.

Conclusio quinta. Postea *ponenda est temperies calida magis, & fumigans*, quę est iecoris virtus, quam *Sanguificatiuam* etiā magis appellare placet; Et hinc notanda est dissensio inter Aristotelem, & Galenum. Nam Aristoteles 3. de part. animal. cap. 3. dicit, sanguinem à corde procedere ad alias partes, tanquam ab vnico principio, à quo fit, quemadmodū ex vno fonte irrigantur plures horti regionis; ea ratione adductus quòd venæ à corde ortū accipiant, Ergo & sanguis à corde fiet. Antecedens cōfirmatur ex cordis natura, quæ venosa est; consequentiam probat, quia melius est vnū tantum ponere principium, quotiescunque fieri potest, quàm plura, Ergo vnde gignuntur venæ, inde & sanguis generatur. Præterea virtus nutriua est in corde, ergo etiam sanguificatiua. Quas rationes Auerroes putat esse demonstrationes.

5. Ccl.

Dissensio inter Arist. et Galenū de sanguinis ortu.

rationes Arist.

Galenus verò vult, à iecore venas, & sanguinem proficisci, quia per anatomen experimur, chylum primò in hepate conuerti in sanguinem, & hinc procedere organa ex

rationes Galeni.

ex purgatiua excrementorum sanguinis, Ergo hinc elaborabitur: Preterea cùm tã abundans sit sanguis in hepate, nisi hinc generetur, oporteret per aliquam venam à corde procedentem, communicari sanguinem iecori, quæ certè nulla conspicitur.

Auerr. cõcilians Gal. & Arist. Auerroes loco cit. de part. in 2. quæsito conciliat vtramq; dicens, verè secundum Galenum, primũ, & *materialem sanguinem* in iecore gigni, nec hoc ab Aristotele negari, sed tantùm velle Aristotelẽ sanguinem perfectum à corde gigni, qui sanguis est vitalis, substantiaq; spiritosa; qui sanguis cõparatus ad primum sanguinem materialem ob suam perfectionem se habet vt actus eius, maximè cùm isti vitales spiritus semper foueãt calorem crassioris sanguinis. Vt autem quid circa hanc rem sentiamus, apertum sit, per plura dicenda hanc quæstionem declaro.

Sententia propria de sang. ortu. Dico primò, *venam portam* nequaquam à corde originem ducere, cùm euidens sit ex anatome, nullo modo ad cor peruenire, sed crebris, & innumeris propaginibus diffusam esse per substantiam intestinorum, ventriculi, lienis, & *Vena porta est à iecore.* vasculi fellis, quamuis non nihil in colore variet; Nan rami in gibba iecoris aliquo pacto rubent, alij albicant.

Dico secundò, In supremis propaginibus venæ portę, quæ iecoris *In qua parte iecoris sãguis perficiatur.* substantiam constituit, sanguinem perfici; Et probatur, quia hinc primò conspicitur chyli substantia rubere tanta alteratione hinc, vt excrementa contraria sanguineæ temperei secernantur à sanguine; fęces enim terreę expurgantur per lienem, & igneæ per vasculum fellis; Præterea substantia iecoris multo conformior substantiæ sanguinis, quàm substantia cordis; hæc enim durior est, illa tenuior, & quasi sanguis concretus; Vlterius, adeo multiplex venæ portæ ramificatio non videtur ad aliud esse quàm ad faciendum sanguinẽ: Tot enim rami, quasi plures ventriculi recipiẽtes varias chyli portiunculas, in sanguinem conuertunt facilius, quàm si totus chylus in vnico esset ventriculo: & quamuis Aristoteles ex hoc arguat non *Arist. obiectio.* perfici sanguinem in iecore, quia sanguis continetur in venis sicut, & in alijs partibus corporis: vnde potius videtur esse ad nutritionẽ *redarguitur primò.* iecoris, quàm ad sui productionẽ. Nihilominus duplici capite redarguitur; quia & ipse concedit, vt quidem necessariò, aliquam in iecore fieri, & certè Maximam alterationem chyli, ita vt fiat massa rubea, & tamen tota hæc alteratio tantùm fit circa chylum in venis confectum, ergo esse in venis non est tantùm esse ad nutritionem, sed potest etiam alteri muneri deseruire.

Redarguitur secũdo. Secundò, quia si esset ad nutriendum iecur, non adesset tam numerosa propaginum series, & tantæ magnitudinis: Nam non indiget tanta alimonia iecur; pręterea constitutio cordis, & deductio huius massæ ad cor (vt loquamur cum Aristotele) non potest esse argumentũ quomodo sanguis in corde gignatur, quia sanguis

seu

seu massa rubea hausta à dextro ventriculo ex orificio venæ cauæ, vel modicè retinetur in corde, & statim dimittitur, vel si diu retinetur, non amplius per venam cauam reijcitur, sed conuersa in spiritus septum cordis transiens à sinistro cordis ventriculo excipitur, & eructatur in magnam arteriam, & hoc dictum facilè declaratur ex cordis constitutione. Etenim orificium venæ cauæ tres habens mēbranas pendentes in cauitatem cordis, tantùm idoneum est ad immittendum sanguinem, non autem ad recipiendum, nisi illum tantum, qui in cordis orificio inter ipsas membranas reperitur, dum dilatatur cor, illud constringitur, & ille idem redit in venam cauam; sed illa pars, quæ vltrò processit ad cordis cauitates non potest amplius exire per tale orificium.

Vena caua nō à iecore sed à corde. Dico tertiò; *venam cauam* per omnia membra discurrentem non ducere initiū ab hepate, sed à corde; Et hoc dictum latè contra Galenum ostendit ex anatomicis principijs Vesalius lib. 3. de fabr. hum. corp. cap. 6. vobis sufficiat hæc attendere, nequaquam per ramum aliquem ingredi cor, aut à iecore incipere, sed *tota sui amplitudine lateraliter aperta* infigi, vel incipere à *dextro cordis ventriculo*, *Vena caua à dext. cordis ventriculo.* vnde postea exiens, sursumque, & deorsum postea prorepens in varias diuiditur propagines per omnia membra, & partes percurrens. *Vena caua descendēs.* Dum autem magno caudice descēdit, deorsum *iuxta spinas dorsi* incidit in *iecoris gibbam*, eique sese imprimit, ac ad latera promens, *duos crassiores ramos*, per iecoris substantiam ramificat, suisque *Anastō. vena cauæ, & portæ in iecore.* *osculis* adhæret *orificijs* propaginum venæ portæ, à qua exsugit sanguinem concoctum, & sic quasi lateraliter tantum adiungitur iecori, non verò sumit initium ab eo, & hoc idem eo maximè cōfirmatur, quia magnitudo venæ cauæ in hac iecoris regione amplior est, quàm sit magnitudo horum ramorum etiam simul collectorū, Ergo non oritur hinc, tanquam ex his principijs.

Argum. Galeni. Et si quis instaret argumento Galeni, quòd sanguis habet initiū à iecore, & ideo conueuit etiam initium vasis deferentis illum esse à iecore; *Solui.* Respondemus, non esse hoc necessarium, sed sufficere, si hoc vas aliquo modo pertingat ad hepar; esse autem necessarium, vt ducat originem, vbi sanguis debet per omnes partes diffundi, id est, à corde: quamuis enim sanguis in iecore generetur, attamen prius debet deferri ad cor, vt quasi princeps sua authoritate stabiliat, quòd inferior magistratus ordinarit; imò etiam vt inde primitias percipiat, & ad spiritus efformandos, & seipsum nutriendum, qua actione expleta, iam sanguis est vltro præparatus ad omnes partes alendas, & sic incipit à corde diffundi, & à corde incipere debet vas deferens sanguinem.

Quid vir tus sanguific. Dico quartò, Pro explicatione huius quæstionis, Virtutem sanguificatiuam esse *quandam calidam complexionem*, *& fumigantem*, quòd certè colligimus ex doctrina Alberti lib. 2. de veget. & plant. tract.

tract. 2. vbi rubeus color definitur *ex aquea, & lucida substantia esse cum terrea subtili admista, supernatante fumosa, & incensa, in quam incidens lumen, rubeum colorem demonstrat*; quia igitur, iam chylus albi coloris aduenit, ideoque aquea substantia, & quia ex hac substantia, terrea pars est exhausta, & ad lienem deducta, relinquitur substantia subtilis terrea, & quia virtute caloris hæc eadem substantia aquosa cum subtili terrea maximè fuit incensa, & facta feruens, ideo relinquitur talis color rubeus ex tali commistione; Et hoc declaratur exemplo, dum vuæ confractæ in dolium immittuntur, humor ille à principio obscurus est, sed postea dum paulatim, & fæces deorsum descendunt, & subtiliores partes ebulliendo sursum feruntur, relinquitur vinum rubei coloris, & hoc idem cũ proportione valet in albis vuis; Etenim etiam humor inde expressus in principio obscurior est, & postea facta concoctione clarior redditur, sed quia minus caloris, cæteris paribus, in illis relinquitur, citrinus relinquitur color.

Quid rubeus color.

Quomodo chylus rubescat.

Exemplo vini rubri declaratur.

Vinum ex vuis albis cur citrinũ.

Conclusio sexta, calor *est vniuersale instrumentũ omniũ actionum simul cum peculiaribus partium temperiebus:* Et hæc sentẽtia facilè probatur, quia euidenter ex anatome ostẽditur per omnes corporis partes deferri arterias, quæ tantùm huic vsui inseruire videntur, vt vbiq; calorem foueant per spiritus feruentes, qui in ipsis reperiuntur.

Concl. sexta.

Dixi tamen *calorem*, non autem humiditatem esse vniuersalissimum instrumentum.

Quamuis enim post calorem, sequatur in hoc ordine *humiditas*, nihilominus non est adeo vniuersale principium, quemadmodum est calor. Dixi cum omnibus peculiaribus partium temperiebus, quia etiam istæ temperies actiuè concurrunt ad proprias concoctiones. Et hæc sufficiant de Instrumentis effectiuis nutritiuæ potentiæ.

Particularis temperies actiuè concurrit ad propriam actionẽ.

Quæ sint causæ principales Nutritionis. Quæstio IV.

PRima conclusio: *Prima, & immediata causa formalis principalis nutritionis, est facultas nutritiua, quæ est actiuum principium restaurandi in suo subiecto deperdita per calorem naturalem.*

Prima conclus.

Declaro hanc conclusionem; Dixi esse *primam, & immediatam causam principalem*; quia quamuis anima, vel potiùs totum viuens sit principalissima causa nutritionis, nihilominus non est totum *causa formaliter effectiuè*, & si anima sit ea *formaliter effectiuè, & principalis*, nõ tamen est *immediata*; Et ideo dixi facultatem nutritiuam esse causam principalem, & immediatam nutritionis.

Facultas nutritiua est prima immediata, & principalis causa nutritionis.

Dixi esse primam causam, quia sunt, post illam, aliæ causæ principales, de quibus nunc nunc dicemus.

Quòd igitur hæc virtus sit hoc

modò causa principalis facilè probatur, ex munere, quod habet in viuente, ex denominatione, quam accipit à tali actione; & ex huiusmodi alijs, quæ rem faciunt euidentem.

Secūda cōclusio.

Secunda cōclusio. *Facultas nutritiua, simpliciter loquendo, est principium principale, quo, nutritionis.* Dixi *simpliciter loquendo*, quia si compararetur cum alijs causis, de quibus in sequētibus, potest dici principium formale principale *Quod*, sed tamen quia principaliter hæc facultas deseruit animę, vel toti, qui ordo est principalis, & simpliciter attendens; Ideo dixi, *simpliciter* loquendo, esse principium *quo principale, immediatum tamen*, sicut in præcedēti statutum est; Nam etiam anima respectu totius dici potest principium principale *quo* nutritionis, sed esset principium principale *remotum* sub ea ratione generica, qua vniuersaliter anima est principium principale quo formale operationum viuentis, saltem loquendo de materialibus: Nam de actibus intellectus, & voluntatis aliter fortasse dicendum. Quòd igitur sit principiū *Quo* facultas nutritiua, facilè declaratur, quia est etiam ipsa deseruiens animæ, & toti, nec operatur effectum omninò ad se terminatum, sed tandem terminatum ad superius esse viuentis.

Quomodo facultas nutritiua possit dici principium formale principale quod.

Quomodo anima sit principiū quo.

Facultas nutritiua est principium immediatum quo.

Tertia conclus.

Tertia conclusio. *Causæ secundæ principales nutritionis post hanc facultatem nutritiuam, & vniuersales sunt ventriculus, iecur, & cor secundum suam substantiam accepta.* Dixi esse causas secundas, quia subseruiunt facultati nutritiuæ immediatè.

Dixi tamen esse *causas principales*, quia quamuis accidentia alterent materiam nutritionis, nihilominus non possunt inducere formam substantialem absque *influxu substantiali*, quia igitur in ijs organis, formam substantialem communis alimenti materiæ, *varia* inducunt *accidentia* cum influxū substantialium formarum horum organarum, ideo hæc organa ingrediuntur rationem causæ principalis: Et præterea confirmatur hæc ratio, quia quęlibet harum causarum videtur sibi similē substantiam alimenti facere: Nec valet, si quis dicat, non posse esse causas principales, quia effectus harum causarum ordinantur *ad superius esse*; hoc inquam debile est, quia quamuis natura faciat sapores, qui ordinantur ad gustum, nihilominus non ideo est causa instrumentaria; Et quamuis faber serram cōficiat, quæ ordinatur ad scindendum, non est tamen causa Instrumentaria serræ faciendę, sed principális, & sic de alijs, & in vniuersū hoc præfinisse sufficiat, *quòd eleuatio per modū causæ finalis, non tollit principatum causæ efficientis, sed solum impedit, ne illud quod ordinatur ad finem, esse possit, vel de facto sit finis.* Sufficit ergo, si in genere efficientis talis effectus, non sit super effectiuum talis causæ, cuiusmodi sunt *concoctio chyli*, respectu ventriculi; *sanguificatio* respectu iecoris; *efformatio spirituum* respectu cordis, qui effectus non superant horum or-

Quia influx' substantialis.

Organa nutritionis, quomodo sint causæ principalis eiusdē.

Instantia.

Solutio.

Eleuatio per modum causæ finalis quid faciat.

organorum virtutem, etsi ordinetur ad alium finem.

Quarta conclus. Quarta conclusio. *Haec organa non dicuntur causae principales iuxta naturam materialem mixtam talis, vel talis mixtionis, sed sunt causae principales secundum totum compositum viuens, ita vt ventriculus, exempli gratia, nō sit causa principalis secundum suam temperiem aqueam, sed sit causa principalis, vt compositum ex tali substantia sic mixta, & forma vitali: Et idem dicēs de alijs.* Et haec conclusio probatur simul, & declaratur: Quia effectus simpliciter acceptus pertinet ad vitam, ergo nō erit ab ijs causis praecisè, vt à materialibus. Confirmatur magis, hę causae *praecisè* acceptae vt *materiales*, nullum principatum obtinent in ordine rerum, ergo nec possunt operari, vt principales. Antecedēs est euidens, quia non sunt aliquae naturae vltimatae, & specificè intentae à natura, sed merè sunt in genere causae materialis praecisè intentae, & ideo in genere causae efficientis non possunt principales esse. Confirmatur iterum, quia effectus producendus est in tali statu, vt ablata vita, omninò cesset, posita vita statim fiat effectiuè, ergo erit à ratione formali vitę: pręterea ablata forma vitali, ista organa non operabuntur, & posita forma, statim operātur, ergo propter formam vitalem formaliter effectiuè agunt, atque ita iam diximus de causis vniuersalibus, quatenus scilicet talem operantur effectum, qui omnibus partibus in particulari acceptis maximè deseruit, & ideo dicuntur causae vniuersales.

Rationes probantes, solam temperie partis non esse nutritionis causā.

Nutritio est à ratione formali vitae.

Quinta conclus. Quinta conclusio. *Particulares causae principales sunt variae complexiones cuiuslibet partis discretae, itaut non sola complexio materialis sit causa, sed totum compositum viuens*, vt puta os viuens, carnes viuētes, & similiter de alijs etiam puris vegetabilibus loquendo cum proportione; Et hanc conclusionem aduerte etiam includere cor viuens, hepar viuens, ventriculum viuentem, non quatenus chylum, sanguinem, & spiritum fabrefaciūt, sed quatenus aliquam partem sanguinis iam confecti in suam substantiam conuertunt, quo sensu subeunt vices singularium substantiarum.

Quomodo totū compositum viuens sit causa nutritionis.

Probatur ergo haec conclusio: Et quidem quòd sint causae *principales* facilè probatur: quia omnes istae substantiae nihil producunt vltra suas vires, sed sibi similem substantiae particulam gignunt: Quòd verò non debeant accipi iuxta *materialem, & elementarem mixtionem*, sed secundum *totum viuens*, probatur; quia effectus producendus est aliquid viuens, vt particula ossis viuens, particula carnis viuens, ergo & causa effectiua debet esse viuens; Et hoc est argumentum, quod est peculiare his complexionibus vltimo quaerentibus substantiam alimentarem: Sed duo declaranda supersunt; alterum est in genere loquendo; Cur si caro iuxta specificam suae complexionis materialem rationem determinat sanguinem, vt fiat caro, & similiter de reli-

Temperies non est causa principalis nutritionis.

Instantia.

P 2 quis,

quis, cur inquam non dicitur causa specifica, & principalis, & proxima talis conuersionis.

Responsio. Respondeo, quia talis determinatio, præcisè accepta, est tantùm materialis: Effectus enim ad quem est determinatio, est *caro viuens*, quod non facit caro iuxta præcisam complexionem materialem, & ideo non accipitur specificatio à tali materialitate; posset tamen aliqua *principalitas materialis*, hoc sensu illi concedi, sicut & cęteris, quod tamen modici est momenti: Alterum est specialiter de nutritione hominis: Quamuis enim, dum nutritur homo, respiciat carnem viuam producendam, & anima eius ad talem vitam producendam effectiuè concurrat, nihilominus, dum nutritur homo, non videtur hoc accidere, quia licet & ipse respiciat viuam particulam producendam, nihilominus non est causa effectiua talis effectus secundum formam vitalem, cum ob indiuisibilitatem animæ, non sit noua particula educenda de potentia materiæ; Et pariter ob immaterialitatem, si per impossibile producenda esset, hoc solùm à Deo fieri possit; Sic igitur caro eius videtur causa principalis sm suũ esse materiale in sui productione; quia quicquid ab homine producitur, est tantùm complexio materialis.

Principalitas materialis temperiei.

Instantia.

Responsio. In homini nutritione complexio partis non Respondeo nihilominus, neque etiam in nutritione hominis esse causam principalem materialem complexam, tum quia caro materialiter accepta, non potest intendere productionem carnis viuentis, & tamen est caro viuens necessario producenda, tum quia licet noua particula animæ non sit producenda, debet tamen præparari, & disponi materia effectiuè, ita vt post talem dispositionem, eadem anima statim informet particulã aduenientem, & hoc fieri non potest à sola materia, & sic carnes præcisæ acceptę, non possunt talem dispositionem effectiue facere, nisi adsit etiam substantialis animæ cõcursus, cũ debeat esse im mediata dispositio ad gradũ vitæ. *est causa principalis.*

Vltima conclusio: Primaria, & vnica causa principalis est viuens ipsum; Et hæc conclusio facilè ostenditur, quia ipsum intendit sui conseruationem, ipsum est vltimus terminus ad quem omnes actus referũtur; ipso dissoluto, cessant omnes operationes, & ex his, & similibus alijs, potest eadem conclusio confirmari.

Quæ sit materia nutritionis remota. Quæstio V.

Diximus huc vsque de internis vegetabilium principijs, & itẽ nõnulla de materia proxima nutritionis, qua est *sanguis*, nunc dicemus de externa, & remota.

Prima concl. Accidens non potest esse nutritionis materia. Conclusio prima, *Accidens non potest esse nutritionis materia*, ex Arist. de anima tex. 43. quia cibus debet conuerti in substantiam viuentis, quod non potest facere accidẽs, quamuis ergo varij sapores, aut colores exquirãtur, tamen vel expetuntur, vt indicia bonæ complexionis talis substantiæ, vel vt delectabilia gustui.

2. Concl. Conclusio 2. Non potest esse *aliquod elementum simplex*, vt docet

Simplex elementum nō est materia alimenti.

docet Aristoteles 6. de generat. & corrup. primo tex. 100. exemplo agricolarum miscentium terram cùm aqua: Præterea fiunt in nutritione excrementa, Ergo non possunt esse simplicia materia nutritionis: Et probatur consequentia; quia *excrementa* sunt tantum partes, quæ magis accedunt ad naturam elementi, & sic ob aliquam vehementem qualitatem, aut nimis ineptam ad conuersionem, reijciuntur, Ergo multo magis ipsa elementa simplicia erunt inepta, cùm habeant qualitates in summo. Tertiò, si simplex elementum alit, posset totum corpus viuentis effici simplex elemētum, Si semper eodem cibo vteretur, quia semper aliquantulū accedit ad naturā alimenti, & hoc est argumentorū Auerrois 2. collig. cap. 19. & Gal. 4. de simpl. med. facult. ca. 14. Et si alicubi apud Arist. reperies, aliquod elementū nutrire, intelligendum est, quatenus talia elementa cùm alijs sunt mixta, ita 2. de plantis dicit, plantas nutriri aqua dulci, & 4. de hist. anim. de cap. 7. pisces aqua nutriri, & eodē lib. cap. 5. lupos cùm inedia afficiuntur, terra vesci, quę expositio ex eodem Aristotele confirmatur 4. de gener. anim. cap. 8. cùm dicit, alimentum omnibus esse, quod est dulcissimum, & concoctissimum, & 1. de gen. animal. cap. 18. alimentum tantum potius humidum est; & de sensu, & sensato cap. 3. cibaria dicit esse mixta, quia ea, quæ nutriuntur mixta sunt. Ex quibus collige, Chimeram esse, sententiam eorum

Excrementa sunt ali menti partes.

qui dicunt animal, quod Chamæleon dicitur, purissimo aere, & nutriri, & viuere: Quamuis enim sæpius cōspiciatur ore aperto, hoc duplici de causa accidit; prima quam tangit Albert. 1. eth. tract. 7. cap. 1. quia deuorat formicas, & muscas, vt etiā alij addunt: secunda est, quia vt notat Aristoteles, 2. de hist. anim. cap. 11. & 4. de part. anim. cap. 11. habet sanguinem tantum prope oculos, & cor; & ideo tardissimè mouetur, & modico alimento nutritur, & rarò cibum capit eoq; leuissimo vtitur, ob modicam virtutem digestiuam, cùm tam modicum caloris habeat, ideòque quandoque aperto ore solis radijs exponitur vt calefiat, cùm sit tantæ frigiditatis, vt etiam accedat serpentes.

Chamaleon cur ore aperto sæpius conspiciat.

3. Cõcl. Concl. 3. Nec *potest esse aliquod mixtū nimiū excedēs in qualitate resistentiā mixtionis, & temperiei etiā influxæ viuētis.* Et probatur, quia nō poterit principaliter pati alimentū à viuente, & sic conuerti in eius substantiā; huiusmodi sunt ferrum, & similia, & quamuis *struthio* videatur ferrū manducare, dicendū tamen est, nō digerere illud, sed tantū aliquantulū immutatum excernere. Quod si instes: maximè hoc animal esse auidum ferri, quasi sit cōueniens eius naturę. Resp. ratione hoc euenire posse, prima est, quia fortasse aliquā eius particulā ob caloris vehementiā digirat. Secūda, quia calor eius naturalis intensissimus sit, ideòq; gaudeat refrigerio allato à ferro; quicquid tamē dicatur, semper dicendū est, naturā digerentis potentiorē esse.

Struthio non digerit ferrum.

Instātia

Solutio.

Dixi etiã *influxa temperiei*, quia aliquid poteſt aliquando ſuperare *innatam temperiem*, non tamen influxam, vt cùm longa aſſuefactione talis cibi, & temperata commixtione paulatim natura talis cibi qualitates imbibit, ita vt licet ex ſui natura illi eſſet oppoſita, quia tamen paulatim illi facta eſt ſimilis, ceſſat talis contrarietas,& ſymbolica qualitas naſcitur. Sic referunt, Mithridatem veneno comedendo aſſuetum ab infantia, nihil à veneno paſſum eſſe; Et Auicenna refert ex quodam libro Ariſtotelis de regimine principum ad Alexand. miſſam fuiſſe puellam ſimili comeſtioni aſſuetam, quæ *oculos ſcintillantes* habebat, & ſolo complexu hominem interfecit.

Alimentum pōt ſuperare innatam temperiem ſed non influxã

4. *Concl.* Concluſio Quarta; *Alimentum debet eſſe ſimile ſaltem potentia viuenti*, vt concludit Ariſtoteles lib. 2. de gen. à tex. 42. ad 50. quia inquit in prīcipio debet eſſe aliqua contrarietas, vt excitetur actio, ita tamen, vt cùm alimentum vniuerſaliter à viuente patiatur, tandem in fine ſimile ſit alendo; huiuſmodi ſunt cibaria maximè propria homini, quæ humida ſunt 2. de gener. anim. cap. 18. & quæ dulcia 4. de gen. cap. 8. ſed maximè apta ſunt quæ mediocrem lentorem habent, probl. ſect. 21. probl. 2. vt adhærere, & conglutinari corpori poſſint; præfertur hac ratione *panis triticeus hordeaceo*, quia hic rigidior eſt, & in vniuerſum dulcia, quæ albeſcunt ſunt boni nutrimenti, ſed tamen pituitoſa ſunt, albedo enim eſt ex humido aqueo; meliora verò ſunt ſuauia, quæ *rubeſcant*, quia ſuauitas optimum indicat temperatum, & rubedo caloris prædominium indicat: Sic ergo *ficus*, *vua*, *pruna*, & alia id generis, meliora ſunt, & alia ſanguinea cæteris præferuntur.

Cibaria maximè propria homini. *Dulcia.* *Lenta.* *Panis triticeus cur hordeaceo præferatur.* *Suauia rubra, Ficus. Vua. Pruna.*

DE FACVLTATE Augmentatiua.
Quæſt. VI.

Quia maximè conuenit cùm nutritiua, ideo per breuia quæſita examinabitur iuxta quæ proximè dicta ſunt.

Quæres primò, Quod *ſit obiectum* huius facultatis proximum, & remotum? Reſpondeo; *remotum* eſſe *alimentum*, *minus remotum* eſſe *ſubſtantiam ſanguinis*; *proximum*, *& formale* eſſe *quantitatē* quæ debet accedere ad preexiſtentem.

De obiecto huius facultatis.

Quæres ſecundò; Quibus principijs verſetur circa ſuum obiectum? Reſpondeo, iiſdem omninò, quibus facultas nutritiua, quia antequam poſſit cibus cùm viuente continuari, eiq; ſuam operationem impertiri, debet prius mutari ſubſtantialiter per organa, & virtutes iam expoſitas, quibus operationibus peractis, ſtatim ſequitur, vel potius concomitatur continuatio quantitatis cibi.

De principijs quibus.

Quæres tertiò; An aliquo principio diſtincto operetur augmentatiua hanc quantitatis continuationem? Reſpondeo. nullum eſſe, quia nullus eſt actus educendus de po-

An aliquo principio diſtincto ſe.

potẽtia materiæ distinctus ab alijs quando quantitas quantitati continuatur: Sufficit enim si ponantur termini; Sic igitur, dum natura per actionem multiplicem iam expositam nutritiuæ facultati, tendit ad substantiam conuertendam, vt reparetur substantia deperdita, simul etiã intendit quantitatem continuare, quatenus scilicet quærit substantiam sibi similẽ producere, vt exempli gratia, dum carnea circa particulam sanguinis negotiantur, non modò per hanc actionem transmutatiuam, intendunt carnis substantiam sibi similem ex sanguine facere, sed ita similem, vt sibi vniant, omissis terminis, qui constituebant sanguinis substantiam discretam à substantia carnium, sicq; in eadem actione est duplex obiectum intentum, mutatio scilicet substantialis, & est obiectum vegetatiuæ virtutis; & coniunctio, vel continuatio quantitatis, estque obiectum augmentatiuæ facultatis.

Distinctio aug mentationis. Quæres quartò; An saltem ex natura rei distinguantur augmentatio, & nutritio.

Respondeo Iuxtà communem loquendi modum *distingui ex natura rei*, quatenus datur nutritio absq; augmentatione, vt contingit in viuentibus, qui iam peruenerunt ad constitutam ætatem; Sed tamen si rem diligentius perpendamus, neque tam facilè hoc erit concedendum; Etenim licet non reddatur maior quantitas per nutritionem in viuentibus perfectæ ætatis, quàm antè fuerit, sicut fuit semper maior quantitas in adolescentibus, nihilominus cùm quælibet materia alimenti fit coniuncta cũ quantitate, ex lege naturali inseparabiliter, non videtur vnquam posse fieri nutritio absq; augmentatione; Semper enim aliqua quantitas superadditur, etiam si minor sit quantitas superaddita, quàm quantitas iam deperdita. Sic ergo loquendo in rigore, nunquam reperitur distincta ab augmentatione. Sed tunc relinquitur dubium, an per absolutam Dei potentiam esse possit nutritio absque augmentatione, ita scilicet, vt viuens aliquando nutriatur cibo nõ quanto, quòd si affirmauerimus, statim concludetur, ex natura rei distinctos esse hos motus. *Dubiũ.*

Vt soluatur tota hæc difficultas. Respondeo primò, hos duos motus distingui realiter tantum ratione obiectorum, quatenus scilicet alter est ad substantiam, alter ad quantitatem. Respondeo secundò In ratione existendi, & motionis, non distingui realiter; nunquam enim inuenimus nutritionẽ absque augmentatione, quia semper substantia est coniuncta quantitati; Ergo vbi superadditur substantia, & dicitur nutritio, etiã vbi superadditur quantitas simul cùm ipsa substantia, dicetur augmentatio; Certius est tamen, nunquam esse nutritionem absq; augmentatione, vel saltem simili substantiarum transmutatione, vt diximus superius. Respondeo tertiò, problematicè dici posse ex natura rei distingui posse. Pro parte affirmatiua est argumentum, quia possit per absolutam Dei potentiã con- *Solutio.*

contingere nutritio ex cibo non quanto; Sed quia etiam hoc dubium est, ideo etiam probabilis est pars negatiua: Nec puto alterutram conuinci posse demonstratiuè, & ideo æqualiter in vtramque propendemus, & quidem negatiua potius videtur suaderi posse, quia nutritio potius videtur esse ad constituendam magnam substantiam rei alitæ, quamuis enim specificè terminatur ad substantiam, videtur tamen ordinata ad augmentationem, quia ideo fit nutritio, tum, vt debita quantitas acquiratur, tum vt deperdita restauretur, vt virtutes naturales, quæ requirunt extensionē subiecti, secū dum naturalē dispositionem, perueniant tādem ad debitam extensionem, & dum possunt, in ea conseruentur, vt exerceant operationes vitales, & sic videtur nutritiua instituta ad augmentatiuam: Quo supposito fundamento negabimus etiam, nutritionem fieri posse absque quantitate: Non enim restaurabitur deperdita quantitas, vel conueniens; nec virtus nutritiua circa talem substantiam agit, vt potè ineptam ad suam intentionē, & etiam ad vnitionem, cùm deberet secundum quantitatiuam extensionem coniugi.

De dimensione augmētatiua. Quæres 5. Cur magis augmentatiua secundum longitudinem, quàm secuudum alias demensiones augeat rem viuentem?

Respondeo Tantùm esse quandam causam materialem; Etenim augmentatiua abstrahit ex sui natura, vt magis longitudinē quàm latitudinem, & profunditatem augeat. Causa ergo erit aliqua dispositio subiecti, & potiùs referenda erit in nutritionem; quia enim materia ad cibum, vel ad viuens faciendum instituta, consistens esse debet, ideòq; innatam frigiditatem, & siccitatem obtinet ad sui consistentiam; cui dum superuenit calor influxus, ex sui natura calor quærit potius superiora, & ideo cùm vndiq; à frigiditate, & siccitate, quasi in carcere detineatur, maiorem vim habet, vt sursum ferratur, & ideo superat, secundum longitudinem, & tendentiam sursum, impedimentum, quod vndiq; patitur à frigiditate, & siccitate, qnare cùm ad latera non tantum præualeat calor, relinquitur viuens efformatū secundum latera magis constrictū, & idem seruatur etiam in nutritione, & augmentatione, & experimento cognoscimus subtiliora, & longiora minus caloris habere; plantę enim longiores sunt, & magis strictæ, respecta altitudine, & sic frigidiores sunt, quam animalia, quæ in vniuersū, respectu longitudinis, sunt crassiora, & inter plantas, vt plurimū, lōgiores infructuosæ sunt; breuiores abundāt fructib. ob calorem magis obtemporaneū humorum; & si quæ longiores fructus ferunt, eos habent terrestres, vt patet in pino, & similibus; Et inter fructus, longiores, & strictiores, frigidiores sunt, quàm alij, & maximè hoc videri potest in vuis, quæ rotundos habent acinos, & inter grana triticū calidius est, quàm alia, quòd præ cæteris, respectu lōgitudinis, crassius est, & inter animalia

malia viperæ, quæ nimium longæ sunt respectu crassitudinis maximo frigore abundant, & patet ex veneno, & eadem inductio in omnibus fieri potest. Et hæc de augmentatiua.

DE FACVLTATIBVS Principibus.

Vtrum sit necesse, quòd operante vna facultate Principe, altera quoq; operetur. Quæst. VII.

Intentio & causa institutionis. QVoniam D.Tho. lib. de M. & V.lect.25.putauit,intellectio nis actum exerceri non posse, nisi intellectui occurrat phantasma, quatenus videlicet species intelligibiles iā receptas,in phātasmatibus cōtemplatur, eo modo,quo de habitibus intell.alibi discusū est; quoniam inquam, vt hoc inferret, existimauit,quòd læso organo imaginationis, necessariò quoq; lędatur actio intellectionis,exemplum adducēs de phreniticis, quod etiā Scot.asseruit, volēs intellectū post specierum receptionem, nō egere quidē phantasmatis,necessariò tamen dū intellectus intelligit,phātasiā quoq; imaginari *propter viciniam, & facultatum coniunctionem*,ita vt operante vna, altera quoq; operetur; Propterea instituo quæstionē de actionibus facultatum principū,sub hoc tituli sensu, *Titulus quæst.* *vtrum sit necessariū, quòd operante vna facultate, necessariò per cōcomitantiam altera operari debeat*,ita vt dum intellectus intelligit,phātasia imaginetur, & memoria memoretur necessariò: & quoniā, vt medullitus dirimatur quęstio,oportet per campum philosophicum exspaciari, ideo hæc quæstio erit partim medica, & partim physica.

Opinio D. Tho. & Scot. Ex titulo igitur quæstionis apparet,D.Tho.& Scot.sensisse, vtrisq; intellectum in actum prodire non posse,ni quoq; phantasia operetur, ita quòd vna operante,necesse sit, aliam quoq; operari; vel propter facultatum rectricum propinquitatem, & coniunctionem, vt ait Scotus, vel propter reflexionem specierum intelligibilium ad phātasma, vt D. Thom.

1. arg. Scoti. Probat Scotus hāc conclusionē dupliciter;primo sic:sicut se habet sensus externus ad sensum commu nem,ita phantasia ad intellectum: sed operante sensu externo de necessitate per concomitantiam, operatur sensus communis, ergo operante phantasia,necessario debet operari intellectus.

Impugnatur Zabarella. Neq; valet respōsio Zabarellę, quòd ratio Scot.nō valeat,eo quia sensus cōmunis sit tanquā centrū cęterorum sensuum: Nam intellectus, & ipse est centrum omnium aliarum facultatū:omnes enim re*Facultates omnes se habent ad intellectū tanquam linea ad centrū.*ctrices ordinantur ad intellectum tanquam lineæ ad centrum.

2. Arg. Secundum arg. Scoti est tale.In potentijs subordinatis res ita se habet,quòd operāte inferiori, debeat etiam operari superior: sed phantasia est facultas inferior, intellectus est potentia superior,ergo operante phantasia, debet etiam operari intellectus.

Q Ne-

Impug. Zaba.

Neq; valet responsio Zabarellæ dicentis, hoc non esse necesse, vt scilicet in subordinatis, quando altera facultas operatur, alia quoque operari debeat, quia operante phantasia, non operatur sensus communis, & tamen sensus communis subordinatur, vt inferior facultas ad superiorē phantasiam; Potest enim operari phantasia citra sensum communem; Sensus enim communis non abstrahit ab hic, & nunc; phantasia verò vtiq;

Dico non valere hanc responsionem, vt destruatur argumentū Scoti; Nam hęc propositio est tantum vera; operante facultate inferiori, de necessitate debet operari superior; operante enim sensu externo, necessariò operatur internus, & operante interno, necessariò operatur phantasia, & per consequens operante phantasia, de necessitate debet operari intellectus propter species intelligibiles, & memoria propter phantasmatum simulacra: Sed propositio non est conuertibilis, operante facultate superiori, de necessitate debet operari inferior, quia operāte phātasia, nō operatur sensus communis; quare sufficit Scoto, quòd operante phantasia, intellectus de necessitate operari debeat, In quo autem consistat æquiuocatio, inferius dicam.

Operāte facult. inferiori, de necessitate debet operari super.

D. Thomas, vt hanc eandē conclusionē comprobet, argumentum desumit ab exemplo phreniticorū, in quibus, & imaginatrix, & ratiocinatrix simul vicissim deprauantur, quod verissimū est, Ergo sequitur non intelligere absq; phantasia:

In phreniticis vtraque actio facultatis restricæ depr nauatur simul.

Et in hoc reuera consistit omnis altercatio, & altercationis copositio, Nā si actio intellectus lædatur ad facultatis imaginatricis læsionē, vt necessariò constat de phreniticis, Ergo in statu naturali intellectus exercebit suū actū, dummodo phātasia rectè operetur; Quam obrem, si duo hi actus, intelligendi, & imaginandi, in statu præter naturā simul corrūpātur, vnus per se, & alter per accidens; necessariò quoq; in statu naturali ambo simul fient; quare in hoc consistit omne dubiū, vtrū actiones facultatum destruantur simul ita, vt vna læsa, altera quoq; lædatur; vel seorsim lædi possint, altera lęsa, & altera nō.

Extitit opinio totius ferè familię medicę, seorsim actiones principū facultatū lędi, vna lęsa, & altera non; Inter quos Capiuacceus, & Massarias strenue comprobarunt; Massarias lib. 1. suæ pract. cap. de melanch. qui idē, qui vtitur tali ratiocinio ad formā syllogisticā redacto: Quę in suis diuersis actionibus diuersa vtuntur tēperie, & substātia, illa possunt seorsim lædi, sed facultates principes in suis diuersis operationibus imaginādi, ratiocinādi, & memorādi, vtūtur diuersa substantia, & diuersa cerebri tēperie, Ergo vnaquæq; actio potest seorsim lędi, altera illęsa. Maior propositio est clara; Nam quæ diuersa ratione substātiæ, & tēperie diuersimodē operātur, hęc dubio procul possunt seorsim corrūpi, ablāta ratione vnius, & non alterius. Probatur minor author. Galeni lib. artis medic. cap. 12. qui docet robur intellectus sequi substantiā cerebri

3. Arg. Massar

Facultates rectrices suis actionib. vtūtur diuersa substantia, ac temperatura cerebri.

sub-

subtilem, & tarditatē intellectus sequi substantiā cerebri crassā, Facilitatē imaginationis sequi substantiā cerebri molle, & laxā, & difficultatē imaginationis sequi substantiā cerebri, durā, & firmā, facilitatē memoriæ sequi substantiā cerebri durā, & stabilē, Et difficultatem memoriæ substantiā cerebri mollē, & laxā. Consimiliter instabilitatem in opinionibus, ait, sequi temperiē cerebri calidā, & stabilitatē sequi temperiem frigidam; Si ergo diuersa est ratio substantiæ, ac temperiei cerebri, qua vtuntur facultates rectrices in diuersis suis actionibus, Ergo potest corrumpi vna actio, alia incorrupta, quia potest lædi vna sola ratio substantiæ, ac temperiei particularis cerebri, altera illæsa.

2. Arg. Secundum arg. est hoc: Sicut se habet facultas naturalis ad hepar, & ventriculū, ita facultas animalis ad cerebrū: Sed in hepate, & ventriculo læditur vna facultas, altera illæsa, Ergo, & in principibus. Maior ꝓpositio valet: Nā sicut facultates cerebri loco, & subiecto realiter nō distinguūtur, ita facultates naturales in iecore, & vētriculo nō distinguuntur realiter loco, & subiecto. Minor est clara: Nā facultates naturales simul, & semel nō læduntur, sed modò alteratrix, modò attractrix, modò retentrix, modò expultrix diuersis tēporibus diuisim læduntur, quoniā, & illæ diuersa tēperie, & substātia diuersa, ad suas actiones vtūtur, Ergo, & principes seorsū lædi poterūt, imò sequitur, ꝙ sicut in facultatibus naturalibus vna operante, altera nō operatur; Dū enim attractrix v. g. attrahit, coctrix nō coquit; Ita dum intellectus intelligit, phantasia nō imaginabitur, & ideo sicut seorsim læduntur, vna læsa, & altera nō, ita seorsim naturaliter agentes, dum vna operatur, altera nō operabitur Capiuacceus lib. 1. suę pract. ca. 10. & 12. vnus est hoc idē voluisse, nō solum propter diuersā substantiā, ac tēperiē organi cerebri, sed etiam propter diuersā cōpositionem, & vnitatē; Fuit enim hic vir in ea sententia, vt cerebrū ad actiones principes, nō tantùm concurrat secundū temperiē, & substantiā, verùm etiā secundū eiusdē cerebri cōpositionē, & vnitatem, voluit enim, facultates principes sede in cereb. esse disclusas; sed quicquid de hoc sit, suo loco determinabitur, fiat ergo argumentum in forma. *Opinio Capiuacci.*

Quę habēt diuersā rationē substātię, tēperiei, cōpositionis, & vnitatis, ea seorsim lædi possūt: Sed facultates principes habent diuersā substātiā cerebri, tēperiei, & diuersā cerebri cōpositionē, & vnitatē, qa memoria vtitur 4. vētric. cerebri, imaginatio vētric. anteriorib⁹ ratiocinatio medio vētric. Ergo vna potest lædi absq; alia: Omnes igitur ferè Medici concludunt, has facultates seorsim lædi posse, dūmodò vna remissè lædatur, Nam vbi intensè læditur, impossibile est, ne altera quoq; lædatur, vt in phrenitide. Mercatus lib. 1. suæ pract. cap. 11. qui non minor fuit philos. quā Medicus, rē intimius expédēs, existimat, rationē, & phātasiā seorsim minimè vitiari posse, pariterq; rationē, & memo. sed necessar. vitiata imaginat. vitiari rationē, & vitiata ratione vitiari *argum. Capiuacci.*

Intellectus ex se caret organo, & vititur organo phantasia.

imaginat. idē credidit de memor. De ratione, & phantasiia probat sic: Quod ex se caret organo, sed in sua actione vtitur organo alterius, illud de necessitate vitiari debet ad vitium alterius: sed intellectus ex se caret organo, & in sua actione vtitur organo phantasiæ, Ergo de necessitate, læsa imaginatiua, ceu proprio ratiocinatricis instrumento, necesse est, vt per viā causæ Instrumētariæ, Intell. quoque offendatur: Et ex læsione ratiocinatricis p viā signi, imaginationē fuisse læsā, omninò asserendum est, Ergò simul vitiantur ratio, & imaginatio. Maior est demonstratiua. Minor est Arist. 2. de animal. tex. 12. dicentis, quàm partē mens habeat, difficile est imaginari; Ex quo reuera videtur hæc demōstratio; Et hinc etiā apparet, quid sibi voluerit Scotus, quando dixit, intellectū, & phantasiam per concomitantiā, coniunctionem ve simul necessario operari; Est enim coniunctio, & concomitantia intellectus ex se carentis organo, ad organum phantasiæ.

Quomodo actus intellectus fieri nō possit absq; memor.

De ratione, & memoria ita probat: Ille actus, qui sine alterius organo fieri nequit; de necessitate ad illius læsionē læditur: sed actus intellectus fieri nō potest absq; organo memoriæ, Ergo ad læsionem memor. necessariò debet lędi actio intellectus per accidens, nunquam per se. Minor probatur. Actus intellectus fit per discursum, discursus verò fit diuisione, & cōpositione: sed diuisio, & cōpositio absque memoratrice fieri nō potest, diuidimus enim, & cōponimus, quæ in memoria conseruantur, Ergo necessariū est q læsa memoria, eodem modo per accidens lædatur ratio, si remissè remisse; si intensè, intensè; Ergo actiones inuicē simul, & semel vitiātur, Ergo in statu naturali operante vna, altera quoque operari debet per concomitantiā.

PROPRIA SENTENTIA.

Errant omnes qui ratiocinatricē organo ad scribunt

QVid igitur pro veritate statuendum sit, dicam; si prius communem errorē, excipias Mercatū, patefecero. Error fuit, quia ratiocinatricē facultatē ita organo alligarunt, sicut phantasiam, & memoriam, quod est falsissimū, & contra Arist. 3. de anim. tex. 4. qui loquens de Intellectu possibili, qui nihil est actu antequam intelligat, scripsit, rationabile non esse mixtū esse cùm corpore, *qualis enim quidem vtiq; fieret calidus, & frigidus, & ei aliquod instrumentum esset, sicut sensitiuo, nunc autem nullum est*: Errant ergo, qui dicunt ratiocinatricem sibi appropriare portionem substantiæ, ac temperiei cerebri, vt Massarias. Peccant etiam illi qui prætertemperiem, & propriam cerebri substantiā, tribunt organū cerebri cōformatū, & vnitū, vt tertiā cauitatē ipsi intellectui, sicut Capiuacc. Intellectus enim est facultas, quæ ex se caret organo, eget q; sola conuersione ad phantasma, & phantasiam; & in hoc reuera Mercatus tetigit veritatē, cui etiam assentitur Zabarella, quia quartā cauitatem memoriæ tribuit, & mediam phantasiæ; Intellectui verò nullum organum vel cauum, vel solidum præscribit.

Solus Mercatus rectè opinat.

Sup-

Supposito ergo hoc fundamento, & catholico, & Aristotelico, intellectum non esse organicum, quia esset sensitiuus: Iam pro solutione quæstionis duas trado conclusiones, alteram spectantem ad actiones facultatum in statu naturali; alteram autem ad ipsas in statu præter naturam.

Prima conclusio est: vnam facultatē necessario operari per cōcomitantiam altera operante; & in potentijs subordinatis, superiorē potentiā necessariò debere operari, inferiore operante, stat dupliciter; primò modò in eodē tempore, & sic falsum est, quòd facultates rectrices simul, & semel operentur in eodem tempore: Alio modo sub diuerso tempore, & sic verum est, quod operante inferiore per concomitantiam altera necessariò operari debet; prima pars conclusionis probatur primò sic.

Sub diuerso tēpore facultates rectrices necessariò operantur.

Si eodem tempore simul facultates operarentur, sequeretur, ꝙ eodem tempore memoraremur, imaginaremur, & intelligeremus, est falsum cōsequens, ergo etiā antecedēs. Assumptū est clarū datur enim aliqua tēporis prioritas inter vnā, & alterā actionē principē.

Secūdò sic probatur. Intellectus nō potest intelligere, nisi prius tēpore fuerit illustratum phantasma ab intellectu agente, ergo eo toto tēpore, quo phantasma est tenebricosum, intellectus nō intelliget, ergo dū imaginamur, non intelligimus, cōsimiliter de memoria, ante quā intellectus intelligat, necessario phantasma prius tēpore debet sui simulachrū sensibile, & singulare in memoria figere, quia si post phantasmatis illustrationē imprimeretur, species intelligibilis, & vniuersale memoriæ imprimeretur, ꝙ est falsū; ergo si prius fit memoria antequā intellectus intelligat, nū omnes actiones rectrices simul fient in eodem tēpore, sed diuersis tēporibus: Et hoc sibi voluerūt D. Thom. & Scot. dicentes, operante vna facultate, alteram quoque necessariò operari debere: non quidem eodem tempore, sed sub diuerso tempore; Hæc igitur prima conclusio est tam certa, & vera, vt nullus iure neget.

Simulachrorum phātasmatis prius in memoria imprimitur antequam fiat species intelligibilis.

Secunda conclusio est talis; Intellectum per accidens lædi ad læsionem phātasiæ, vel memoriæ, stat dupliciter; vno modò secundum actum imaginationis, vel memoriæ; Alio modò secundū *actum proprium* intellectus: Si secundum actū imaginationis, & memoriæ, sēper intellectus necessariò ad quācunq; læsionē phantasiæ, vel memoriæ læditur: sin autē secundū actum propriū intellectus, non semper ad quamcunq; læsionē imaginationis, & memoriæ læditur, & offenditur intellectus. Prima pars conclus. ita probatur. Quale phātasma cōcipitur in phātasia, tale necessariò semper debet recipi in intellectu Si bonū, bonū; si malū, malū; ergo quandocunq; phantasia concipiet malū phantasma propter quod illa dicitur læsa secundum propriam constitutionem, necessariò semper intellectus recipiet malam speciem intelligibilē illius phātasmatis, ꝓpter quā necessariò semper secundū illum actum phantasiæ lędetur.

Quale est phātasma talis etiā recipitur species in intellectu.

Et

Et de hoc actu phantasiæ concludunt argumenta Mercati; Et hanc fuisse mentem Galeni, de sympt. diff. cap. 4. clarè patet, qui offensas rectricum facultatum enarrans, loquésq; de delirio, docebat, plerumq; in vtrisque delirium simul consistere, ***tum parum probè imaginando, tum parum aptè ratiocinando***, esse tamen in altero duntaxat; Et exemplificans de ijs, in quibus sola imaginatio est læsa citra rationem, allegabat *Theophilum* Medicum, qui cùm prudenter disputaret, & præsentes exactè agnosceret, quantum ad ratiocinatricem, prauè tamen imaginabatur tibicines quosdam angulum domus occupantes, assiduè sonantes, & insolenter pulsantes; quare dicebat Galenus in hoc esse vitiatam solam imaginationem, sed non rationem: At ipse reassumens dico, & quomodo: Assistentes sciebant, Theophilum sibi tales tibicines imaginari, nisi ipse dixisset; Si ergo prauè discurrebat de tibicinibus, ergo non solùm erat læsa imaginatio, sed etiam ratiocinatio circa tibicines, quamobrem est soluendum, Theophilum non habuisse læsam ratiocinatricem secundum actum ipsum intellectus, vt inferius probabo, sed secundum actum phantasiæ tantum; prout enim prauè tibicines imaginabatur, prauè etiam secundum illum phantasticum actum, circa tibicines discurrebat. Consimiliter allegans exemplum de illo phrenetico, qui Theophilo contrarius, malè ratiocinabatur, & rectissimè imaginabatur, & memorabatur, ait, ipsum singula vasa per valuulam eiecisse, accedentes in thalamum rogantem, an sic vasa eijcere iuberent; In quo propterea, ait Galenus, erat solum læsa ratiocinatio circa vasa proiecta; non erat tamen læsa memoria, & imaginatio, quia singula vasa rectissime nominabat, in quo se manifeste declarabat, nec imaginatione, nec memoria ipsum læsum fuisse; Ego igitur reassumens dico, & qua ratione interrogabat accedentes thalamum, an vasa essent eijcienda per fenestram, nisi imaginatus esset, sic intrantes in thalamum imperasse, & voluisse? Vnde eatenus phreneticus iste male ratiocinabatur circa vasa, quæ proijciebat, quatenus imaginabatur, homines in thalamum venientes sic iubere, vt proijceret: Huic addo, quod Galenus eum vocat phreneticū, cùm tamen phreneticus in imaginatione, & ratione necessariò lædatur ex eodem Galeno: Quare Galenus, nisi tali distinctione componeretur, sibi ipsi manifeste contrariaretur; Illi enim delirantes habebant læsam rationatricem secūdum actum phantasiæ, non autem secundum actum proprium intellectus: Illud idem de memoria, & ratione, quod de phantasia, vt Galenus loc. ci. de Thucidide scripsit, qui prodidit, nonnullos, qui à magna illa Athenis peste conualuerunt, seipsos & alios ignorasse, & oblitos fuisse: Dico ipse, quatenus praue discurrebant, se non esse tales, & ignorare alios amicos, & familiares, eatenus ostendebant se habuisse memoriam læsam; quare pro

Theophilus medicus patitur in imaginatione & discursu.

Phreneticus secūdum phantasiam, & discursum afficitur.

Sola imaginatio, vel memoria seorsim non læditur, sed necessario semper intelle-

Qui cõpatitur secūdū actum ipsarū. pro prima parte conclusionis, patet, solam memoriam, & solam phantasiā per se solam seorsim minimè vitiari, sed intellectum etiā iuxta illarum actus, vt satis abunde discruimus; læsio enim in intellectu est signum læsæ imaginationis, vel memoriæ.

Sequitur modo, vt secundam partem conclusionis comprobem: Dicebamus enim, intellectum non semper lædi secundum proprium actum: & per proprium intellectus actum intelligo ipsius *habitum*, siue modò habitus sit congeries *specierū intelligibilium*, siue sit *qualitas diuersa*: Etenim nullum est inconueniens, quòd intellectus lædatur secundum actum phantasię, vel memoriæ, vt superius probaui, & quòd non lædatur secundum proprium habitum, ita vt malè discurrat circa illud phantasma prauum in affecta phantasia genitum, rectè autem discurrat circa illas species intelligibiles in intellectu ad modum habitus impressas, vt patet de Theophilo Medico, qui, vt ait Galenus, *reliqua prudentia superat & disputandi*, & *præsentes exactè noscendi valebat*, quāuis tamen secundum actum imaginationis ipsius, intellectus læderetur, vt superius probaui, sed rectè discurrebat, disputabat, & pręsentes agnoscebat, quātum ad habitum earum specierum, quem iā in intellectu contraxerat: *Non est contradictoriā lædi, & non lædi intellectum.* Non est igitur contradictoria, quòd intellectus lædatur, & non læditur; semper læditur ad actum facultatis sensitricis, semper verò non læditur, quantum ad habitus intellectuales: Ad hoc enim, vt intellectus lædatur, quātum ad proprium habitum, necesse est, vt prauus habitus ex prauis speciebus intelligibilibus sæpius reiteratis in intellectu introducatur, præcedensque habitus bonus amoueatur, vt *Quomodo tollatur habitus intellect⁹.* in *amentia*, quæ est abolitio habitus intellectualis, & in *fatuitate*, *Quid sit amentia, & fatuitas.* quę est diminutio habitus eiusdē: In his enim intellectus offenditur; non solùm, quo ad actum alienę facultatis, verùm etiam quantum ad proprium habitum, sed non semper: In *delirio* autem, quī est motus deprauatus, & errans imaginationis, semper intellectus necessariò læditur, & compatitur ad phantasiam: sic in *caro*, qui est abolitio phantasiæ; Sic etiam in *lethargo* quæ est diminutio phantasiæ; In omnibus enim hisce affectibus phantasiæ semper necessariò compatitur intellectus secundum illius actum, non autem secūdum proprium habitum, consimiliter ad memoriam. Propterea, *Reijcitur Capiuacc. Massarias, & Mercatus.* neque sententia illorum est recipienda putantium, ita seorsim lædi facultates, vt omni modo vna lædatur absq; altera, vt Capiuaccius, & Massarias; neque illorum est recipienda opinio, qui putant omni modo semper lædi intellectū ad læsionem memoriæ, & phantasiæ, vt Mercatus; sed media quædā via tenenda est, quòd semper lędatur secundum actum alienum, non semper verò secundum habitum proprium.

Neque valet argum. de proportione facultatis naturalis ad principem, quam Massarias proponit; Nam

Non tenet proportio facultatis naturalis, & principis.

Nam facultas naturalis, qualiscúque illa sit, est organo addicta secundum organi substantiam, conformationem, ac temperiem; facultas veró ratiocinatrix est sine organo proprio, & pendet ab organo alieno memoriæ, & phantasiæ.

His ita positis, super est vnus scrupulus soluendus; Aliquis enim dicere posset; Tu dixisti, rationem lædi ad quamcunq; læsionem phãtasiæ secundum ipsius actum; quænam igitur erit differentia inter delirium v. g. melancholicum, & phreniticum, si in alterutro affectu, alterutra facultas offenditur?

Differentia inter delirii melancholicum, & phreniticũ.

Respondeo, differentiam consistere in diuersa phantasmatum natura, diuerso enim modo delirandi errat phantasia, & coerrat ratiocinatio. Et hæc, tanquam de facultatibus principalioribus, vtiliora, & famosiora dicta sufficiant.

DE FACVLTATE *Metallorum germinatrice secundum Hermeticos.*

His de facultatibus iam habitis, de germinatrice facultate, & germinatione hæc adijcere sum arbitratus, cum sit, & multæ speculationis, & vtilitatis negotium chymicophysicum à nullo feré hactenus propositum, & cognitum. Quatuor igitur dicenda mihi propono. Quid sit germinatio naturalis. Quid sit germinatio Hermetica: quomodo fiat, & quotuplex ea sit.

Dicendorum ordo.

Facultatem germinatricem esse facultatem vegetatiuam, verus philosophus scit, & credit; Physicus etiam Hermeticus non negaret; vnde germinatio, actio facultatis germinatricis, est productio nouæ substantiæ à facultate vegetatrice; sicq; non differunt germinatio, & generatio: germinatrix, & vegetatrix facultas; & si aliqua sit differentia, illa tantum est formalis; facultas enim vegetatrix in subiecto germinabili germinatrix dicitur, & generatio germinatio nuncupatur; hinc sequitur, facultatem germinatricem, & germinationem ipsam præcisè vegetabilib. deberi: enimuero, cum actio depẽdeat à facultate, & facultas agere nequeat, nisi proprio ad actionem sibi cognatam vtatur instrumento, ideo germinatricis instrumentum est ipsum temperamentum calidum, & humidum: quod patet liquidò ex pluuia, & Sole, ex imbibitione enim pluuiæ, & Solis calore, terra fæcunda germinat, & quo plus terra pluuia humectatur, & à Solis calore fermentatur, eo magis fructus crescunt, & maturantur, & iccirco germinatio soboles calidi, & humidi appellari solet: potest igitur, his præhabitis, definiri germinatio hac definitione. Germinatio *est crescentia vegetabilis à propria facultate, mediante calido, & humido*. Genus definitionis est ipsa *crescentia*: reliquæ particulæ stant loco differentiæ germinationis constitutiuæ: & hæc tota definitio ex præhabitis conspicua apparet.

Quomodo facultas vegetatrix, & germinatrix differant.

Instrumentum germinatricis facultatis quale.

Definitio germinationis.

His sic se habentibus de germinatione

Metallorum germinatio proportio naturalis.

natione naturali, Hermetici modum adinuenerunt, quo ad modum naturæ, germinare faciunt metalla; ex quorũ germinibus medicamenta summæ admirationis parant: quæ artificiosa germinatio naturali similis est, sed nõ vniuoca, quia non fit ab eodem agente vniuoco, à facultate scilicet germinatrice; est enim potius metalli quædam elongatio à calore facta per modum fermentationis, sicut fermentum ex digestione crescere solet: analogia autem talis est, nã germinatio naturalis nil aliud est, quam terrę imbibitio; Solis autem calor nil aliud, quam Solis destillatio, tales humiditates sursum attrahentis; vnde Hermeticus similibus imbibitionibus, & destillationibus, metallorum germinationem moliri poterit; prout reuera est, vnum quodq; enim metallum proportionali germinatione germinat, ità vt more arboris in cucurbita vitrea cum suis ramusculis, & tralcibus crescat, quod aspectu iocundum est, ideo Philosophorum arbor dicitur.

Quantum autem ad secundum, quomodo fiat hæc germinatio, dico quatuor requiri; primo, id, quod germinat, & hoc, vel est vnũ quodq; metallum, excepto argẽto viuo, vel est ex metallis cõpositũ, quod dicitur electrum: secundo requiritur terra, in qua germinat, quę terra philosophica dicitur, vel regulus stellatus; tertio requiritur calor ignis, tanquam caussa effectiua germinationis, qui ignis duplex est, actualis, & potentialis: actualis est extrinsecus, qui ex carbonibus paratur, & dicitur actualis, quia actuat ignem potentialẽ: ignis autem potentialis est intrinsecus, & in ipsamet terra philosophica subiectatur, & ignis inuisibilis, vel ignis albus dicitur: quarto, & vltimo requiritur humidum, quo mediante fit imbibitio: ex his resultat metallorum germinatio: quæ vt à vobis percipiantur incipiamus à descriptione terræ philosophicæ.

Terra philosophica.

Recipe.
Salis communis.
Antimonij.
Salis nitri.
Tartari an.p.æq.

Reducantur in subtil. polinem, & probè misceantur.

His puluis reponatur, & diuidatur in plura scartocia parua longitudine vnius digiti: hoc facto, accipies crucibulũ, totum benè ignitum carbonibus accensis interuallatum; tuncque manu dextera accipies cooperculum, quod optimè possit claudere os ipsius crucibuli, quod oblonga aliqua rude ferrea duplicata fortiter apprehendes; manuque sinistra incipies proijcere successiuè vnum scartocium post aliud, cum hac tamen cautione, vt proiecto vno scartocio, statim crucibulum cooperiatur, donec puluis flammam conceperit, & fusus fit, fortiter manum cooperculũ comprimẽdo, ne impetus pulueris flammam concitantis, cooperculũ violenter attollat; rudisq; ferrea fit lõga, ne guttæ

pulueris fusi exilientes, manum adurant, fuso vno scartocio, alterũ imponatur, & sic procedatur donec omnia optimè fusa sint, & in fundo crucibuli liquor transparẽs, tanquam argentum viuum appareat: his factis, ab igne crucibulum statim abstrahatur, & permittatur frigefieri: refrigerato vase in ipso reperies circulum album, lucidum ponderosum, qui terra philosophica dicitur, quia in ipsa germinant metalla, vt videbis: regulus stellatus dicitur, quia si frangatur habet fibras metallicas instar stellarum: Rex subsidens nominatur quia in fundo vasis residet: dicitur etiam Mercurius coagulatus quia est tanquam argentum viuum coagulatum.

Sed obserua, quòd in hac terra philosophica est ignis ille potentialis superius dictus, qui inuisibilis dicitur, quia non apparet sub forma ignis, cum sit albus, & ideo ignis albus dicitur: & hic ignis est ex Antimonio; nam terra est ex triplici sale, nitri, salis cõmunis, & tartari; ignis vero est ex antimonio.

Obserua secũdo, quod antimonium est duplex, nam aliud est vngaricum, & boemicum, aliud vero est, quod ex Fodinis Senensibus in comitatu Florentino abstrahitur: primum est impurum; secundũ est purum: primum igni appositũ, non cõcipit flammam: secundũ tanquã lichnium accenditur; primũ per se ipsum distillari nequit; secundum vtiq;, vt suo loco dicã, quando agã de oleo, & extracto antimonij; quamobrẽ si assumpseris antimonium senense in conficienda prædicta terra Philosophica, melius erit, quã boemicum, & vngaricũ.

Hæc igitur est terra Philosophica suo igne inuisibili illustrata; & sic iam habes duo ex quatuor propositis, ignem, & terram: enimuero, quia ad germinationem requiritur humiditas, qua terra imbibitur, & impregnatur; idcirco dicendum est, quę sit hæc humiditas, & quomodo in terra philosophica imbibatur.

Hæc humiditas nil aliud est, nisi argentum viuum vulgare, quod vt terrę iam descriptę vniatur, amalgamari debet; quomodo autem amalgamari debeat, aduerte, quia in hoc consistit omnis ars.

Amalgama humidi cum terra philosophica & metallo vegetabili.

IN amalgamate tria misceri debent, terra philosophica, metallum, quod debet germinare, & argẽtum viuũ, quod est ipsum humidum; verumtamen antequam argentum viuum admisceatur, prius vnienda sunt terra, & metallum.

In hac autem vnione est seruãda proportio, nã pro diuersitate terræ, & metalli, variandę sunt Doses.

Si enim terra philosophica facta sit cum antimonio vngarico, vel boemico; & metallum vniendum, sit aurum, & ferrum hęc erit Dosis.

Recipe Auri drachmam vnam.

Terræ philosophicę drach. x.

Misce fundantur simul, & vniãtur.

Eadem proportio erit ferri.

℞ Martis, idest, ferri drach. 1.

Terræ philosoph. drac. x.

Mi-

Misce fundantur simul, & vniantur.

Verum si terra physica erit facta cum Antimonio Senensi, varianda erit Dosis tali ratione.

℞ Auri drachmam vnam.

Terræ physicæ, drach. VII.

Misce simul fundantur, & vniatur.

Quomodo autem ferrum debeat fundi, inferius dicam, cum agam de electro.

Pariter recipe Martis drac. I.

Terræ physicæ, drach. VII.

Misce simul fundantur, & vniantur.

Sin autem terra physica facta sit cum antimonio vngarico, vel boemico, & coniungenda sit cum argento, vel stanno, vel ære, vel plumbo, dosis erit hæc.

℞ Argenti, drach. I.

Terræ physicæ, drach. V.

Misce fundantur simul, & misceantur, eadem dosis erit obseruanda de stanno, ære, & plumbo.

Quòd si terra philosophica facta sit cum Antimonio Senensi, hæc erit dosis.

℞ Argenti, drach I.

Terræ physicæ, drach. III.

Misce fundantur, & misceãtur, eadem erit dosis de stanno, ære, & plumbo.

Facta conuenienti mixtione inter metallum, & terram philosophicam, quæ est prima pars amalgamationis, facienda erit mixtio humidi mercurialis, idest, argenti viui, cum terra physica; quæ est secunda pars amalgamationis, hoc pacto.

Accipies frustulum terræ physicæ, idque grossiter contundes, sed caue, ne in puluerem reducas, quia nunquam vniretur cum argento viuo; hinc terræ sic grossiter contusæ adijcies tantundem argenti viui in mortario æneo, miscendo optimè cum pistillo, donec argentum viuum optimè vnitum sit cum terra philosophica: interdum accipies aliud frustulum terræ physicæ contundendo, vt supra, postea adijciendo nouum argentum viuum, sicque progredieris, donec tota terra sit cum argento viuo amalgamata.

Hoc facto iam habes terram philosophicam, ignem potentialem, & humidum simul mixtum, ex quo superest, vt in loco decenti ponas hoc mixtũ ad germinãdum.

Accipies igitur vas vitreum, quòd quidem habeat collum longum, sed ventrem instar pilæ rotundum, in sui parte superiore recuruum, non autem in sui collo dilatatum, quia adhoc vt fiat germinatio, requiritur circulatio, & non sublimatio: in vitro autem oblongato, vt in bocia, materia sublimaretur, in pila aut vitrea circulabitur.

In hac igitur pila tumulabis terram philosophicam mixtã, vt sup.

Et quia præter humidum radicale argenti viui, est quoq; excrementitiũ; quod ex hoc cognosces, quia humidum excrementitium argenti viui non vnitur cum terra philosophica, sed mouetur, humidum vero radicale vnitur cum igne inuisibili, tanquam eius pabulum; ideo oportebit humidum illud argenti viui euaporare in pila vitrea aperta. Facta euapora-

tione humidi exerementitij, pila vitrea sigillo hermetico erit optimè claudenda: deinde ponenda erit in furno clauso caloris hipocausti: Furni autem figura debet esse talis.

Primo, furnus debet fieri ex lateribus non coctis.

Secundo, eius figura debet esse quadrata.

Tertiò, furnus in eius fundo debet esse cęcus, ne aer ingrediatur, ex ingressu. n. aeris, ignis augeretur, & vas frangeretur.

Quartò, in superiori parte furni quatuor in angulis debent esse foramina, vt calor trāspirare possit.

Quintò, in fundo vasis os furni fieri debet in initio eius cauitatis, adhoc vt carbones accensi intus accommodari possint.

Sextò, in elatiori parte furni quadrati eformādum erit orificiū latum, rotundum, & obtusum.

Septimo, in tali orificio ponendum est vas terreum non vitreatum, cuius fundus optimè orificiū ingrediatur, & cū orificio vniatur.

Octauo, in fundo vasis terrei cinis erit ponendus, ad crassitiem medij digiti policis, & in medio cineris pila vitrea hermeticè sigillata imponenda erit.

Nono, accipiendum erit aliud vas terreum non vitreatum, cuius os vniēdum erit cum ore alterius, vt nihil aeris ingredi possit.

Decimo, ignis faciendus erit ex carbonibus quercus, inter ignem tamen, & locum, in quo pila residet, debet esse distantia, ad minimum vnius manus per longum extensę.

Vndecimo, gradus ignis semper debet esse æqualis noctu, diuq; vt fundus pilæ excalfactus non superet tactū manus, sed tāgi possit.

Duodecimo, est vt carbones diū conseruētur, cinereq; aspergātur, vt calor ipsorū vniatur, tres enim vel quatuor carbones poterunt conseruare calorem per totam diem, & tot alij per totam noctē.

Hic ignis per mensem durabit, hoc enim spatio videbis metallum ramusculos, ac frutices iocundos sursum emittere, cauitatem pilæ occupantes.

Facta germinatione frangetur vas, & ramusculi ex sua terra eradicabuntur: qui ramusculi contundentur, & puluerabuntur, postea igmem exponentur, vt totū argētum viuū euaporet, deinde aquis cordialibus abluentur, tandē macinabuntur, & puluis ita seruabitur in vase vitreo.

Ex hoc puluere germinato, quo modo sal argenti, auri, & cęterorum metallorum extrahatur, suo dicemus loco.

Hic puluis purgat blādè, obstructiones contumaces domat, & viscera corroborat, ideo ī affectu hipocbundriaco, in hydropisi, & simil. affectib. maximopere prodest.

Puluis argenti germinati valet in affectib. capitis.

Puluis auri germinati in affectibus cordis.

Puluis stanni germinati in affectibus ventriculi.

Puluis ferri germinati in affectibus mesaraicarum.

Puluis æris germinati in affectibus iecoris.

Puluis Plumbi germinati in affectitibus lienis.

Dosis est à duob. gran. ad quatuor in syrupis, vel conseruis appropriatis.

De Electro.

HActenus egimus de germinatione vniuscuiusque metalli; dicamus modo de germinatione omnium metallorum reductorum ad vnā formam mixtam, quod electrum dicitiur, sed prius proponamus modum faciendi electrum.

℞. Auri	dra. II.
Argenti	dra. IIII.
Ferri	dra. III.
Æris	dra. IIII.
Stanni	dra. VIII.
Plumbi	dra. XVI.

Primum funditur Plumbum, & fuso funditur Stannum, postea cuprum, deinde Argentum, post Ferrum: sed aduerte quòd Ferrū debet esse limatum,& mixtum cū æquali portione sublimati, & tantillo Salis nitri; alioquin cùm alijs non funderetur: tandem aurū funditur; & hoc ex omnib. metallis mixtum, electrum, dicitur.

Huius electri recipies dra. I.
Terræ philosophicę dr. X.

Misce, fundantur omnia, vt supra, & fiat amalgama, vt supra, & in reliquis procedatur, vt supra, eodē enim modo germinabit electrum; quod in puluerem redigetur, vt supra.

Electrum hoc, cum sit mixtum ex omnib. metallis, ideo in omnib. morbis conuenit, eademq; est ipsius Dosis. Et hæc, quo ad secundum propositorum, quomodo fiat germinatio.

Quo ad tertiū, duo sunt modi, quibus proceditur in metallorum germinat. primus est meus iam propositus, & verus; secundum modus est Paracelsi de generatione rerum lib. 2. qui cum mihi suspectus sit, ideo eum non propono: ponit etiam modum, quo lapis in phiala germinari possit, quæ cum futilia sint, libenter sub silentium repono. Et hæc de vera metallorum germinatione.

DE SPIRITIBVS.

VT omni cognitione spiritus nobis innotescat breuiter est videndum. *Methodica spirituum introductio.*

Quid nominis spiritus.
Quòd est spiritus.
Quid est spiritus.
Quod est complexum spiritus.
& propter quid est spiritus.

Quid nominis Spiritus.

TRipliciter spiritus accipitur. Vno modo accipitur pro aeris inspiratione. *Spiritus triplex.*

Secundo Modo pro flatu.

Tertio Modo pro substantia leuissima, & rarissima.

Spiritus hic tertio modo accipitur pro substantia leuissima, & rarissima.

Quod

Quod sit Spiritus.

Existentia spiritus intransitiua. QVòd in corpore spiritus existat, ea ratione probatur, quia cù ad aliquas corporis actiones corporeas, summa *instrumenti* requiratur *actiuitas*, vt ad motum cordis, & ad motum voluntarium; Instrumenti verò actiuitas necessariò in raritate substantiæq; bonitate fundetur: Idcirco conuincitur, debere dari in corpore animalis spiritum quẽdam, id est substantiam quandam leuissimam, actiuissimam, & tenuissimã: Spiritus ergo quo ad existentiam, eam habet intransitiuam in corpore.

Quid est Spiritus.

Spiritus essentia. QVantum ad ipsius spiritus essentiam definitiuam, ea ex cognitione nominali, & suppositiua superius declarata, necessariò colligitur; Definitur enim Spiritus, *quòd sit substantia tenuis, & vaporosa ex sanguine, & semine genita actionis gratia.*

Genus spiritus. Genus definitionis est, cum dicitur, *substantia tenuis, & vaporosa*; Hæc enim fundat genericam naturam de multis prædicabilem.

Differentia quidditatiua. Differentia constitutiua spiritus est, cum dicitur, *ex sanguine, & semine genita*; Nam tenuior pars sanguinis, & seminis, quæ euaporat, & exhalat, spiritus est, ideo Galenus 6. de vsu part. spiritum definiuit *per sanguinis exhalationem*.

Finis spiritus. Causa finalis spiritus etiam declaratur, cũ dicitur, *actionis gratia*; Sed hoc actionis gratia non accipitur tanquam causa; quia vt dictum est, facultas est causa ipsius actionis; Sed accipitur pro instrumento in genere causæ efficientis, quatenus spiritus est actiuum instrumentum, & vehiculum facultatis.

Quod est complexum spiritus.

HOc quærit numerum spirituum, an scilicet spiritus sit vnus: an duplex, an triplex; sed ante ipsum numerum penes indiuiduam differentiam, quærit numerum penes specificam differentiam.

Numerus spirituum penes differentiam specificam, est duplex; Alius enim dicitur spiritus innatus, & alius influens. *Spiritus species.*

Spiritus innatus est, qui à primordio, ex semine, & sanguine menstruo, partibus ipsis innascitur, qui non differt à calido innato; vnde idem est dicere calidum innatum, & spiritum innatum. *Spiritus innatus*

Spiritus influens est qui continuo creatur ex sanguinis puriori portione euaporata; nam implantatus citò resolutus fuisset, nisi ab influente fuisset resarcitus, & conseruatus: vnde spiritus influens dicitur actus spiritus innati, quatenus ab influenti suscitatur, & actuatur innatus. *Influus.*

Hic est ergo numerus quoad differentiam specificam genericam subalternam. *Spiritus numerus specificus.*

Numerus, quo ad differentiam specificam, quæritur à Doctoribus, quot sint spiritus an vnus, an duo, an tres.

Multi ex philosophis putant spiritum

ritum esse vnum tantum, nimirum *vitalem* qui in corde dicatur vitalis; In iecore *naturalis*; In cerebro *animalis*. Sed hæc opinio est reijcienda, & ratio est, quia spiritus in cerebro substantialiter mutatur; Ergo ad terminum realiter distinctum à termino vitali, Ergo spiritus animalis est specie, & substantia distinctus à vitali; idem dico de naturali, de quo inferius. Antecedens est verum, quia vitalis spiritus per vlteriorem generationem in plexibus cerebri, in animalem mutatur, vt propterea desinat esse vitalis, & sic spiritus animalis, qui est specie distinctus.

Philosophorum Opinio.

Refutatur.

1. Medicorum Opinio. Ex medicis maior pars duos asserit, vitalem, & animalem, specie distinctos; quorum vitalis in corde generatur ex tenuiori substantia sanguinis elaborati, & ex aere inspirato: Animalis verò in cerebro tum ex vitali substantialiter transmutato, tum ex aere.

Alia sententia. Sed multi sunt, qui præter animalem, & vitalem, concedunt etiā ipsum *naturalem*; & ratio est, quia etsi facultas naturalis fit partibus insita, & non influat, sicut facultas vitalis, & animalis; Tum, etsi facultas naturalis non egeat spiritu ad influendum, tanquam vehiculo, eget tamen, quoad conseruandum, propterea ratione conseruationis nō est negandus spiritus naturalis, quæ opinio cum sit probabilis, ideo rationabiliter defendi potest.

Sed facta hypothesi, dari spiritū naturalem, adhuc dubitatur, vbi generetur: Fueruut aliqui, qui putarunt, spiritum naturalem generari in dextro ventriculo cordis, & in sinistro generari vitalem, sed talis opinio est suspecta, quia in dextro ventriculo disponitur quidem substantia vaporosa sanguinis pro spiritus productione: ipse tamen spiritus generatur formaliter in sinistro ventriculo cordis, ideòque naturalis spiritus, si detur, in iecore, & venis generabitur.

Vbi generentur spiritus naturalis.

Existentibus igitur tribus spiritibus, eorum ordo generationis talis est, vt ex spiritu naturali generetur vitalis, & ex vitali animalis. Ita vt ratione materiæ non differant, sed benè ratione formæ, quę à diuersis agentibus, mediantibus diuersis instrumentis specie distinctis, diuersæ generantur.

Propter quid spiritus.

Finis spiritus. Spiritus dictus est in *gratiam actionis*, quæ actio, vel est influens, vel insita: Ad actionem influentem requiritur spiritus vitalis, & animalis; ille, qui defert facultatem vitalem; hic, qui defert imperium facultatis animalis: Ad actionem insitam, quæ dicitur conseruatio facultatis naturalis, concurrit spiritus naturalis.

Conseruatiuum spirituum.

Specificum spirituū. ET vt sciatis spirituum inopiā resarcire, vbi deficiunt, scitote, spiritus per similia vaporosa conseruari; Specificum verò vaporosum spirituosū est liquor noster gemmatus iuxta duplicē eius descriptionem in antidotario nostro Hermeticodogmatico.

DE SPIRITV INNATO, seu Balsamo radicali, impostura Hermetica.

DE Spiritibus plura dicenda essent, tamen dicam solum breuiter, quid Hermetici senserint de spiritu innato, cùm existimauerint, hunc esse balsamum radicalem, qui vt cognoscatur definiendus est: Sed prius noto, me interim, digressionis gratia, agere de balsamo, tum interiori, tum exteriori medicamentoso, vt simul natura vtriusq; patefiat.

Duæ igitur sunt balsami definitiones, vt colligere licet ex Hermetico lib. 5. & lib. 2. chirurgiæ minoris cap. 7. Prima est talis, *Balsamus est Mumia fructuum corporis exterioris elementaris, in eius matrice radicali congenita, quatenus ex vno corpore transfertur, & in aliud transmutatur.* 1. Balsami definit.

Verùm cum Hermetici sæpius cunfundant hæc duo nomina inuicem. *Balsamum. & Mumiam*, his vnum, & idē intelligentes, idcirco definire Balsamum per Mumiā, videtur, peti principium idē numero, & specie, cùm idē repetatur, & ignotum per ignotius declaretur, propterea afferenda est secunda definitio, quæ præter id, quòd rei naturā præcisè declarat consequenter etiam prioris definitionis terminos, alioquin reconditos manifestat. Et est hæc: *Balsamus est liquor mercurialis mixto elementari, quo conseruatur, insitus, ab eo separatus.* Vt hæc definitio declaretur, videre oportet, quod nam sit genus, & quæ differentia. 2. Definitio.

Genus est cū dicitur, *est liquor mercurialis mixto elemētari, quo conseruatur, insitus*; Nam, vt inferius clarè apparebit, *liquor mercurialis* fundat identitatem genericam in vnoquoq; mixto specificatam, ab vnoquoq; tamen mixto inæqualiter participatam. Differentia constitutiua in esse balsami, est, cùm subiungitur *ab eo separatus*. Pro generis declaratione sciendum est, *liquorem hunc mercurialem*, in cuius actuali separatione à proprio corpore, balsamica natura consistit, nil aliud esse, nisi aggregatum humidi radicalis, & caloris innati elementaris, quo vnumquodq; mixtum consistit, & hoc tum ex rei natura, tū ex Hermeticorum terminis exhaurio; Ex rei quidem natura; Siquidem liquor Mercurialis est in suo esse homogeneo heterogeneus: duplicem enim continet substantiam, calidam, & humidam; & frigidam, & humidam: Pro ea enim parte, qua est aqueæ substantia, frigidus, & humidus est, & pro hac fundat humidum radicale: Pro ea autem parte, qua est aereæ substantiæ, est calidus, & humidus, & pro hac fundat calorem elementarem cōseruatiuum, qui est aereus, non destructiuum, qui est igneus; Et quoniam id, quod est in subiecto, & subiectum, subiectiuè non distinguuntur, sed tantum ratione; ideo calor hic innatus aereus, & humidum radicale aqueum, quæ constituunt hoc aggregatū, liquor Mercurialis appellatum, non distin-

Genus Balsami. Differ. Quid liquor mercur. humidū radica. calidum innatū.

ftinguuntur subiecto, sed tantum ratione; propterea liquor Mercurialis à me fuit dictus homogeneus, ratione subiectiua, & heterogeneus, ratione formali; liquorem verò Mercurialem esse aereum, & aqueum, ex eo patet in tribus principijs hermeticis, cum sulphur sit igneum, sal terreus: vnde Mercurius debet participare vtramque substantiam, aeream, & aqueam; quia si vnam tantùm participaret, tria, & non quatuor essent elementa: Patet igitur, liquorem Mercurialem esse simul aereũ, & aqueũ, & esse aggregatum calidi, & humidi vnicuique mixto insiti: sed hoc patet etiam ex eorum terminis, cum Hermeticus afferat, lib. 5. *Balsamum in corpore delitescens esse illud, ex quo ipsum corpus mixtũ viuit.* Sed vita consistit in actiuitate calidi in humido, ergo pro balsamo elementari, & liquore Mercuriali, nil aliud intelligit, nisi aggregatum substantiale calidi, & humidi radicalis: Qui liquor Mercurialis, & aggregatum calidi, & humidi, terminis, tametsi reconditis, in prima definitione fuit expressum, dũ dicebatur; *esse Mumiam fructuum corporis exterioris elementaris, in eius radicali matrice congenitam*; Nam per *fructus* corporis exterioris elementaris, intelligit vtramq; substantiam, calidam, & humidã, ex quarum mixtione resultat hoc aggregatum, quod Mumia dicitur, vel balsamum; *In eius matrice radicali congenitam esse*, dicitur; vt connaturalis radix calidi innati, & humidi implantati, cõnotetur; Hactenus ergo patet genus huius definitionis, qui est liquor Mercurialis: Et si aliquis diceret: si hic liquor Mercurialis est forma ipsa balsamica, cur posuisti eam pro genere, & non pro differentia? Respondeo, quòd cùm hic definiatur Balsamus prout est medicamentum restaurãs balsamum deperditum in corpore; ideo non fuit definitus, vt inexistens proprio corpori elementari, sed prout ex suo corpore elementari, mediante separatione, transfertur in alienum corpus restaurandum, ideo illemet Balsamus, vt proprio corpori inexistens, quatenus in eo *delitescens*, dicit potẽtiam, vt possit fieri medicamentum præseruatiuum, respectu balsami in parte deperditi, eatenus fundat conceptum generis: At quatenus mediãte *actuali separatione* fit actuale medicamentum restauratiuum respectu balsami deperditi in parte, eatenus fundat conceptum differentiæ constituentis balsamum in esse balsami; Ad quod respicientes in prima definitione, diximus, *quatenus ex vno corpore transfertur, & in aliud transmutatur*. Hæc ergo est natura Balsami.

Duplex Mercurij natura.

Balsamus elementaris.

Fructus corporis exterioris elementaris.

Forma balsami ca.

Sequuntur cõditiones balsami, quæ ex ipsius declarata natura proficiscuntur; quarũ cõditionum aliquæ sunt, tanquã aliquid de aliquo; Aliç, tãquã aliquid ab aliquo; quæ negantur, sunt, vt nulla virtus *diaphoretica*, nulla facultas *caustica*, nulla *attractiua*; & nulla ab *elementis orta cõplexio*, ipsi balsamo insit: Quę affirmantur, sunt, vt balsami natura *dulcis, temperata, &*

Conditiones balsami.

Negantes.

Affirmantes.

S con-

consolidatiua fit, *serpentinam*, & *consolidam aquè producēs*. Quoad conditiones negatiuas, cum natura balsami consistat in aggregato calidi, & humidi, ideo patet nullā vim continere *diaphoreticam*, id est, expulsiuam; nullam causticam, idest, corrosiuam; nullam *attractiuam*, quia attractio est excellentis caloris; nullamq; *ab elementis ortam complexionem*, idest, excedentem, quia hoc aggregatum ex calido, & humido est temperatum, non quidem ad pondus, ideo temperata quadam actione *dulci*, & benigna, instar lactis, & zucchari, suam actionem edit: Præterea agglutinat, & consolidat, quia proprium calidi, & humidi radicalis est vnire, agglutinare, & consolidare, ideoq; *serpentina & consolidæ* balsamus assimilatur, quia conditio propria in secundo modo per se balsami naturam consequēs, est ipsa vis consolidatiua; Hæ igitur sunt conditiones balsami indicati, tanquam restaurans à defectu balsami membralis deperditi in parte: In cuius restauratione partis conseruatio consistit.

Temperies balsamica.

Quomodo autem extrahendus sit balsamus; Respōdeo *separatione*, idest, *reductione ex sua natura in naturam mediam inter primā, & vltimam materiam*, vt colligitur ex Hermetico, lib. 5. Chirurgię magnæ. At verò difficillimum est indagare, quid ipse intelligat pro hac *natura media inter primam, & vltimam materiam resinæ*, seu *myrobolano* similem; quæ media natura intelligi non poterit, nisi prius cognoscatur, quid sit *materia prima, & vltima*, ex cuius participatione illa media consurgit. Pro prima materia intelligenda est *aqua*: pro vltima materia est, *oleum*; Aqua enim infra, oleum verò supernatat; At balsamus, neque supernatat, vt oleum, & infra aquā residet; quocirca balsamus quoquo pacto dicitur medius inter oleum, & aquam, veluti inter primam, & vltimam materiam.

Modus separationis balsami.

Quid prima materia.

Quid vltima.

Denique quotuplex sit hic balsamus pro restauratione balsami radicalis in parte deperditi, dico ex tribus genericè, & specificè sumptis exhauriri, ex mineralibus, ex animalibus, & ex vegetabilibus.

Quotuplex balsamus.

Quo ad mineralia, plura ex pluribus efformantur, tamen vnum hic solummodo ponam, quod est Mercurius, qui ex ipso auro, & argento elicitur; Cum enim superius dictum fuerit, naturam balsamicam in liquore Mercuriali consistere, idcirco Mercurius substantificus ex auro, & argento extractus principatum obtinet: modus autem eliciendi hunc Mercurium, verus, facilis, & clarus, est iste.

Mercurius argenti, & auri balsamicus.

℞ Salis nitri mundati.
Aluminis rocchæ an. lib. 1.
Salis armeni grossi. lib. 2.

Contusa hæc omnia grosso modò mittantur in retortam optimè lutatam cum suo recipiente, & extrahatur aqua S. A. serueturq; in vsum sequentem.

Rec. Argentum purum cuppellatum ad drach. 1.

Ponatur in bocia, & affundatur prædictæ aquæ q. s. ad argenti ipsius

sius calcinationem; cum calcinatum fuerit, lauetur aqua communi calida toties, vt fiat clarum, & dulce: Deinde hæc argenti calx in Sole siccetur, siccata ponatur in boccia parua vitrea, & affundatur olei cōmunis oliuarum tantum, vt duos digitos supernatet: Sic enim in fornace cinerum boccia colloce tur, & sub illa accendatur lucerna cum lychnio quadruplicis fili, bulliatque suauiter dictum oleum per tres dies continuos; sic argentum illud in Mercurium viuum perfectum conuertetur.

Eodem planè modo potes ex auro facere Mercurium.

Plures diuersorum balsamorū præparationes hic subticemus, ablegantes lectorem beneuolum ad secundum nostræ Chirurgiæ librū, in quo de curatione vlcerum agimus: Ibi enim facilem reperiet modum, quo, oleum auri balsamicum; calx auri; balsamus ferri; balsamus cupri; spiritus plumbi balsamicus; Quinta essentia plumbi balsamica; oleum saccharatum antimonij balsamicum; Crocus Mercurij balsamicus; oleum arsenici balsamicum, seu fixatio arsenici; Pulvis antimonij, vel oleum antimonij balsamicum; Color salis puniceus, siue oleum salis balsamicum; Balsamus Mumiæ; balsamus cataamacæ; balsamus sulphuris, & arcanum vegetabile, præparetur.

Et hic de spiritibus agere subsistimus.

DE ACTIONIBVS.

Quid sit actio? Cap. I.

ANtequam actionem proprijs differentijs in species diuidamus, prius videndum est, quid sit actio. Et primùm noto quoad nomen, actionem & functionem idem esse.

Actio igitur, vt colligitur ex Galeno, 1. de loc. aff. cap. 1. nil aliud est, quàm *motus actiuus à facultate pendens*. Dicitur, *motus actiuus*; Nam motus est duplex, *actiuus, & passiuus*: Actiuus est, qui per se à natura intrinsecè est, veluti *itio*, est motus actiuus, quia dependet immediatè, & intrinsecè à propria musculi facultate motrice: Motus passiuus est actus procedens à causa extrinseca in subiectum loco separatum, vt nauigatio dicitur motus passiuus, quia procedit à causa extrinseca in eo, qui naui vehitur. Actio igitur dicitur motus actiuus, vt à passiuo contradistinguatur: Actio enim procedit ab insita facultate, tanquam ab interna causa efficienti agente per internam emanationem.

Quid sit actio.

Motus actiuus.

Motus passiuus.

Post actionem sequitur opus, quod opus nil aliud est, quàm id, quod iam per actionem completum est, vt caro post nutritionem; Caro enim, non actio, sed opus naturæ est, quod per mediam actionem assequitur. Et hæc de actionis definitione.

Quid opus.

De actionum speciebus. Cap. II.

Cum igitur actio sit facultatis actus, & motus, sequitur tot esse actiones, quot sunt facultatis species. Facultates sunt tres; animalis, vitalis, & naturalis; tres etiam actiones, naturalis, vitalis, & animalis.

Tres actionũ species. Actio animalis illa est, quæ ab animali facultate proficiscitur, quę duplex est: alia enim fit *instrumentis*, vt sensus, & motus, quæ actiones mediantibus neruis fiũt: Alia verò est, quæ sine instrumentis fit, & hæ sunt actiones principum facultatum, quæ sunt memoria, imaginatio, & ratiocinatio.

Vitalis. Actio vitalis est, quę à facultate vitali mediantibus arterijs prodit, vt pulsus cordis, & arteriarũ.

Naturalis. Actio naturalis est, quæ à facultate naturali ope venarum progreditur, vt coctio; quę actio naturalis à Galeno de tuend. valet. c. 2. corporalis dicitur, eo, quia corpori animalis innata sit.

Difficultas. Sed oritur difficultas; Nam Galenus, lib. 2. de mot. musc. duas tãtum actiones proponit, animalẽ, & naturalem; vitalẽ verò subticet.

Solutio. Respondeo, Galenum in definitione naturalis, nedum actionem naturalem, verùm & vitalem comprehendisse: Nam actio animalis est volita; naturalis verè est necessaria: Ex quo, cùm actio vitalis sit necessaria, ideo est naturalis, sicq; à voluntaria differt: Quocirca duæ tantum sunt species actionis, animalis, & naturalis; sunt verò tres numero,

Animalis.
Vitalis.
Naturalis.

De Actionis animalis differentijs. Cap. III.

Actionum animalium differẽtię à sensifica, motiua, & principe desumuntur.

Sensifica quinque actiones edit,
Visionem.
Auditionem.
Odoratum.
Gustum.
Et Tactum.

Visio. Visio est actio, qua colores percipiuntur.

Auditio. Auditio est actio, qua odores recipiuntur.

Odoratio. Odoratus est actio, qua odores recipiuntur.

Gustatio. Gustus est actio qua sapores discernuntur.

Tactio. Tactus est actio, qua primæ, & secundæ qualitates percipiuntur.

Actio motiua. Actio motiua est illa, quæ motu locali fit, ideo actio practica nominatur, *actuosa* etiam & factrix, & est triplex; Voluntaria.
Naturalis.
Et mixta ex naturali, & voluntaria.

Voluntaria. Actio motiua volũtaria est illa, quę libera est secundum vtramq; libertatem, contradictionis ad actum, & contradictionis in actu; & hæc musculorum ministerio celebratur.

Naturalis. Actio motiua naturalis illa est, quæ necessaria est in exercitio actus, vt alimenti coctio, retentio, & expulsio: Supposito enim alimẽto iam in vẽtriculum attracto, necessario,

cessariò, cæteris paribus, sequitur retentio, coctio, & expulsio; Et hęc impropriè ad motiuam redigitur; est enim motiua naturalis, sed non animalis. *Mixta.* Actio motiua mixta ex naturali, & voluntaria, illa est, quę partim est necessaria, & partim est libera, vt respiratio est partim naturalis necessaria, quia fit concurrente corde, & pulmonibus; est partim libera, & volũtaria, quia fit à musculis Thoracis, consimiliter,

Egestio.

Mictio.

Penis erectio,

Partim naturales, partim volũtariæ sunt actiones, quia prętet facultatem, quæ per musculos concurrit, facultas etiam naturalis se exerit. *Princeps.* Actio animalis princeps triplex est: *Imaginatio.* Imaginatio, quæ rerum simulachra efformat. *Ratiocinatio.* Ratiocinatio, qua species receptæ, & impressæ iudicantur. *Memoratio.* Memoratio qua rerum intellectarum idola conseruantur. De quibus in libris de anima latius.

De Vitalis actionis differentijs Caput IV.

Actionis vitalis differentiæ duplices sunt; Alius enim est cordis, arteriarumq; pulsus; alius verò est motus cordis. De pulsu cordis, & arteriarum in tract. de pulsibus abundè dicemus.

Motus cordis sunt numero viginti.

1. Lætitia.
2. Tristitia.
3. Excandescentia.
4. Furor.
5. Spes.
6. Desperatio.
7. Confidentia.
8. Metus.
9. Verecundia.
10. Pudor.
11. Amor.
12. Odium.
13. Cunctatio.
14. Præcipitatio.
15. Misericordia.
16. Inuidentia.
17. Humanitas.
18. Morositas.
19. Ira.
20. Iracundia.

Quid Lætitia. Primò, Lætitia est cordis motus, quo cor pręsenti fruitur bono.

Tristitia. Secundò, Tristitia est, quo cor premitur.

Spes. Tertiò, Spes est motus cordis, quoad futurũ bonũ, quasi se aperit.

Desperatio. Quartò, Desperatio est, quo cor à futuro bono desperãs, se apertit.

Confidentia. Quintò, Confidentia est, quo de futuro bono aliquid audet.

Metus. Sextò, Metus est, quo cor, veluti futurum malum fugiens, constringitur.

Amor. Septimò, Amor est, quo cor aliquod bonum, vel apparens bonum, appetens, quasi ad id attrahẽdum, se aperit.

Odium. Octauò Odium est, quo cor aliquod tanquam malum abhorret.

Misericordia. Nonò, misericordia est, quo cor ex iniusta alicuius miseria, quasi laborat.

Inuidentia. Decimò, Inuidentia est motus cordis, quo cor ob alterius res felices, contristatur.

Ira. Vndecimò, Ira est motus cordis quo cor vindictam appetit.

Duo-

Iracundia. Duodecimo, Iracundia est motus cordis, quo cor parua, vel nulla causa irascitur.

Excandescentia. Decimotertio, Excandescentia est cordis motus, quo cor sine causa sibi ipsi quasi irascitur.

Furor. Decimoquarto, Furor est motus cordis, quo cor sine ratione excandescens in furorem concitatur.

Verecundia. Decimoquinto, Verecundia est motus cordis, quo cor turpitudinem fugit.

Pudor. Decimosexto, Pudor est motus cordis, quo cor, ob turpitudinem à se perpetratam, sibi postmodum irascitur.

Cunctatio. Decimoseptimo, Cunctatio est motus cordis, quo cor magna cum deliberatione aliquid aggreditur.

Præcipitatio. Decimoctauo, Præcipitatio est motus cordis, quo cor temerè citra deliberationem aliquid aggreditur.

Humanitas. Decimonono, Humanitas est motus cordis, quo cor erga alios lene se exhibet.

Morositas. Vigesimo, Morositas est motus cordis, quo cor difficile se cæteris exhibet. Et hæc de actionibus vitalibus dicta sufficiant.

DE NATVRALIS actionis differentijs.

Caput. V.

Differentiæ actionis naturalis sunt duodecim.

1. Generatio.
2. Immutatio.
3. Formatio.
4. Auctio.
5. Nutritio.
6. Alteratio.
7. Appetentia.
8. Attractio.
9. Retentio.
10. Concoctio.
11. Distributio.
12. Excretio.

Quid generat. Generatio est productio nouæ substantiæ, vt ossis, quatenus os.

Immutatio. Immutatio est alteratio materiæ, ex qua debet generari illa substantia, vt antequam substantia ossis generetur, semen prius debet alterari.

Formatio. Formatio est actio organica circa genitam substantiam, vt os, quod sibi determinatum numerũ, quantitatem, formam, & situm adipiscitur.

Auctio. Auctio est ampliatio solidarum partium, & carnosarum in longũ, latum, & profundum.

Nutrit. Nutritio est assimilatio alimenti cum substantia aliti; ideo differt ab auctione, quia auctio respicit quantitatem, nutritio autem substantiam partis.

Agglutinatio. Apposit. Sub Nutritione continentur agglutinatio, & appositio: Nam antequam fiat nutritio, alimentum prius debet apponi, & agglutinari. Differt autem agglutinatio ab appositione, quia alimentũ prius apponitur, postea agglutinatur, tandem assimilatur.

Appetentia. Appetentia est impletionis desideriũ, & est duplex; *animalis*, & *naturalis*: Appetentia naturalis est, quæ omnibus, & plantis, & animalibus innata est, vt inanita, rursus appetant quod sibi cognatũ est

est, vt repleantur. Appetentia animalis est, quæ ex animalis arbitrio pendet, quę patet eorũ exemplo, qui inedia sibi mortem consciuerunt.

Animalis.

Attract. Attractio appetentiam sequitur, quod enim facultas appetit, statim ab hac attrahitur.

Retētio. Retentio est alimenti æqualis comprehensio, in eo loco, in quo recipitur, & retinetur, vnde ad retentionem duo requiruntur.

Retentionis conditio. Primũ, vt locus retinens ita alimento retento vniatur, vt non relinquatur spacium vacuum inter cibum v. g. & ventriculum, in qua vnione, necessariò ventriculus cõstringitur, hinc, & os superius, & os inferius clauduntur, vt nihil ante coctionem ex pyloro decidere valeat. Secundum est, vt constrictionis tempus æquetur ipsi coctioni, qua celebrata ventriculus relaxatur, & os potissimum inferius aperitur.

Coctio. Coctio est perfecta alimẽti mutatio in alienam substantiam, & est triplex prima, secunda, tertia.

Prima. Prima Coctio fit in ventriculo, cuius partes tres sunt, pręparatio, & hęc fit in ore, vbi molitur, & atteritur cibus: Coctio, quæ formaliter consistit in mutatione cibariorum in tertiam quandam substantiam, succo ptisanæ similem, qui chylus dicitur, fit à facultate ventriculi chylificatrice mediantè proprio temperamento, & coadiuuante calido ipsius innato, cæterarumque partium circumstantium, vt iecoris, lienis, pancreatis, & futuræ omenti iuxta fundum ventriculi. Tertia pars, est perfectio, quæ fit in intestinis, in quibus chylus perficitur, & elaboratur. Quo chylo ventriculus quidem oblectatur, sed non verè nutritur; nutritur enim ex sanguine.

Secunda coctio fit in iecore, cuius partes sunt tres, prima, quę pręparatio est, in venis mesariacis celebratur: In his enim chylus, iam in ventriculo genitus, pręuia dispositione præparatur, vt in sanguinem mutetur.

Secũda coctio. Secunda pars, quæ coctio est, fit in venis intra iecur à facultate sanguificatrice mediante proprio temperamento, & coadiuuante calido innato, quo chylus in eam massam sanguineam permutatur, cuius meminimus cap. de humorib. Tertia pars, quæ perfectio est, fit in venis cauis iuxta iecoris partem gibbam.

Tertia coctio. Tertia coctio fit in singulis corporis partibus, quarum vnaquęq; sibi simile alimentum attrahit similitudine substantiæ, vt ex eo nutriatur: Prima pars huius coctionis, quę dicitur pręparatio, fit in vasorũ finibus. Secunda, quæ dicitur coctio, fit, & consistit in alimenti assimilatione. Tertia pars, quæ perfectio appellatur, est dum alimentum iam in partis substantiam perfectè mutatum est; hęc de coctione.

Post coctionem, sequitur distributio, quæ triplici iam dictæ coctioni respondet.

Distrib. chyli. Distributio Chyli post primam coctionem per hæc loca fit, quæ *anadosis* dicitur; Transmittitur à ventriculo per pylorum, id est,

os

os ventriculi inferius; ab hoc ab intestina tenui; ab his per *anastomosin*, id est, per ora venarū mesaraicarum ad eorundem intestinorum cauitatem hiantia, distribuitur; & à venis mesaraicis orie... cit transuehitetur; quæ venæ mesaraicæ dicuntur, quia iecur per eas, tanquam per per manus, Chylum attrahit.

Sanguinis per venas · Distributio sanguinis post secundam coctionem, fit à venis portæ ad venam cauam; à vena caua, per superiorem eius truncum, & per inferiorem demādatur ad omnes partes tam supra, quàm infra iecur positas.

Per partiū substantiā. Distributio sanguinis in tertia actione fit per partium substantiam.

Tandem sequitur excretio, quia vbi est coctio, ibidem & excretio.

Excret. Primæ coctit. Excretio primę coctionis stercus appellatur, quod cum in ventriculo potentia insit, in tenuibus postea intestinis per separationem à chylo alimentoso, incipit actuari; tandem in intestino colo formatur, & in recto perficitur.

Excret. 2. coct. Excretio secundæ coctionis est quadruplex: Duo enim excrementa separantur in caua parte iecoris, & sunt *bilis*, & *melancholia*: Bilis per poros felleos in vesiculā, quām græci χολοδόχην appellant, effunditur: Melancholia per venas Splenicas in lienem deponitur, vt dictum est cap. de humoribus.

Duo sunt alia excrementa, quæ separantur in gibba hepatis parte, & sunt, *liquor vrinæ*, & eius *contentum*.

Excret. 3. coct. Excretio tertiæ coctionis est duplex, altera vniuersalis, altera particularis: Excretio vniuersalis, quę scilicet omnibus partibus competit duplex est, *Sudor*, & *Diaphoresis*: *Sudor* est vapor in aquam conuersus. *Diophoresis* est insensibilis vaporum, & halituum transpiratio, græcis, Ἄδηλος διαπνοὴ, dicta.

Excretiones particulares sunt plures.

Mucus nariū, græcis κορύζα.
Pituita per palatum.
Crusta intestinorum.
Crusta linguæ.
Epidermis cutis,
Sordes aurium.
Vngues digitorum.
Pili, & capilli.

Et hæc de actionibus dicta sint: est enim necessarium cognoscere actiones: siquidem morbi natura consistit in actionis læsione; Ignorata actione, ignorabitur etiam morbus.

De actionibus non videtur Hermetici in terminis aliquid posuisse speculatione dignum; propterea nec hic ex ipsorum mente aliquid subiungam, & hæc de Physiologia.

PHYSIOLOGIAE FINIS.

AD

AD TIRONES.


PRO INTRODVCTIONE AD HYGIINAM.

HÆc Medecinæ pars de tuenda sanitate, tanquam in ordine ad methodum medendi pertractatur; Idcirco, non tantùm pro corporum præcauenda ægritudine, verùm, & pro morborum quàm plurium curatione maximopere præstabit; In quorum finem placuit appendicem aquarum, & multorum aliorum medicamentorum formulas, tum dogmaticas, tum Hermeticas, hinc inde subalternatim positorum apponere, quæ pro vt vulgaria, & quotidiana non sunt, ita Medicinæ studiosis non exiguum honorem, & non modicam ægrotantibus vtilitatem ad ferre poterunt.

HYGIINA.

PARS SECVNDA ENCYCLOPEDIAE HERMETICO MEDICÆ.

QVAE TRACTAT DE REBVS non Naturalibus.



De rebus integrantibus methodum Hygÿnam. Cap. I.



N superiori prima parte egimus de rebus intrinsecè corpus humanum viuens integrantibus; nunc de his agendū est, quæ illud conseruare posunt, quæ pars de tuenda sanitate, vel valetudine dicitur: Et quoniam eadē, quæ illud conseruare possunt, si rectè his vtamur, possunt etiam corpus humanum morborum reddere, si his abutamur, idcirco res *non naturales* dicuntur, quia sunt mediæ inter causandam conseruationem sanitatis, & præuiam dispositionē ægritudinis: methodus ergo tuendæ sanitatis ex sex rebus non naturalibus constat, sex illationes constituentibus ad sex materias, quæ *diatetica* naminantur; Dicamus primum de rebus non naturalibus, obseruando tamen imprimis, materias diæteticas rerum non naturaliū dupliciter considerari: vno modo, quatenus simpliciter,& *in recto* respiciunt conseruationem,& valetudinem tuentur: Alio modo, quatenus *in obliquo*, vt ita loquar, curationem respiciunt: Hic de his agam non vt solùm sanitatem tuendam respiciunt: sed quatenus etiam ad curationem faciunt.

Methodus tuē da sanitatis quot illationes habeat.

Materia Diatetica.

Sex res non naturales, vel dicuntur cum complexione, vel sine complexione: quæ dicuntur sine complexione sunt duę, aer, et perturbationes animi.

Res nō naturales quæ dicūtur sine cōplexione.

Quæ dicuntur cum cōplexione sunt quatuor, Cibus, & potus.
Motus, & quies.
Somnus, & vigilia.
Excretio,& retentio.

Quæ cū cōplex.

Quæ

Quę dicuntur *sine complexione*, habent tantùm habitudinem ad eas materias, quibus corrigi possunt, quando tonum naturalem excedunt, aer scilicet, qui contrarijs qualitatibus attemperandus est; Et *perturbatio animi*, quæ suis materijs auferenda est.

Quæ sine cõplexione habitud. habeant

Quæ autem dicuntur cum comprexione, duplicem habent habitudinem, & *ad se inuicem*, & ad proprias materias *diæteticas*; Ad seipsas quidem, quia cibus potu dispensatur, & potus cibo coercetur.

Quæ cũ complexione quas habeãt.

Motum in excessu quies moderat, & quietem motus.

Somnum in excessu, vigilia, & vigiliam somnus.

Excretionem in excessu, retentio, & retentionem excretio.

Sed præter respectum rei ad rẽ, vnaquæq; illarum fundat habitudinem ad proprias materias diæteticas, vt in subsequentibus capitibus ostendam.

DE AERE, ET EIVS materijs diæteticis. Cap. II.

Incipiamus ab aere, & primò quidem de illius mutationibus agamus, postea de ipsius materijs diæteticis.

Aer.

Aer dupliciter consideratur, vel secundum *primas qualitates*, vel secundum *eius motum*: primo modo absolutè dicitur *aer*: Secundo modo dicitur *ventus*; Dicamus primum de aere.

Ventus.

Tria de aere dicẽda sunt, primũ, qua ratione aer tam facilè alteretur. Secundum cur nos alteret tertiũ, quibus de causis aer alteretur.

Quo ad primũ: aer faciliter alteratur, quia cùm sit substantia tenuis, & spiritalis, mobilis, & instabilis, ideo faciliter à cælo, & elementis ad contrarias qualitates mutatur, ad calidum, frigidum, humidum, & siccum.

Aer cur faciliter alteretur.

Quod ad secundum, faciliter nos alteramur ab aere, quia cùm eum continuò inspiratione per os, per nares, per poros attrahamus, ideo qualis est aer, tales etiã sunt qualitates passibiles, quas in nobis producit, vnde alteramur ab aere ad calidũ, frigidũ, humidũ, & siccum.

Cur nos faciliter alteremur ab aere.

Quoad tertium, aer alteratur à
- Sole.
- Luna.
- Astris.
- Et locis.

A Sole.

A Sole quidem: Nam cum sol in primo vere ad naturam calidam, & humidam videatur accedere, ideo aer temperatur ad calidum, & humidum.

Aer alteratur à sole in pr. vere.

Sol acrius agens in æstate, aerẽ intemperat ad calidum, & siccum.

In æstate.

Sol inæqualiter agens in autumno aerem ad frigidam, & siccam intemperiem rapit.

In autumno.

Sol tandem in hyeme accedens, aerem frigidũ, & humidum facit.

In hyeme.

A Luna.

A Luna quoq; aer alteratur, idque quadrupliciter.

In Anni temporibus.
- Mensibus.
- Diebus.
- Noctibus.

In anni quidem temporibus aer à luna alteratur ad contrarias qualitates, singulis mensibus propter augumẽtum, & decrementũ illius, iuxta quatuor illius *dicto tomos*, id est, quadraturas, secundũ quas vario modo aer alteratur in oppositas qualitates: Nam in prima quadratura primi septenarij à nouilunio vsq; ad septimũ diem, aer fit similis veri calidus, & humidus.

In secunda quadratura secundi septenarij vsq; ad plenilunium, aer fit similis ęstati, calidus & sicc.

In tertia quadratura tertij septenarij, luna descrescente aer fit similis autũno, frigidus, & siccus.

In quarta quadratura, quarti septenarij ad similitudinem hyemis, aer fit frigidus, & humidus.

A Luna quoq; aer alteratur in noctibus.

Nam prima parte noctis, aer fit calidus, & humidus.

In secunda calidus, & siccus.

In tertia frigidus, & siccus.

In quarta frigidus, & humidus.

A Luna quoq; aer alteratur in diebus.

Nam in diluculo, aer est calidus, & humidus, & ideo tranquillus.

In meridie aer fit calidus, & sicc.

In crepusculo aer fit frigidus, & siccus.

In vespere, aer fit frigidus, & humidus: Quæ alterationes proportionabiliter sunt intelligendæ proportione inæqualitatis.

Aer alteratur à luna in anni temporib. *In prima quadratura.* *In secunda.* *In tertia* *In quarta.* *In noct.* *Parte prima* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta* *In dieb.* *In diluculo.* *In meridie.* *In crepusculo.* *In vespere.*

Ab Astris.

AB Astris tandẽ aer alteratur in contrarias qualitates, Ab Ariete.
Pegaso.
Pleiadis.
Orione.
Hyadis.
In solstitio æstiuo.
Canicula.
Arcturo.
In æquinoctio.

Capricornu, & à similibus aer diuersimodè alteratur, quæ apud Astrologos videre potestis; aer igitur, cum à tot causis alterari queat, ideo mirum non est, si corpora nostra etiam alterare possit.

A Locis.

TAndem aer à locis etiam alteratur; Nam in locis aquas stagnantes habentibus, vel putridas cloacas, vel cadauera, vel putridas exhalationes è terra assurgentes, facillimè aer inquinatur, malignus redditur, & ad pestem idoneus fit.

Aer alteratur à locis.

DE VENTIS. *Caput III.*

POstquam egimus de aere secundum primas qualitates acceptο, nunc de ipso agamus considerato *secũdum motum*, sub quo motu *ventus* dicitur. Quatuor de vento dicenda sunt, primò, quid sit; Secundò quotuplex; tertio situs; quarto temperamentum.

Quo ad primum, *Ventus est aer commotus ex vapore à frigida regione retrogressus*: *Aer* stat loco generis cum prædicetur, & de aere *quieto*, & de *commoto*: Particula,

Quid Ventus. *Genus venti.*

Differentia. *commotus* stat loco differentiæ cõstituentis ventum; per aerem enim commotum intelligo aerem strepitosum: Cæteræ particulæ sunt loco causæ efficientis ipsius venti: *Causa efficiës.* Aer enim commotus strepitat, quia vapores eleuati ad primam regionem aeris frigidam, cum non possint vlterius progredi, retrocedentes, vi quadam erumpũt, & sonitum strepentem efficiunt, vt pro copia, qualitate, & maiori, vel minori vaporum allisione, & retrocessione, varij etiam venti generentur.

Ventorũ numerus. Quo ad secundum, & tertium venti sunt duodecim, quatuor extremi, & octo Collaterales.

Extremi quales. Extremi dicuntur

Subsolanus in plaga Orientali.

Fauonius Subsolano oppositus in plaga Occidentali.

Auster in plaga Meridionali.

Boreas, seu Tramontanus austro oppositus, in plaga Septentrionali.

Collaterales. Vẽti Collaterales Subsolani, sunt duo Cęcias, & Eurus.

Collaterales Fauonij sũt duo Corus, & Lybs.

Collaterales Austri sunt duo Eurus Auster, & Auster Aphricus.

Collaterales Boreę sunt duo Circius, & Aquilonius.

Hi sunt venti, & eorum situs.

Dicamus tandem de ventorum naturis, & sciamus quomodo aer quiescens ab ejs alteretur.

Subsola. Subsolanus est omnium temperatissimus, ad quem spectare debent ædificiorum fenestræ. *ni natura.*

Cæcias. Eius lateralis Cæcias est instabilis, & ferè semper nubilus.

Eurus. Eius lateralis Eurus est valde strepitosus, densus & aquosas caligines excitat.

Fauonij. Fauonius est blandus, florifer, & fructuum pater.

Cori. Eius lateralis Corus est nubilus, & grandinem suscitat.

Lybs. Eius lateralis Lybs, Austri naturam participat.

Austri. Auster est pluuiosus, procellosus, calidus, & humidus.

Eius collaterales sunt eiusdem naturæ.

Boreas. Boreas est tranquillus, Solem adducens, nubes fugans, frigidus & siccus.

Circius. Circius eius lateralis est ferè eiusdem naturæ.

Aquilonis. Aquilo eius lateralis est violentus, & asper.

Natura ventorũ inuicem collatorum. Hi venti, quo ad salubritatem,

Orientales sunt salubriores.

Post hos, Septentrionales.

Post hos, Occidentales.

Meridionales, qui Australes dicuntur, sunt corporibus humanis infensissimi, vt passim in aphorismis Hipp. colligitur.

Et hæc de ventis breuiter dicta sufficiant, & consequenter de aere, tam secundum primas qualitates, quàm secundum motum.

De materijs diateticis Aeris. *Cap. IV.*

POstquam egimus de aere reddito insalubri, ob causas recẽsitas,

sitas, sequitur vt de eius correctione agamus, sed prius sciendum, aeris vitium esse, quod facilè corrigi potest; Aliud verò esse, quod non facilè corrigi potest.

Vitium aeris q facilè corrigitur. Quod facilè corrigi potest est id, quod ex aquis stagnantibus, fœtidis latrinis, & cadaueribus oritur; hoc enim aeris vitium corrigitur sublatis his rebus extraneis.

Quod facilè corrigi nequit. Quod facilè corrigi non potest, est quod ex terræ exhalationibus tale redditur; vel id aeris vitium, quod in locis paludosis, & montibus cinctis obseruatur, eo quia Sol raro ibi luceat.

Correctio per se, per accidẽs. Quomodo autem aer vitiosus corrigi debeat; dico eum posse dupliciter corrigi, vel per se, vel per accidẽs: per se quidem corrigitur aer proprijs diæteticis materijs; per accidens corrigitur,

Vel ex mutatione cubiculorum.
Vel ex mutatione ædium.
Vel ex mutatione Soli.

Dicamus primùm de materijs diæteticis.

Aer calidus in æstate multipliciter refrigeratur,

Substratis.
Perfusionibus.
Fontibus.
Exhalationibus.
Ventillationibus.

Substrata. Substratis quidem; Nã ex Tralliani consilio, pauimenta cubiculorum substernenda sunt folijs viridibus,

Vitium.
Salicis.
Lentisci.
Semperuiui.
Rosarum.
Ruborum summitatib.
Floribus, & folijs.
Nymphea.
Violis.

Refrigeratur etiã aer fusis per thalamum liquoribus, vt sunt aqua Communis. *Perfusiones.*

Rosacea.
Violacea.
Acetum rosatum, & similia.

Refrigerabitur etiam aer fontibus in cubiculo exstructis herbis virentibus accommodatis. *Fontes*

Refrigerabitur aer exhalationibus, vel transcolando aquam de vase in aliud vas; vel accipiendo vas aqua frigida plenũ, super quo æger anhelet attrahendo aerem illud vas circumambientem, vel facta exhalatione cum santalis. *Exhalationes.*

Refrigerabitur aer ventillationibus cum flabellis, & sicuti ego paro cum flabello, quod per se in media lecti cauitate, nocte dieque continuo mouetur: Hæ autem materiæ diæteticæ administrari possunt in æstate in febribus hecticis, & ardentibus. *Ventillationes.*

De Aere frigido.

EX opposito si aer sit frigidus, ad calidum erit alterandus his materijs,

Substratis.
Suffumigijs.
Ignibus.
Hypocaustis.

Aer calidus redditur substratis simplicibus calefacientibus, floribus Chamomeli. *Substrata.*

Maioranæ.

La-

Lauendulæ.
Spicæ nardi, & similibus.

Ignis. Redditur calidus ignibus factis ex ligno,
Laurino.
Iuniperino.
Rosmarino.
Lentiscino.
Cupressi.

Suffumigia. Redditur calidus aer ex suffumigijs factis ex caryophyllis in malo aureo defixis, conditis in vase aqua rosmarini calente pleno, vel ex suffumigijs paratis
ex Belzuino.
ex Laudano.
ex Styrace calamita.
ex Gallia moscata.
ex Granis Iuniperi, & similibus.

Hypocausta. Redditur tandem calidus ex hypocaustis quæ Polonis, & Germanis sunt potissimum in vsu propter aeris nimium rigorem. Aer igitur calidus in frigidum, & frigidus in calidum, est alterandus materijs diæteticis iam positis, quibus aeri sicco, & humido pariter erit occurrendum; Et hęc de materijs diętetìcis aeris.

De mutatione cubiculorum. Caput V.

SEd præter materias diæteticas, aer per accidens potest emendari, & primò quidem ex cubiculorum mutatione; Nam aer calidus magis euitabitur, si cubicula inferiora habitentur; frigidus verò si superiora.

Si morbus fit calidus, eligatur thalamus versus Septentrionem. Si morbus sit humidus, eligatur versus Septentrionem; si sit siccus, versus Austrum. *Correctio aeris per thalamos.*

Vt plurimum autē melius erit, vel versus subsolanum orientis, vel fauonium occidētis thalomos eligere, cùm sint partes magis temperatæ.

De mutatione ædium.

QVandoque notabiliter iuuat ædes mutare, ideo mutatio ædium hic Bononiæ talis esse debet.

Si indigeamus aere temperato, eligantur ædes iuxta Patres *Sancti Iacobi*, in via quæ dicitur strada *S. Donato*; est enim posita versus subsolanum, vel eligantur ędes iuxta viam Sancti Fęlicis positam versus Fauonium. *Correctio aeris per ædium mutationem Bononiæ.*

Si indigeamus aere calido, & humido, eligātur ędes circa viam dictam *Santo Mamolo*, positam versus Austrum.

Si indigeamus aere frigido, & sicco, eligantur ædes in via dicta *Galiera* posita versus Septentrionem.

De Mutatione Soli.

QVantum iuuet aeris mutatio, & petere diuersum Solum, in morbis potissimum, qui à catarrho prodeunt, & præsertim in ijs, in quibus timetur phthisis, Galenus. 5. meth cap. 12. asserit, qui ex Roma ad Tabias suos phthisicos mittebat, & alios etiam in Aegyptum, attestantur continuò practicantes, ideo notāda *Correctio aeris per Soli mutationē.*

da sunt quædam Italiæ loca, nobis viciniora, in quibus aer optimus est, ad quæ sæpius ęgrotantes ablegare solemus.

Sex sunt potissimum sola.
Solum Salodiense.
Solum Murani.
Solum Genuense.
Solum Pisanum.
Solum Neapolitanum.
Et Solum Gaietense.

Solum Salodiense. Solum Salodiense est omnium temperatissimum, quia est expositum versus orientem, & meridiē: & ex opposito rupibus, & montib. ita cooperitur, vt à ventis Septētrionalibus tueatur: Hoc Solum amenissimum est, & pomiferum; ibique æternum ver floret. Ad hoc potissimum mittuntur, qui catarrho laborant ex intemperie frigida capitis.

Muranum. Solum Murani prope Venetias est temperatum per accidens, non quidem per se, quia æqualiter respicit Occidentem, Orientem, Meridiem, & Septentrionem, sed est temperatum per accidēs, propter continuos ignes, qui hyeme fiunt propter vitra, quæ ibi formantur, vnde aer, qui alioquin frigidus esset, calidus est. Ad hoc potissimum mittuntur, qui laborant catarrho ex intemperie frigida, & humida: nam præter id quod hic locus est moderatè calidus, est etiam siccus, tum quia est maritimus, tum propter ignes continuos, qui nedū calefaciunt, sed etiam siccant. Hic locus est tanquam Venetorum Paradisus.

Genuense. Solum Genuense est magis expositum versus Meridiem, quàm Orientem, vtramque tamen Plagam respicit, & habet eandem intentionem, quàm Salodiense.

Pisanū. Solum Pisanum in hyeme aerē crassum habet, ideo illuc mittimus, qui tenui destillatione corripiuntur.

Neapolitanū, Gaieta. Solum Neapolitanū, & Gaietę, respiciunt pariter Meridiem, & Orientem; Et post Salodiense, primam sibi vendicant sedem. His ergo aer vitiosus corrigitur, & emendatur. Et hæc de Aere.

DE CIBO, ET POTV.

POst aerem sequitur cibus, & potus ad vitam enim traducendam, necessarium est vtrumq; magis quàm cętera post aerem; Aer enim est cibo, ac potu magis necessarius: dantur enim aliqui, qui per dies, & menses absque cibo, & potu superuixerunt, non tamen sine aere; quamobrem aer potest dici necessarius simpliciter simplex; cibus verò, & potus necessarij tantum ex suppositione.

Sed cùm generalis diuisio cibi, & potus sit, aliū esse *alimentalem*, alium autem *medicamentosum*, ideo prius dicam de cibo, & potu alimentoso.

Et cum esse alimentosum, vt sic, dependeat à cibo, idcirco prius loquamur de cibo alimentoso: tandem, cum de cibo, & potu abstractiuè, vt res sunt nonnaturales, multa dici possint, tamen decreui ad materias diætecicas potius, & cibi indiuiduas propius accedere;

quam-

quam obrem dicamus seruãtes ordinem compositiuum, de materijs diætetícis cibi, deinde potus.

De materijs diætetícis cibi.
Caput I.

De cibo acturus, duo exquirã, quotuplex sit, & modum assumptionis.

Cib' adæquatus Quotuplices sint cibi species, dico esse tres; primus est cibus per se primò talis, & adæquatus: Secundus est cibus, qui est tanquam prioris condimentum: *Condimentū.* Tertius est cibus, qui est tanquam gustus oblectamentum. *Oblectamentū.* Dicamus primum de cibo adæquato; Secundo loco de condimentis. Tertio loco de obsonijs.

Ordo cibationis Quo ad modum assumptionis, in cibo hæc considerabimus.

Substantiam cibi.
Quantitatem.
Qualitatem.
Consuetudinem.
Delectationem.
Ordinem.
Tempus.
Et Horam.

De cibo adæquato, & primum de Pane Alimentari.

Cibus adæquatus est duplex, panis, & cara: Dicamus primo de pane, qui est tanquam cardo alimenti.

De pane tria videnda sunt, quotuplex sit, qualis sit optimus; & quæ sint cõditiones optimi panis.

Differētia panis ex loco. Panis differentiæ desumuntur ex loco, in quo fit, & ex materia, ex qua fit Panis: differentiæ ex loco quatuor sunt.

Clibanites.
Ipnitis.
Brasarius.
Et Subcinericius.

Panis, *Clinanites* est ille, qui fit in clibano, qui differt à furnaceo, sicut clibanus differt à furno: differt autẽ, quia clibanus est portatilis; in quo panis, qui coquitur à clibano dicitur clibanites, & *bucellatus*, & *zucharinus* à monialibus. *Clibanites.* *Bucelat. Zucharinus.*

Panis Ipnitis, est panis *furnaceus*, qui in furno à pistoribus coquitur. *Ipnitis.*

Panis *brasarius* est ille, qui super crates, vel super cineres, vel supra pauimentum foci coquitur, & dicitur, brasarius à prunis super quibus coquitur, quæ lingua vernacula *brase* dicuntur. *Brasar.* Panis *subcinericius* est ille, qui non supra, sed sub cineribus coquitur, quæ placenta, & vulgo *crescente* dicitur. *Subcinericius.*

Harum differentiarum *clibanites* est melior, postea *furnaceus*, deinde *brasarius*, subcinericius est omnibus peior.

Differētia panis à materia. Differentiæ panis à materia; ex qua fiunt, desumuntur, vel ex diuersa materię specie, vel ex eadẽ.

Panis ex diuersa materiæ specie communiter fit, ex *siligine*, quæ à latinis *farrago*, ab Italis *segala* nominatur.

Ex Hordeo.
Ex Faba.
Ex Milio.
Ex Castaneis.
Ex Tritico.

Ex siligine. Panis ex siligine reputatus a Galeno, 1. de alim. facult. cap. de tritico, omnibus melior. Panis ex hor-

deo, vt ait Aetius tetrade prima serm. decimonono, minus nutrit, quàm triticeus, magis tamen detergendo, ventrem subducit.

Ex faba. Panis ex faba, est grauis, & duræ digestionis, & guttui insuauis.

Ex milio. Panis ex milio est valde gustui gratus, & boni nutrimenti.

Ex castaneis. Panis pinsitur etiam ex castaneis, qui gratus est, cum sit subdulcaster, ventrem laxando mouet.

Ex tritico. Panis ex tritico omnibus melior est, optimiq; nutrimenti.

Cuius differentiæ tanquam materiæ eiusdem speciei, à scriptoribus modò tres, modò quatuor enumerantur: Nam Fallopius, cap. de carbunculo, *tres* tantum *species panis* ex tritico enumerat.

Primus panis fit ex similagine, idest ex purissima farina.

Secundus, panis fit ex puris furfuribus.

Tertius, panis fit ex tota farina.

Verùm Galenus, 1. de alim. facult. cap. de tritico, quatuor species panis ex tritico enumerat.

Primus panis dicitur Similaceus.

Secundus dicitur Syncommixtus.

Tertius panis dicitur Sordidus.

Quartus panis dicitur furfuraceus.

Similaceus. Panis *Similaceus* est ille, qui fit ex purissima farina, qui farinæ flos dicitur, & idem est dicere panem Similaceũ, ac panẽ ex Similagine.

Syncommixtus. Panis *Syncommixtus* est panis mixtus ex tota farina.

Sordid⁹. Panis *Sordidus* est ille, cui plurimum furfurum inest, & minimũ farinæ, qui panis niger à vulgo dicitur.

Furfuraceus. Panis *Furfuraceus* est ille, qui ex Solis furfuribus pinsitur.

Harum differentiarum Similaceus est optimus, postea syncommixtus; deinde sordidus; tandem furfuraceus omnibus peior. Et hæc de differentijs panis.

Cum ergo panis similaceus ex tritico paratus fit omnibus melior, nunc videndæ sunt conditiones eius.

Conditiones ad optimũ panem requisita. Conditiones requisitæ ad optimum panem desumuntur ex

Tritico.

Farina.

Pasta.

Et loco vbi coquitur.

A tritico. A tritico: Nam triticum ex sui natura bonum, debet optimè cribrari, & à lolio separari tandem aqua abluì, postea ad Solem exsiccari.

A farina. A farina: Nam triticum in farinam meliorem redigitur in pistrino, quàm alio in loco.

A pasta. A pasta, Nam pasta debet optimè fermẽtari, ad hoc vt panis fiat leuis, & facilis coctionis, debet etiam sale pinsari, & malaxari, ex Gal. dicente *saluberrimum esse eum panem, qui plurimum fermenti, & salis habet.*

A loco. A loco, in quo coquitur, qui debet esse *clibanus*. & qui debet esse moderatè calidus. Concurrentibus ergo his conditionibus, panis erit optimus.

Et hæc de pane alimentali pro conseruandis sanis.

De

De Pane Medicinali. Caput. II.

POst alimentalem sequitur Medicinalis, quo in ægris curandis sæpius medici vtuntur, eo autem, vt plurimum vtuntur in morbis chronicis, in quibus aluus stipatur, & in quibus contumaces sunt obstructiones, ex quo duæ species panis fiunt, alius est panis detersorius, alius verò est panis solutiuus.

Panis detersorius est duplex.

Primus fit ex farina, tota syncommixtus dictus:

Panis ex tota farina. Panis ex tota farina, fit ex farina, & furfuribus adiecto *sale*, & *anisis*: Aliqui adijciunt *passulas*, sed male faciunt, cum passulæ in furno adurantur; Et ex his fit panis ad formam placentæ: Sed in ipso faciendo duo obseruare oportet: Primum, vt optimè fermentetur, alioquin est duræ digestionis. Secundum est, vt omni die æger habeat panem hunc recentē, quo ita debet vti; ægrotus ante prandium, & cænam comedat vnū ex his panibus, & cum eo simul comedat vuas passas, vel vuas illas magnas quæ à vulgo zibibio dicuntur.

Hic panis mirabilis est in detergendo, & lubricando.

Panis tartarizatus. Secundus panis detergens fit ex flore farinæ, & loco salis additur puluis tartari albi: qui panis est primo præstantior.

Prima species panis solutiui. Panis tandem solutiuus fit duobus modis: Primo modo coquendo in furno prius aliquod solutiuū; postea panem in illo furno coquendo: Nam panis acquirit ex clibani pauimento eam purgādi vim, quæ simplicibus prius decoctis inerat: Ita familia cuiusdam rustici per accidens fuit purgata ex pane decocto in furno, in quo prius arefecerant tithymalos.

Secunda species panis solutiui. Alio modo redditur panis solutiuus ex commistione alicuius medicamenti cum pasta: Ita pro pueris conficimus pastam tenuissimā, ex qua fiunt *chi-foides*, quia à vulgo *zaldoni* appellantur; fiunt in quam cum pulcere Rhabarbari ab ipsis Monialibus; Et hoc de vtroq; pane medicinali detersiuo, & solutiuo. *Puerorū chifoides.*

Verùm cum, & ex tritico, & cæteris granorū speciebus pro ægris parentur diuersę formulæ pulmentorum, & potulentorum, ideo hæc non sunt subticenda.

De pulmentis, & sorbitionibus, & reliquis potulentis medicinalibus factis ex granorum speciebus. Cap. III.

IN superiori egimus de solo pane, nunc agamus de alijs cibis medicinalibus, qui in ægris curandis sunt in vsu frequenti: hæc autem cibaria desumuntur ex

Tritico.
Hordeo.
Faba.
Zea.
Oriza.
Et Farre.

V 2 De

De cibis Medicinalibus ex tritico.

Quoad cibaria quæ parantur ex tritico,
Vel fiunt ex granis ipsis.
Vel ex farina.
Vel ex ipso pane.

Cibaria quæ fiunt ex ipsomet grano sunt duplicia:
Frumentatum.
Et Amylum.

Frumentatum simplex. Frumentatum est duplex; simplex sine pulpa carnis; & compositum cum pulpa carnis.

Frumentatum simplex fit hoc modo.

Primo, ℞. Grana tritici optimè mundati.

Secundo, coquantur in iure tenui, donec optimè fuerint cocta.

Tertio postea contundantur in mortario, quibus adde aliquot amygdalas prius in aqua maceratas.

Quartò deinde traijciantur per setaceum, & coquantur ad consistentiam pulmenti, addendo parum salis, & sacchari.

Cõpositum. Frumentatum compositum fit hoc modo.

℞. Triticum eodem modo coctum vt supra.

Huic adde pulpam caponis coctam, & traiectam, & simul coquatur ad consistentiam pultis.

Frumẽtorum vires. Hæc frumentata valent potissimum in his, qui substantificè nutriendi sunt, vt phtisici, & hectici.

Amylũ ut fiat. Amylum autem ex granis tritici sic formatur.

℞. Grana tritici optimè matura, & ab omni immunditie selecta. q. v.

Abluantur optimè in aqua pura, & ponantur in vase terreo cum aqua clara ad Solem per viginti dies, diebus æstiuis, vt maceretur.

Post macerationẽ pedibus contundantur, & post contusionem, torculari expressio eliciatur, quæ extracta super tabulis exiccatur: sic enim albissima, quod *amylum* dicitur, & loco sicco asseruatur.

Amyli vires. Hoc amylo in affectibus thoracis Medici familiariter vtuntur.

Hæc de granis tritici.

Cibaria, quæ de farina tritici fiunt, sunt hæc.

Biscoctum.
Et pappa.

Biscoctum est multiplex:
Biscoctum reginæ.
Biscoctum Hispanicum.
Biscoctum Gallicum.
Biscoctum Lutharingicum.
Biscoctum Pisanum.
Et Biscoctum commune pro lue Gallica.

Non describam modos horum, quibus fiant: nam eleganter describuntur à Quercetano in diætetico cap. 10. Solum describam Biscoctum regale, quod communiter paratur in officinis. *Biscoctũ regale.*

℞. Floris farinæ.

Sacchari albi an. p. æq.

Misce optimè in vase stanneato ad ignem lentum semper agitando spatula ignea.

Post mediam horam ab igne remoueantur, donec infrigidentur.

Refrigerata contunduntur in mor-

mortario, & per setaceum traijciuntur.

Pro omni libra huius materiæ, accipitur medium granum moschi cum sacharo macinati, & ei permiscetur: Quibus adducuntur tria oua recentia, quæ optimè incorporãtur ad formam pastæ mollis.

Hæc pasta aptatur in orbibus cupreis farina aspersis; quæ vasa ponuntur in furno calido, donec pasta fit cocta.

Cognoscitur autem quando fit cocta, quia si manu percutiatur, sonum edit; tuncque à furno remouetur, & in frusta magna diuiditur, quæ tandem in furno reponuntur, donec exiccentur, deinde statim remouentur.

Biscotti vnus. Hoc biscocto vtimur in ijs, qui restauratione indigent: plurimum enim nutrit, & est facilis coctionis.

Sed præter biscoctum ex farina tritici paratur pulmentum, quod pappa nominatur à Florentinis quæ sic paratur. *Pappa.*

℞. Farinæ floris q.v.

Coquatur in lacte vaccino, vsque ad debitam consistentiam; in fine adde oui vitellum, & sacchari pauxillum.

Hæc pappa in phthisicis, & hecticis maximè est in vsu.

Cibaria quæ parantur ex pane ipso sunt.

Panatella.
Panis coctus.
Offa.
Vermiculi.
Sphærulę panatæ, seu manu factæ.

Et puluis digestiuus.

Panatalla sic paratur. *Panatella.*

℞. Micam panis, infundatur in iure caponis per duas horas postea per setaceum traijciatur, cui adde vitellum oui, & parum sacchari.

Vel paratur ex pane ipso trito in iure cocto, qui vulgariter panis tritus dicitur. *Panis tritus*

Panis coctus, in iure coquitur, vel in aqua, vel in butyro, citrè quòd traijciatur per setaceum, cui aliquando, vel lac seminum melonum, vel amygdalarum, vel penidiarum adiungitur. *Panis coctus*

His minestris, in omnibus ferè morbis passim vtuntur medici, nutriunt, & sunt facilis coctionis.

Offa dupliciter paratur.

Primum ex micā panis integra priusquam aqua imbuta, deinde modicè expressa, cui vinum inspergitur. *Primus offæ modus.*

Secundo modo offa fit ex pane trito, & sacharo mixto, inspergẽdo vinum, quæ *brisarola* dicitur à vulgo. *Secundus modus.*

His vtimur in ægrotantibus debilibus restaurandis.

Vermiculi fiunt ex pane trito impastato cum ouo integro, ex ea pasta fiunt potiũculæ similes vermibus, quę à vulgo *vermecelli* dicuntur. *Vermiculi.*

Sphærulæ panatæ fiunt ex eadem pasta, ex qua fiunt vermiculi, sed reducuntur sub formam rotundam, quæ à vulgo *manufatta* appellantur. *Sphærula panatæ.*

His vtimur in morbis chronicis, vt ęgrotis blandiamur.

Puluis digestiuus pro sigillo Roma

machi, ex crusta panis, hac ratione
℞ Crustæ panis n. I.
Foliorum saluiæ n. III.
Coriandrorum præp. dr. I.
Sacchari ros. in tabellis ad pondus omnium misce fiat puluis.
Deglutitur ad cochlear post cibum. Coctionem iuuat.
Hæc sunt cibaria medicinalia quæ ex tritico parantur.

De cibis medicinalibus ex hordeo.

Cibaria medicinalia ex hordeo sunt: Ptisana.
Cremor.
Aqua.
Hordeatum.
Et pulmentum ex hordeo Alemanico.

Ptisana simplex. Ptisana est duplex: simplex, & composita. Simplex sic paratur. ℞. grana hordei mundi: abluantur in aqua, & quæ supernatant, abijciantur; quę verò fundum petunt, accipiantur, & bulliant in sufficiẽti quãtitate iuris, donec hordeum sit perfectè coctum & liquatum tunc citra cõtusionem per petiam coletur, & seruetur.

Ptisana cõposita. Ptisana composita, fit cum additione carnis, si sit intentio magis nutriendi, & cum pipere si sit intentio flatus discutiendi. Caro autem, vel piper vnà cum hordeo in iure coquitur.

Cremor hordei. *Cremor hordei* fit: Accipitur hordeum, & infunditur in aqua, & leni ebullitione præuenitur: postea aqua reijcitur, & rursus in aqua pura decoquitur ad consumptionem medietatis: postea colatur.

Ptisana nutrit, refrigerat, abstergit, ideo in emaciatis in febribus, & morbis thoracis conuenit.

Cremor ptisanę est in vsu ad refrigerandum, humectandum, & detergendum.

Aqua hordei simplex. Aqua hordei, vel est simplex, vel composita: simplex fit ex solo hordeo in aqua decocto, & differt à cremore, quia cremor fit duplici ebullitione, aqua autem simplici ebullitione. Aqua hordei vtimur in febribus potissimùm ad prouocandos sudores.

Cõposita. Aqua hordei composita fit cum additione aliorum, vt cũ lentibus, ad propellẽdas variolas ad cutim.

Hordeatum est duplex:
Alimentosum simpliciter.
Et Somniferum.

Hordeatũ simp. Hordeatum simpliciter fit hoc modo:
R. Hordei mundi lib. 5.
Coque in paropside in iure alterato cum
Oxalide, idest, acetosa.
Portulaca.
Boragine, vel similibus.

Postquam hordeum coctum est, traijciatur per setaceum: & ut album fiat; antequam hordeum traijciatur per setaceum, adde seminum melonum, vel amygdalarum decorticatarum, drach. I.

Hoc hordeatum nutrit, refrigerat, humectat, ideo in febribus familiariter vtor.

Somniferum hordeatum. Hordeatum somniferum sic paratur,
R. Hordei præparati, & cocti. drachmæ IV.
Quatuor seminum frigidorum, an. drach. V.
Seminis papaueris albi, dr. I.

Semina macerentur in aqua destillata duodecim horis. Postea vna cum hordeo cocto contundantur in mortario, & trascolentur per setaceum, & coquantur S.A.

Hoc hordeatum hora somni exhibetur: mirificè enim somnum conciliat, ideo in febricitantibus, qui vigilia detinentur, conuenit.

Pulmentum ex hordeo alemannico. Tandem sequitur pulmentum, quod paratur ex hordeo Alemannico, quod est albissimum, hoc modo.

Accipimus mediam manum huius hordei optimè mundati & abluti: hoc infundimus per noctem in iure, vt maceretur, & fermentetur: crescit enim, & turgescit, postea manè decoquimus.

Hoc ptisanarium, siue pulmentū est gustui gratum, refrigerat, humectat, detergit, & nutrit, sed minus quàm nostrate. Et hæc de albis medicinalibus ex hordeo.

De Cibis medicinalibus ex Faba.

EX Faba paratur edulium vnicum, quod fabatum dicitur, hoc modo.

Recipe fabas fractas, decorticatas, optimè lotas in aqua pura: has decoque in aqua purissima: Has coctas contunde in mortario lapideo, diuq; eas deducito, postea per setaceum traijcito.

Fabatū.

Huius pulpæ R. lib. I.
Sacchari fini dra. IIII.
Passularum. dra IIII.
Piperis paucū. Misce optimè.

Abstergit, ideo in dysenteria, & in affectibus thoracis hoc vtimur.

Multa ex faba parentur, quæ potius sunt medicamenta, suo loco proponenda.

De Cibis Medicinalibus ex Zea.

Quid Zea. EX Zea, quæ lingua vernacula *spelta* nominatur, antiquis edulium quoddā parabatur, quod Halicam appellabant. Halica igitur sic paratur ex Galeno I. de facul. alimentor. *Halica.* Accipitur zea optimè mundata, & tota: hæc in vino melato, vel in iure coquitur optimè, postea per setaceum traijcitur.

Halicæ vsus. Hac vtimur in doloribus intestinorum prouenientibus ex bilis mordacitate.

De Cibis medicinalibus ex Oriza.

EX Oriza paratur edulium album, & pulmentum.

Edulium album sine amygdalis. Edulium autem, quod à vulgo dicitur *mangiar bianco*, vel fit cū amygdalis, vel sine.

Edulium sine amygdalis paratur hoc modo.

R. Sacchari fini lib. III.
Farinæ orizæ, lib. I. S.
Lactis Vaccini recentis lib. IV. S.

Misce opt. in vase cupreo stannato ad ignem lentum carbonum effumatorum, per quadrantem horæ semper agitādo donec sit coctū, quod cognoscitur, quia si projicias super marmor coagulatur.

Huic aliqui, gustus gratia, tantillum moschi, & aquæ rosaceæ adijciunt.

Edulium album cum amygdalis sic paratur.

R.

℞. Farinæ orizæ lib. ʒ. infundatur in lacte, ei adde.

Edulia album cũ amygdalis.

Pulpam thoracicam caponis cocti.

Amygdalarum num. xxIIII.

Hæc duo contundantur in mortario, & farinæ misceantur.

Post macerationẽ in lacte traijciantur omnia per setaceum; traiectis adde sacchari albi q. s. postea coquantur, vt in primo edulio positum est.

His eduliis vtimur in casibus, vbi substantificè nutriendum est.

Pulmentum ex oriza est duplex, traiectum, & non traiectum.

Pulmentum ex oriza nõ traiectũ. Pulmentum ex oriza non traiectum communiter sic paratur, vt oriza tota nocte in iure maceretur super cineribus, & turgescat; postea manè coquitur, & totum pulmentum exhibetur.

Traiect. Pulmentum verò ex oriza traiectum taliter fit, postquam oriza vt supra, cocta est, traijcitur per setaceum, cui sic traiectæ totum ouum cum vitello, & albumine adiungitur.

Vires. Hæc pulmenta adstringunt, & siccant, ideo dysenterijs potissimum vtemur; Nam aliqui putant, orizam esse humidam, quia crescit tantum in locis aqua irrigatis; Sed decipiuntur, quia oriza est tam sicca, vt non possit, nisi in locis aqueis crescere. *Oriza est humida.*

De Cibis Alimentosis ex Farre.

PRo ægrotantibus vtimur etiã pulmento facto ex farre; verũm quia hoc granum viscositatẽ, & lentorem in se quendam habet; ideo postquam coctum, in fine addere oportet Cochlear aceti, sic enim corrigitur. *Far, is correct.*

Hoc vtimur in ijsdem casibus, in quibus Halica.

Et hæc de pulmentis, & sorbitionibus medicinalibus, quæ ex granorum speciebus communiter fieri solent, nedum in conseruandis sanis, sed curandis ęgris: Quæ omnia sub capite de cibo adæquato panis videbantur contineri, iam dicamus de secundo cibo adæquato, nimirum de carne.

DE CARNE.

IN superiori egimus de prima specie cibi adæquati, nimirum de pane, & eius analogis: nunc dicamus de altera specie, nimirum de carne.

Caro igitur est in triplici specie; Nam alia est caro. *Carnis species.*

Quadrupedum.

Secunda Volatilium.

Tertia Piscium.

Dicamus primum de carne quadrupedum.

De Quadrupedum carnibus.

CAro quadrupedũ est duplex: Syluestrium, & domesticorũ.

De Quadrupedibus domesticis.

CArnes quadrupedum domesticorum sunt.

Bubulæ.

Vitulinæ.

Ver-

Veruecinæ.
Agninæ.
Hædinæ.
Porcinæ.

Bubula Caro Bubula est omnium crassissima copiosi nutrimenti, & sanguinem melancholicũ gignit, ideo ab ea abstinendi sunt melancholici, & qui affectibus è melancholia pronatis, detinentur.

Caro hæc vt facilioris digestionis reddatur vel triduo sale maceratur.

Vel in hyeme aeri committitur per triduum, vel quatriduum, vt fermentetur.

Vel sero antequam manè coquatur, baculo optimè contunditur,& in aqua tota nocte maceratur.

vitulina Caro Vitulina est optimi nutrimenti, facilis coctionis, ideo ęgrotantibus omnibus tam assa, quàm elixa offerri potest.

Veruec. Caro Veruecina est pariter boni nutrimenti,& leniter adstringit, ideo ea vtimur in alui fluxibus pręsertimque carne ipsius femoris, ex qua paratur hoc expressum in dysenteria, lienteria, & fluxu hæpatico optimum.

Expressum verueci. ℞. Carnis musculosæ femoris veruecis q. v.

Caro hæc semiassetur, postea torculari exprimatur succus: Post expressionem succus coquatur ad perfectam coctionem. Sed dum coquitur, adde hunc puluerem pro qualibet libra eius carnis.

℞. Gummi Arabici. scrup. ʒ.
Terræ Sigillatæ. scrup. s.
Vitelli oui num. 1.
Nucis moscatæ parum.

Misce. Hoc expresso vtatur patiens per horam ante cibum ad vnum cochlear serò, & manè.

Vtor etiã taleolis carnis vitulinæ oculis appositis pro ophthalmia curanda. *Taleolæ carnis vitulinæ*

Caro Agnina est valde laxa, humida, & excrementitia; ideo ventrem laxat, & fluxũ sæpius parit, & est cõsequẽter phlegmaticis noxia. *Agnina*

Caro hædina est siccior agnina, ideo nec ita excrementosa, siue assa, siue elixa ægrotantibus, & sanis offerri potest. *hædina*

Caro caprina est mali nutrimenti, suiq; acrimonia, ex Galeno, cerebrum petens, epilepsiam inducit: hac peior est hircina. *caprina*

Caro porcina ex Gal. Athletis, & ijs, qui se multũ fatigãt, est optimi nutrimenti; delicatioribus autẽ est infensa propter nimiã eius humiditatẽ, vnde dysenterias, & ventris dolores sæpius excitat, & catarrhos fouet. *Porcina*

Salita verò in debita quantitate est minoris detrimẽti: Hę sunt carnes quadrupedum domesticorum.

De Carnibus quadrupedum syluestrium.

Carnes quadrupedum syluestrium sunt.
Ceruinæ.
Leporinæ.
Aprugnæ.
Capreolina.
Cuniculi.
Ericinæ,
Et Taxi.

Caro ceruina est mali nutrimenti, difficilisq; coctionis; hęc in pastitijs torretur, sed est potius euitãda. *ceruina*

Caro leporina melãcholicũ sanguinẽ gignit, et est durę digestionis nisi optimè cõdiatur aromatibus. *leporina*

X Caro

Caro aprugna, *cioè di porco selvaggio* in bonitate superat carnē porcinam domesticam.

Capreolina. Caro Capreolina post cuniculi carnem inter carnes animalium sylueſtriū, omnibus eſt melior, guſtui grata, & facilis coctionis.

Cunic. Caro Cuniculi, *cioè di Conigli*, eſt capreolina melior, delicatior, magis tenera, faciliorisq; coctionis, ideo ſanis, & ægrotis liberè offerri poteſt.

Ericina Caro Ericina, *cioè del porco rizzo* melancholicum ſanguinem gignit, eſtq; difficilis coctionis, ideo fugienda, ſicuti eſt etiam caro taxi. Et hæc de carnibus quadrupedum ſylueſtrium.

De Carnibus Volatilum.

Carnes pariter volatilum ſunt in duplici diſcrimine

Aliæ enim ſunt volucrum domeſticarum.

Aliæ ſunt volucrum ſylueſtriū.

Inter aues domeſticas ſunt.

Capo.
Gallina.
Pullus.
Gallus.
Columbus.
Anſer.
Gallina Indica,
Et Gallus gallinaceus.

De Capone.

Quo ad Caponem, ipſius caro tam aſſa, quàm elixa eſt optimi nutrimenti, ideo ſub varijs formulis ægrotantibus offertur.

Formulæ autem ſunt iſtæ.

Picata Caponis.
Expreſſum Caponis.
Gelatina Caponis.
Succus Caponis.
Deſtillatum Caponis.
Morſelli Caponis.

Picata Caponis Quod ad picatam, ea ſic paratur. Accipitur caro caponis thoracica, caq; minutim gladio teritur: Sic trita ponitur in iuſculo cum ſaccharo, & ſucco limonum ſicq; patientibus offertur.

Expreſſum. Expreſſum caponis fit. Accipitur caro caponis thoracicą, quæ tantum ſemiaſſata, torculari exprimitur, & ſuccus ſemicrudus coquitur: Hoc caponis expreſſum exhibemus ijs, qui indigent pauco alimento in quantitate, & multo in ſubſtantia.

Gelatina Caponis, quæ à vulgo conſummatum, vel eſt ſimplex, vel compoſita.

gelatinā ſimplex. Gelatina ſimplex fit ex ſola caponis carne ſic.

Accipe caponem decapitatum, deplumatum, exenteratum, collo, pedibus, & alis reiectis, pelleque exutum, & venulis. Caponem ſic præparatum prius per 12. horas in ſufficiēti quātitate Vini maluatici macerabis: Poſteą ipsū decoques, quouſq; tota ipſius caro iuſculenta fiat: Hoc facto per petiam colabis, & pinguedinem ſupernatantem cochleari ſeparabis, tunc remanebit ius illud refrigeratum, tāquam gelatina ſolidum, & gelatū.

Hæc Gelatina ad ignem diſſoluitur, & cochlear patienti exhibetur.

Compoſita. Gelatina compoſita ſic paratur.

℞. Hyacinthi macinati.
Margaritarum macinatarū.
Olei nucis muſcatę an. dra. 3.

Ambræ

Ambræ.
Moschi an. gr. v.
Sacchari fini dissoluti in aqua florum citri. vnc. IIII.
Foliorum auri fini nu. VIII.
Gelatinæ Caponis superius descriptæ. vnc. VIII.
Misce.

Nutrit, spiritus recreat, flatus discutit, ventriculum roborat, putredini, & malignitati resistit exhibetur, p horā ante cibū ad vnc. s.

Altera Gelatina.

Alia. RECipe Aquæ rosat. vnc. IIII.
Santalor. citrinor. dra. II.
Bulliant ad consumpt. medietatis, colato adde.
Farinæ amyli vnc. II.
Gelatinæ caponis. vnc. VI.
Moschi. gran. I.
Misce. Hæc valet ad nutriendum, & restaurandum potissimùm phthisicos.

Succus caponis. Succus caponis sic paratur.

R. Carnem thoracicam caponis: Hanc in frustula diuidas, quæ frustula filo suspendes in vase illo vitreo, quod à vulgo *bocaletto* dicitur: hoc vas igni appones, donec totus succus sit in fundo vasis præcipitatus, quo vtere.

Destillatum Caponis vel aqua eiusdem est duplex: Alimentalis, & medicinalis.

Destillatū alimētale sic paratur.

Destillatum caponis alimentale Coquitur capo donec cōsumptus sit, postea colatur, & torculari exprimitur, & expressum in balneo mariæ destillatur, quæ aqua caponis, destillatum à monialibus dicitur.

Hoc vtuntur ægri loco potus.

Destillatum Medicinale eodem modo fit, sed in ventre caponis ponuntur simplicia accommodata v. g. in febre accipitur. *Medicinale.*
Sonchus.
Borrago.
Acetosa.
Pimpinella.
Ruta capraria.

Ad tollendas obstructiones,
Capillus veneris
Ceterach.
Agrimonia.
Filix mas.
Cuscuta, & similia

Et huc spectat aqua Caponis Gesneri ad virium lapsum descripta à Quercetano lib. I. de aquis; quæ præstans est.

Ex capone tandē morselli fiunt, tali ratione.

℞. Pulpæ caponis thoracicæ.
Amygdal. amarar. vnc. II. *Morselli*
Specier. Diarhod. Abb. dr. II.
Sacchari fini q. s. fiant morselli, & aurentur.

Nutriunt, & obstructiones reserant, ideo in febribus chronicis multum conueniunt.

Ex eadem pulpa caponis parantur morselli ad hecticos, vt in curatione phthisis catarrhosæ positi fuere. Et hæc de Capone.

De Gallina.

GAllina in Mense Februarij optima est, præsertim elixa, Et ex gallina paro ego decoctum quoddam, quod in dysenteria optimum est, tali ratione.

℞. vnam Gallinam veterem

nigram S. A. præparatam, & decorticatam eius venter his repleatur. *Decoctũ ad dysenteria.*

℞. Tormentillæ. vnc. s.
Nucis moscatæ. dra. II.
Ceræ citrinæ. vnc. s.
Thuris.
Balaustiorum an. dra. VI.
Croci electi dra. I. s.

Coquātur in sufficienti quantitate aquæ communis chalybeatæ, & tam diu bulliant, donec caro gallinæ sit cocta, vt edi possit; postea coletur brodiũ, de quo sumat dysentericus cyathum manè, quatuor horis ante cibum, serò tribus horis ante cænam, & caro gallinæ manducetur.

Immò pro mingentibus inuoluntariè ex Gallinarũ stomachis paratur præsidiũ specificũ hac ratione. *Pro inuoluntariè mingentibus.*

℞. Stomachorum gallinarum præparatorum. vnc. I.
Cineris erinacei combusti. dra. III.
Conterantur omnia, & f puluis, cuius dosis est drag. I. cum vino, eunti cubitum. *Iura medicinalia ex gallis.*

De Pullo.

PVlli adhuc implumes delicati admodum sunt, multi, & optimi nutrimenti, ideo ægris offeruntur.

Gallus autem est duplex; Iunior, & decrepitus, vterq; calidus, magis decrepitus, ideo offerendus est ijs, qui laborant asthmate, orthopnœa, tussi antiqua, obstructionibus viscerum, intemperie frigida ventriculi, & vteri dolore ac intestinorũ, cachexia, arthritide, scirrho lienis, & hepatis. Immò pro his affectibus tollendis ex gallo tũ Iuniori, tum decrepito fiunt iura medicinalia, summæ virtutis, quas apud authores videre poteritis.

De Columba.

COlumbi sanguinem optimum gignunt, & ventriculi calorē maximè fouent, cuius iusculum in tollendis obstructionibus, simplicibus cōuenientibus præparatum, maximè prodest. *Ius columbi.*

His vtimur diuersimodè; primò quidem ad præcauendum abortũ, in hijs mulieribus, quæ vterum imbecillum habent, ipsis assatis, & per medium scissis moderatè calidis, & ventri appositis, summo vtimur cum successu. *Ad præcauendũ abortũ.*

Ad vapores discutiendos, & resoluendos, & per consequens ad frenanda sæua phrenitidis accidētia viuis per medium sectis, & vertici abraso appositis adhuc calentibus vtimur. *ad phrenitidẽ.*

Ad resoluendos humores crassos in oculis existētes post ophtalmiam, immò ad albugines ipsas, vtimur eius sanguine detracto ex vena axillari pulli viuentis, permittendo, quòd sanguis ille oculum ingrediatur. *Ad oculos.*

Stercore columbi etiam vtimur emplastrato in frigidis capitis affectibus. *Columbi stercus.*

De Ansere.

ANser est crassi nutrimenti, & duræ digestionis, tamen quātum est ineptus ad nutriendos sanos, & ægros, tantum est vtilis ad

pro-

profligandos plures affectus.

Linimentum anseris ad paralysim. Primò ex eo paratur linimentum ad paralysim summum remedium, hoc modo:

℞. Anserem pinguem deplumatum, nu. 1.

Exenteretur s.a. Interim,

℞. Centaureæ maioris.
Hederæ terrestris.
Ophioglossi.
Iuæ artheticæ.
Radicis consolidæ maioris.
Tormentillæ.
Bistortæ.
Carlinæ.
Corticis vlmi.
Gossipij eiusdem.
Valerianæ.
Sem. Iuniperi.
Hypericonis.
Lauri.
Pæoniæ, an. p. s.

Optimè contundantur, & infundantur in vino maluatico, & seorsim maneant in fermentatione.

Interim.

℞. Therebenthinæ claræ.
Laudan. an. vnc. i i.
Olibani.
Gummi Elemi.
Sagapeni.
Opopanacis.
Styracis calamitæ.
Belzoini.
Myrrhæ electæ.
Bdelij.
Galbani, an. vnc. s.

Contundenda contundantur, & dissoluenda dissoluantur, quibus adde.

Theriacæ optimæ.
Mithridatij.
Castorei an. drach. i i.
Croci, scrup. i i.
Ceræ citrinæ, drach. vi.
Fæcum Olei irini.
Hypericonis veteris.
Costini.
Vnguenti Agrippæ.
Balsaminæ, an. vnc. i.

Omnia enarrata irrorentur aqua theriacali, simulq; misceantur cum prædictis infusis, quibus adde carnem thoracicam anseris, sanguinem testudinis, & nucis moscatæ parum, vt fiat pasta satis consistens. Hac pasta impleatur venter anseris per anum, & mittatur ad assandum pro totali anseris colliquatione, seruata triplici pinguedine: prima erit alba, secunda erit magis colorata: tertia adhuc coloratior. Tandem fæces extrahātur, & prędictis pinguedinibus misceātur: Deinde simul fundantur in balneo mariæ temperato, demumque torculari fęces exprimātur, & puluerentur, & pinguedini misceātur.

Quercetanus refert, quod illius stercus exsiccatum puluerātum, & ad drach. i. exhibitum, curet morbum regium, quo & ipse tanquam specifico vtor.

De Pauone.

CAro Pauonis optima est, & tuto administratur, potissimum in ijs, qui vertigine laborant: Imò ipsius stercus præparatum ad drach. i. exhibitum tanquam specificum censetur, vt *Stercus pauonis.*

℞. Stercoris pauonis maris pro maribus, & fæminæ pro fæminis, exsiccati, drach. i.

Maceretur in vino albo; postea cola

cola per linteum, & continuò exhibe à nouilunio vsque ad plenilunium.

Gallina Indica, est boni nutrimenti: Caro galli gallinæ cei est aliquantulum duræ digestionis, assa tamen magis, quàm elixa probatur. Hęc de carnibus auium domesticarum.

De Auibus Syluestribus.

INter aues Syluestres reponuntur hæ potissimum

- Perdix.
- Turtures.
- Turdius.
- Hirundo.
- Beceficæ.
- Merula.
- Coturnices.
- Phasianus.
- Hortiolitor.
- Alauda.
- Passeres.

Ex passerum cerebris electuarium pro vertigine tollenda præsentaneum tale fit.

Electuarium ex cerebris passeris.

℞ Cerebrorum passerũ nu. xxxxx.
Cerebri vituli in vino loti, & in furno exiccati, onc. I.
Auellanæ, onc. ſ.
Mithridatij optimi, drach III.
Misce, & cum syrupo de corticib. citri fiat electuariũ sine igne.

Carnes harum auium omnes sunt bonæ secundum magis, & minus, & sanis, & ægris sunt in vsu frequenti: de quibus, si quis scire plura velit, consulet regulam Salernitanam. Et hæc de carnibus volatilium.

De Piscibus.

TAndem pisciũ carnes sequuntur, de quibus illud solum dicam, pisces saxatiles omnibus esse meliores, qui plura vult, legat regulam Salernitanam, & Quercetanum, sect. 3. cap. 7. non enim est, quod ponam ea, quæ apud alios videri possunt.

De partibus animalium.

PRæter carnes animalium, iam connumeratas, adhuc in vsum veniunt, eorum partes; quæ sunt in duplici differentia; Aliæ enim sunt ipsæmet partes, aliæ sunt ex partibus ortæ.

Partes ipsæ, quibus potissimum vtimur, sunt

- Capita.
- Extremitates.
- Viscera.
- Testes.
- Glandosa corpora.
- Et Sanguis.

Quæ ex partibus oriuntur, sunt,

- Lac.
- Butyrum.
- Serum.
- Caseus.
- Et Oua.

De partibus producentibus.

QVo ad capita, quæ bona sunt,
Caput vituli elixi,
& eius lingua.
Caput Aprugnum.
Capita hædorum,
& Agnorum.

Ca-

Cerebrũ leporinum. Caput leporinum, quo etiam gingiuæ puerorum illinũtur, vt dentes citius orian tur.

Caput castrati. Caput castrati est tantùm in vsu in faciendis clysteribus pro dysenteria.

Extremitates vituli. Quo ad extremitates, sunt in vsu extremitates vituli, quæ in fluxibus, & vomitibus reprimendis in iusculis vna cum carnibus decoquuntur.

Lien bouis. Quoad viscera, hæc sunt in vsu: lien bouis ad tollendam obstructionem, & duritiem splenis.

Electuarium ex hepate lupi. Hepar lupi ex quo paratur meũ electuarium Neapolitanum hoc modo:

℞. Radicis chinæ, vnc. III.
Ligni Sancti, vnc. IV.
Salsæ parillæ, vnc. II.
Myrobolanorum omniũ dr. IV.
Foliorum senæ
Foliculorum eiusdem an. vnc. s.
Hermodactylorum, drach. II.
Mechiocan albi, vnc. s.
Anisorum.
Cinnamomi an. scrup. IV.
Cardui benedicti, vnc. s.
Corticis citri, drach. I.
Turbit albi, drach. IV.
Seminum citri, drach. III.
Conseruæ florum cordialium, vnc. I.
Hepatis lupi præparati, dr. II.

Misce, & fiat puluis subtilissimus, & cum syrupo de polypodio, & melle albo cocto s. a. f. electuarium.

Valet mirabiliter aduersus morbum gallicum, præsertim ad dolores siphilicos, profluuium capillorum, & gonorrhæam.

Dosis ab vnc. s. ad vnc. I.

Pulmo vulpis. Pulmones vulpis, ex quibus parantur loch de pulmone vulpis, & electuarium ex pulmone vulpis ad phthisicos sic.

Electuarium. ℞. Pulmonis vulpis recentis præparati, & exiccati vnc. II.
Succi liquiritiæ.
Radicis pulmonariæ recentis, an. vnc. I.
Seminum fœniculi, vnc s.
Pulueris testarum cancrorum fluuialium, vnc. I. s.
Sacchari albi fini, vnc. VIII.
Mellis albi despumati, lib. I.
Misce pro electuario.

Exiccat materias pituitosas in pulmonibus quiescentes, ex hora ante cibum capitur ad drach. II.

Cerebrũ humanum. Cerebrum humanum destillatum ad deperditam memoriam.

Intestina boũ. Intestina boum, ex quibus parantur clysteres ad dolorem dysentericum.

Testes Galli. Quo ad testes, testes galli optimi sunt nutrimenti, ideo ægrotantibus offeruntur.

Castrati. Testes castrati sunt in vsu apud sanos.

Corpora glandosa. Quo ad corpora glandosa, quæ à vulgaribus *latticini* dicuntur, optima sunt, quæ ex vitulo detrahuntur.

Sanguis Suilli. Quo ad sanguinem; ex sanguine suilli, & ex humano paratur aqua ad restaurandos hecticos, vt in curatione phthiseos posuimus. Ex sanguine suillo hęc mihi probatur.

Aqua ex sanguine suilli. ℞. Sanguinis suilli, lib. II.
Carnis cancrorum fluuialium, lib. IV.
Sacchari fini albi, lib. I.

Misce, fiat maceratio, & s. a. destilletur

ftilletur aqua ex balneo mariæ.
Valet ad maciem.

De partibus productis.

PArtes productæ ex animalibus sunt, lac, & oua.
Quoad lac, quod in vſu eſt apud Medicos eſt;
Lac Humanum.
Aſininum.
Caprinum.
Ouillum.

Lac humanū. Lac Humanum omnibus in bonitate præfertur, omnibusq; magis nutrit, quo vtimur in renutriendis emaciatis.

Aſininū. Lac Aſininū eſt magis ſeroſum, quo vtimur ad detergenda vlcera pulmonum in phthiſicis.

Caprinum. Lac Caprinum eſt medium inter humanum, & aſininum: hoc vtimur in iiſdem affectibus.

Ouillū. Lac Ouillum eſt omnibus craſſius, quo vtimur in vlceribus renū.

De partibus lactis.

IN lacte ſunt tres partes:
Butyrum.
Serum.
Caſeus.

Butyrum eſt pars lactis ignea, ideo eſt aptum nutrimentum, ſaccharo traiectum, vel aſſatum.

Butyrū aſſatū. Butyrum verò ſic aſſatur; ponitur veru traiectum ad ignem; Sed ſtatim, ac igni eſt expoſitum, ſtatim incruſtatur ex æquali mixtione, Panis triti.
Cinnamomi.
Et Sacchari.
Nam cruſta obducta aſſatur butyrum, & non diſperditur, quod pro ægris, & ſanis optimum eſt.

Serum eſt pars lactis aquea, cuius ſeri vſus eſt ad refrigerandum, humectandum, abſtergendum: In febribus tamen eo vtimur depurato cum albumine oui, vel cum ſucco limonum: In ſcabie etiam ad iecur refrigerandum vtimur potiſsimum caprino, in febribus malignis cum infuſo ſcordij. *Serum depuratum.* *Serū cū ſcordio.*

Ad iecur refrigerandum poteſt ita præparari.

Serū ad iecur calidum. ℞. Folior. hepaticæ.
Cichorij.
Fumariæ.
Lupulorum.
Endiuiæ.
Agrimoniæ, an. m. I.
Folior. roſar. recent. m. II.
Folior. omnium cordial. an. p. I.
Sem. acetoſæ drach. II.

Contundantur groſsè, & macerentur per noctem ſeri caprini diligenter purgati, lib. VI. deinde deſtilletur per balneum mariæ vſque ad extractionem liquoris trium librarum. Seruetur ad vſum pro tribus doſibus.

Caſeus eſt pars lactis craſſior, & terreſtrior, qui humores craſſos gignit, ideo debet eſſe in vſu modico. *Caſeus.*

Tandem inter partes productas ſunt oua, quæ triplicia ſunt:
Sorbilia.
Tremula.
Et Dura.

Sorbilia ſunt, quæ tantum incaluerunt, & ſunt optimi nutrimēti. *Oua ſorbilia.*

Tremula ſunt media inter dura, & mollia, & ſunt maioris nutrimenti. *Tremula.*

Du-

Dura. Dura sunt duræ coctionis, & facilitèr putrescunt.

Oua sorbilia ventrem lubricãt. Dura adstringunt.

Oleum vitellorum. Ex vitellis ouorum fit oleum ad contusiones, vlcera, dolores, & cicatrices sic.

℞. Centum oua recentia, & extrahantur vitelli, & hi ponantur in vrinali in balneo mariæ per 40. dies, postea decantetur oleum supernatans.

Et hæc dicta sufficiant de cibo adæquato, tam panis, quàm carnis; reliquum est vt agamus de condimentis.

DE CONDIMENTIS.

NVnc de condimentis agamus, de quibus videndum quid sit condimentum, & quotuplex.

Quoad primum, condimentum definitur, esse *alimentum per accidens, quo alimenta per se sapida redduntur*. Hæc definitio desumitur ex Aristotele 2. de anima text. 28. qui habet, saporem esse vnum tangibilium, non esse tamen *alimentum per se*, quia est vt condimentum; vnde necessariò infertur, condimentum esse alimentum per accidens, quo alimenta per se sapida fiunt.

Definitio condimenti.

Condimentũ principale. Quoad secundum, condimentũ est duplex; aliud enim est principale, & est Sal.

Non principale. Non principale sunt,

Mel.

Saccharum.

Acetum.

Oleum.

Aromata.

Dicamus primum de Sale.

De Sale.

SAl est substantia terrea per se quidẽ frigida, & sicca; per accidens tamẽ propter adustionẽ calida, in hũc vsum, vt cibaria cõdiat, quæ ipsius admixtione facilius cõcoquuntur, magisq; gustui grata redduntur. Quid sal

Sed est in triplici discrimine; alius enim est Sal mineralis, & est Sal gemmæ, quo multi etiam in cibarijs vtuntur: Hoc verò vtimur solum in suppositorijs: Alius est sal maritimus, quo continuo nos vtimur. Tertius est sal artificialis, vt sal absynthij, betonicæ, & simi'ium quibus medici vtuntur in morbis curandis, de quibus licet actum sit abundè in tract. de comp. medic. Secundum Hermeticos; Hic tamẽ modum extrahendi sales ex omnibus vegetabilibus, annectamus, qui talis est.

Sal mineralis. Maritimus. Artificialis. Modus facilis extrahendi salis.

Primò simp'ex ex se debet siccari in cella vinaria, ex quo salem extrahes; Deinde minutissimè cõtunditur, puluisq; ille infunditur in s.q. aquę tepidæ, donec aqua refrigeretur; transmittitur per filtrum, & igne lento euaporatur aqua colata per ebullitionem: In fundo enim remanebit Sal.

Salis quoq; Antimonij descriptionem huc transferre pro æquo lectore, aquum existimauimus; quę hæc est. Sal Antimonij à nemine huc usq; positus.

℞. Antimonij, lib. xv.

Contũdantur, & ponatur in sar-

tagine terrea vitreata super carbonibus accensis effumatis, & cõtinuò agitetur spatio quatuor horarum, donec antimonium amplius non effumet.

Euaporato antimonio ex igne remouebitur, vt deferuescat.

Postquam frigidum erit factũ, subtiliter contundetur, & per setaceum traijcietnr.

Traiectum viginti vicib. aqua communi tepida abluetur, & facta subsidentia, aqua proijcietur singula vice.

Facta ablutione, Soli exponetur, vt exsiccetur. Exsiccatum rursus macinetur, & macinato.

℞. Antimonij, vt supra, præparati pro qualibet libra.

Tartari albi, vnc. 11.

Salis gemmæ, vnc. 1.

Omnia subtiliter puluerata simul misceantur in olla figulina nõ vitreata cum suo cooperculo optimè claudẽte, lutoq; sapientię optimè lutato. Hanc ollam tumulabis in alia maiori, & circumcirca cineres, vel arenam impones, quã m suo cooperculo claudes & lutabis.

Hanc ollam duplicatam in vitrorũ fornace collocabis per dies quindecim; postea remouebis, fractisq; ollis, materiam intus contẽtam in mortario subtiliter macinabis. Hanc septies aceto philosophico (est illud acetum quod vltimum destillat) ablues, & singula vice acetum in vase vitreo, & non terreo, seruabis.

Hanc materiam sic ablutã, rursus per 15. dies calcinabis in olla, vt supra, & post calcinationem septies, vt supra, ablues, seruando acetum, vt supra.

His peractis, omnia illa aceta simul mixta accipies, optimèque filtrabis, ad hoc vt omnem nigredinem deponat.

Nigredine deposita, pones aceta in vase vitreo, vt ad Solem euaporent sub anni tempore calido, sic enim in fundo vasis subsidebit sal cryftallinus, & albus.

Vel ex balneo mariæ destillabis acetum: præter enim quòd sal in fundo vasis subsidebit, vt supra, acetum quoq; destillatum pro multiplici vsu seruare poteris.

Dosis huius salis est à scrup. 5. in saccharo rosaceo, vel in alia conserua iuxta intentionem. Incidit, attenuat, abstergit, corroborat, lubricat, aluum absq; vlla molestia: Ideo in febribus chronicis, in obstructione iecoris, & lienis: In affectu hypochondriaco, in atterendoq; catarrho frigido mirabiliter valet; Et omnino ad tollẽda viscerum naturalium inquinamenta. *Vires.*

Acetum ad vlcera maligna maximopere facit.

Vires salium in genere sunt, vt siccent, detergant, dissoluant, purgent, & roborent: vnde Gal. 11. de simpl. med. fac. posuit, quòd sal humidum excrementitium absumat, humidum autem radicale in substantia solida conseruet, cuius signum est; quia sal sua conditura carnes à putredine præseruat. *Vires salium in genere.*

Et hic notandum, quod nedum sal est in vsu ad condiendos cibos, verùm etiam ex sale cõmuni vnà cum bolo armeno destillatur oleũ in febribus putridis, & malignis mirabile tali modo. *Oleum salis.*

℞. Sa-

℞.Salis albi, lib. I.
Boli armenæ crassæ, lib. III.
Misce optimè, & ponantur in vasculo vitreo lutato ad ignem reuerberij, eo modò, quo fit oleum vitrioli: Spacio enim sex horarum destillatur oleum.

Vires. Valet ad putredinem pestilentem, ad contumaces obstructiones incidendo, attenuando, detergendo: ad exiccandos catarrhos, ad asthma. Dosis est ad gutt. VI. in aquis, & syrupis pro intentione accommodatis.

De Sacchare.

Saccharum Galeno non cognitũ. INter condimenta secundaria, saccharum primum se offert, quod, an fuerit cognitum Galeno & Hipp. magna est difficultas: tẽpore autem Æginetæ liquidò cognitum fuit, & Arabes primi fuerunt, qui cęperunt ex eo efformare syrupos, Iulepos, & conseruas.

Sacchari vsus moderatus esse debet, quia faciliter bilescit; vnde qui immoderatè eo vtuntur, in sanguinis adustionem incidunt, in sitim, & dentium nigredinem.

Aqua sacchari ex fœniculo. Tribus modis aquã ex sacchаro ad diuersa mala conferentem conficere soleo: Prima est, vt incisо fęniculi caule, saccharum puluerizatum indatur, donec totum in aquam resoluatur: hæc collecta, & per guttulas oculis infusa, suffusionibus medela esse solet.

Secũda balneo Mariæ. Secunda est talis.
℞ Sacchari fini, lib. II.
Cinnamomi.
Caryophyllorum.
Macis, an. vnc. s.
Camphoræ, drach. II.
Infundantur in lib. s. aquæ rosaceæ, & in balneo mariæ destillentur s. A.

Syncopi leuandæ prodest.

Tertia fit hoc modo.

Tertia ex pomis. Accipe poma, quæ maximè placent, illaq; diuide in taleolas; has deinde pone in craticula lignea, asperge sacсharo candido subtiliter pulverizato, & craticulæ isti postmodum subijce recipiens aliquod capax pro aqua, quæ stillabit, colligenda: Hæc aqua seruetur in vase vitreo benè clauso, illiusq; guttæ tres in aqua pura, aut plantaginis æstiuo tempore pro refrigeratione bibantur.

De Melle.

MEl cib. cælestis dicitur, quia fit ex rore delibato ab apibus ex folijs, & fructibus.

Mel crudum ex Plinio, lib. 21. c. 14. est prauum, quia est flatulentũ, & ventrem, intestinaq; flatibus implet: Coctum autem, & despumatum optimum est.

Mel in senibus, & in ijs, qui sunt temperamẽti frigidi, perutile est, quia calefacit, & humores crudos abstergit: In Iuuenibus autem, & ijs, qui sunt temperamenti calidi, inutile est; quia inflammat, & in bilem accenditur; Ex melle parãtur multa lenientia, hydromelites, & aqua mulsa: destillatur etiam ex eo aqua, & oleum: & sal etiã extrahitur, de quib. in tract. Hermet. Sal'q; potissimum mellis curat caruneulam penis cum cera viridi redactus ad formam linimenti. *Hydromel. aqua mulsa. Oleum. Aqua. Sal. pro caruncula.*

De Aceto.

Quid acetum.

ACetum est vinum secundum partem putrefactum ex caloris extinctione: vnde frigidum est, & per consequens neruis inimicum.

Attenuat, incidit, detergit; Idcirco in obstructionibus, & tumoribus scirrhosis maximè conuenit.

Ex eo fit oxymel: condiuntur etiam aceto acetaria.

Acetum solutiuum.

Acetum redditur quoque solutiuũ, quo postea cõdiuntur acetaria pro alui solutione hoc pacto.

℞. Aceti optimi lib. I.

Foliorũ senæ orient. vnc. I.

Aniforum contuforum, drac. II.

Misce fiat infusio, & expressio fa. vel

℞. Polypodij quercini rec. drac. X.

Passularum, vnc. I.

Cinnamomi.

Aniforum, an. drach. s.

Aceti optimi, lib. II.

Misce bulliant ad quartas; deinde adde foliorum senæ electæ, drach X.

Florum, & fructuũ cordial. p. I.

Misce, & bulliant vnica ebullitione, deinde maneant in infusione, quo vsque liquor refrigeretur. Vno ex his acetis, condiatur acetarium præsertim ex capparibus, & in prima mensa ægrotanti offeratur, mirabiliter ventrem subducit.

Acetum etiam destillatur bis, teruè, quo destillato vtimur in plurimis affectibus, vt in Tractat. Hermetico.

De Oleo.

OLeum pariter, vt condimentum est in vsu, vt ad frigendos pisces, oua, & ad acetaria.

Inter olea à Plinio oleum Italicum optimum censetur.

Ex oleo plura parantur medicamenta, vnguenta, linimenta.

Oleum cum simplicibus medicamentosum redditur, vt oleum rosatum completum. *Olea chimica.*

Tandem ex simplicibus, animalium partibus, & metallis, arte chymica olea fiunt in curandis morbis tam internis, quàm externis admirabilia de quibus inferius.

APPENDIX De Oleis.

HIs placuit appendicem oleorum apponere, tam chymicorum, quam compositorum quibus tam in Cosmetica, quàm in Therapeutica Methodo vtimur.

Oleum Antimonij.

REcipe,

Antimonij, pul. lib. I.

Reguli eiusdem, vnc. I.

Primo, misce, & ponantur in olla posita in furno ventoso carbonibus cincto, vt paulatim fundantur.

Secundò, & si difficulter funderentur addi poterit tantillum reguli, qui fusionem facilitabit.

Ter-

Tertiò, facta prima fusione, iterum accipiatur de antimonio, & cum eadem reguli quantitate tantum progrediatur, donec habeas lib. 3. Antimonij fusi.

Quartò, & si tota hęc materia propter antimonij quantitatem optime fusa non sit, huic addito quartam partem vnius vnciæ reguli, iterumq; fundatur.

Quinto, fuso antimonio, statim sic calens effundatur in acetum destillatum, in eius. n. fundo congelabitur, post congelationem, separetur acetum, & proijciatur; quia nihil valet.

Sexto, deinde exsiccato antimonio, iterum fundatur tribus vicibus subalternatim procedendo, addendoq; proportionatim reliquum reguli, & pro quacumque fusione semper in acetum destillatum proijciatur, vt supra.

Septimò, tandem celebratà vltima fusione, & in aceto congelatione: Antimoniũ sole, vel igne exsiccabitur, deinde pulverabitur.

Octauo, facto puluere, cũ aqua vitę supra salem, vel tartarum calcinatum destillata, fiet pasta, & denuo exsiccabitur: & cum eadem aqua vitæ tartarizata, vel salita sub forma pastæ redigetur, & hoc per tres vices reiterabitur.

Nonò, postliminio ex retorta clam clam destilletur oleum, sicut in magisterio olei myrrhæ obseruatur, oleum erit rubrum, gustui suaue, ac dulce à quo separari debet proprium phlegma.

Valet ad species hydropis leuiter per secessum purgando, musculumque roborando, si ad tres, vel quatuor guttas in syrupis accommodatis exhibeatur, valet ad guttam nodosam, & ad vlcera maligna.

Oleum Antimonij saccharatum.

Antequàm fiat oleum, oportet in calcem prius conuertere stibium.

Calx Antimonij.

Recipe Salis nitri partes duas, Antimonij partem vnam.

Antimonium prius fundatur, vt effumet, & postquam fumum amplius non edet, pulverabitur, & cum nitro miscebitur; deinde in crucibulum, vel ollam vitream successiuè per cochlearia proijciatur, fiet enim flamma, rudeq; ferrea continuò agitetur, ne ollæ parietibus adhæreat, & tamdiu agitetur, donec albescat, postea calida abluetur. Hæc enim calx antimonij dicitur.

Oleum.

Recipe Calcis antimonij, sacchari candidi pul. an. p æq.

Ponantur in retorta optimè lutata, ignisque lentus fit, qui fundũ storræ non super æquitet. Sed tantum lambat, ne materia intus exturgens egrediatur: & sic igne suaui gradnatim ipsum augendo, destilletur oleum instar sanguinis: deinde in balneo separetur phlegma ab oleo, & vbi phlegma incipit destillare rubeum, cessandum à destillatione.

Hoc oleum ita à phlegmate separatũ circulari debet per aliquot dies donec ab ipso separetur sedimentum nigrũ, quod in vasis fundo remanebit.

Hoc oleum est summarũ facultum, lubricat aluũ, aperit obstructiones, Hypocondriacis mirifice prodest.

Oleum Arsenici.

Recipe Arsenici.
Salis nitri an p. æq.

Misce f. puluis subtilissimus,& p cochlearia successiuè proijciatur in ollam vitreatam ignitam, destillatione enim philosophica fumi arsenicales euaporabunt,& liquor oleaginosus in fundo vasis remanebit.

Valet ad omnia vlcera, si aliquę illius guttæ aquæ rosarum admisceantur, vt fiat veluti lac.

Oleum Antipharmacum

Recipe Olei antiquissimi lib. I.
Scorpionũ sub canicula captorum, quindecim diebus comis basilici nutritorum lib. I.

Scorpiones viui ponantur in supradicto oleo, ibique spatio 40. dierum asseruentur, & ad Solem exponantur, postea bulliāt in balnio mariæ in prædicto oleo, post ebullitionem petia obducantur,& torculari exprimantur,cui expressioni adde,

Rhab. el.
Aloes.
Croci.
Spicæ Nardi.
Myrrhæ an. onc. I. s.
Dictami.
Bistortæ.
Tormentillę.
Gentianæ an. dra. VI.
Theriacæ.
Mitridatij an. onc. III.

Contundenda grossiter cõtundantur; omniaq; simul in corporentur: deinde in vrinali vitreo tumulentũ, vel terreo vitreato cũm suo antinotorio clausis optime iuncturis, & sic maneant in fermentatione in balneo mariæ octo diebus: post fermentationem augeatur ignis p 24. horas, & rursus torculari fiat expressio, oleumque cum expresso, in vase vitreo obturato soli exponatur per 20. dies.

Oleum ex Albumine Ouorum.

Recipe Albuminis ouorum.
Olei com. an. q. v.

M. optime agitentur, postea ex retorta lutata conuenientis magnitudinis destillentur ad tertias; Ignis fit ex carbonibus primo quidem lentus, postea augeatur S. A. valet ad dolores articulares.

Oleum ex Vitellis ouorum.

Recipe centum oua recentia, & extrahantur vitelli, & hi ponantur in vrinali, in balneo mariæ per 40. dies: postea decantetur oleum supernatans valet ad contusiones, vulcera, cicatrices.

Oleum Balsaminum.

Recipe Olei oliuarum veteris lib. VII.

Olei

Olei anethini. lib. II.
Aquæ vitæ. lib. I.
In fundantur S. A. in ſraſcripta.
℞. Florum Salicis.
Roris marini
Sem. linguæ canis.
Roſarum.
Violarum an. m. I.
Millefolij.
Conſolidæ maioris.
Serpentinæ.
Cynogloſſę.
Florum tapſi barbati.
Chamedryos.
Florum betonicæ.
Altheæ.
Foliorum cupreſſi.
Centaureæ maioris.
Florũ cardui ſancti an. m. II.
Valerianę. vnc. III.
Perforatę cum ſemine vn. IV.
Therebentine. lib. II.
Olei abietini. lib. I.
Boracis liquidæ. dra. II.
Myrrhæ electæ.
Ligni aloes.
Styracis calamitæ.
Colophoniæ. an. dr. VI.
Cinnamomi. vnc. II.
Mummiæ.
Gummi hæderæ an. vnc. s.
Gummi elemi.
Nucis muſcatæ.
Belzoini. an. dra. VI.

Omnia infundantur per VIII. dies poſtea bullant, deinde colentuntur, quibus, adde.

Olei veſicarum vlmi.
Succi plantaginis.
Reſinæ pini.
Thuris, maſticis, an. parum, maneant ad ſolem per 40. dies. Valet ad papulas, ad peſtem, ad neruos inciſos, ad vlcera ad gangrænas, ad cancros, ad fiſtulas, ad aſthma, ad contuſiones, ad achores, ad dolores, & ad horrorem quartanæ inungendo ſpinã dorſi.

Oleum Cytoniorum potabile.

Recipe Olei oliuarum dulcis, & odorati lib. I.
Carnis cytoniorum cum cortice. vnc. V.
Carnis cytoniorum ſine cortice cribratæ. vnc. III.
Anixorum electorum contuſorum. vnc. I. s.

Miſce bulliant in vaſe vitreo in balneo mariæ ad conſumptionem humiditatis cytoniorum, deinde per linteolum diligenter exprimatur, & vaſe vitreo ſeruetur. valet in doloribus nephriticis.

Oleum Cranÿ.

Recipe Cranium hominis rubri ſuſpenſi annorum 25. vſque ad 35.

Primo, Præparetur S. A. & ab omnibus pilliculis expurgetur; deinde in furno mediocriter calido ponatur, donec exſiccetur quod fiet per horam.

Secundo, Siccatum in mortario aeneo contundatur craſſo modo, & in retorta optime tumuletur, igne reuerberij deſtilletur, graduatim ignem augendo, donec totus humor ſit deſtillatus.

Tertio, Separetur oleũ ab aqua in vrinaliq; vitreo, vel in vaſe Hermetico per tubos brachiales circule-

colatur per 24. horas in balneo mariæ.

Valet ad epilepsiam, & præsertim ad pueros epilepticos, si duæ vel III. guttæ, vel in lacte, vel in aqua liliorum conuallium, vel alterius similis exhibeantur.

Oleum Fuluum.

Recipe Olei oliuarum lib. II.
Sem. lini lib. I.
Corticum viridium duorum limonum.
Sachari candidi. vnc. I.
Rhapontici. lib. I.
Curcumæ. lib. I.

Contundenda, contundantur, & puluerentur, postea infundantur in prædicto oleo, in vase vitreo obturato, vel luto, vel sigillo hermetico, & reponatur in fimo equino per tres menses: postea enim inuenies oleum fuluum tamquam aurum, omnia enim in liquorem conuersa erunt.

Crines fuluos facit, & longos.

Oleum Balsami ad vulnera.

Recipe Therebentinæ claræ lib. III.
Olei sem. lini. lib. I.
Resinæ pini. drag. V.
Thuris elect.
Myrrhæ.
Masticis albæ.
Aloes hepaticæ.
Macis optimi.
Croci finisan. vnc. II.
Ligni aloes vnc. s.
Succi betonicæ. vnc. III.
Foliorum balsaminę. m. II.
Rubeæ tinctorum. vnc. I.

M. contusa infundantur, in supradicto oleo, & therebentina, vt per alembicum destillentur bene lutatum; in principio præbe illis ignem suauem; promanabit aqua clarissima separatim seruanda; cũ inceperit mutare colorem, mutabis recipiens, & sigillabis diligenter iuncturas ne expiret. sic prouenit oleum, tãquam vinum, rubrum augebis ignem donec tota substantia sit extracta: seruabis in vase vitreo bene clauso. vulnus hoc oleo calido vngatur; & deinde petiæ in eodem mergantur, vulnere inuncto apponendæ: tandem alia petia in vino, aut græco calido mersa prioribus petijs supra ponatur.

Oleum pro paralysi alijsq; morbis frigidis.

Recipe Rutæ,
Hypericonis.
Artemisiæ.
Abrotani.
Maioranæ.
Anethi.
Dauedæ.
Nasturtij.
Saluiæ.
Sabinæ.
Absinthij.
Betonicæ.
Hysopi.
Bugloſſę an. m. II.
Baccarum lauri.
Nucum cupressi.
Nucis muscatæ.
Cinnamomi.

Ca-

Caryophillorum.
Myrrhæ.
Thuris.
Baccarum Iuniperi.
Foliorum oliuarum.
Assæ fœtidæ, an.drach. II.

Terenda terantur & bulliãt omnia in olei oliuarum lib. III. Ad consumptionem herbarum, & in fine addantur aromata, & postea seruetur in vase vitreo.

Oleum Balsami ad plagas.

Recipe,
Therebenthinæ optimæ, lib. II.
Styracis liquidæ, vnc. II.
Myrrhæ electæ.
Ligni aloes.
Styracis calamitæ.
Croci.
Colophoniæ, an. drach. VI.
Spicæ Nardi.
Mumiæ electæ.
Masticis, an. vnc s.
Gummi hederæ.
Gummi elemi.
Nucis muscatæ, an. vnc. I.
Belzoini.
Caryophyllorum, an. dr. III.
Moschi orientalis. gr. II.
Aquę vitę optimæ, vnc. VI.
Flor. & sem. Hyperici, m. s.

Misce, & grosso modo omnia contusa ponantur in vitreo vase, satis capace, & optimè clauso, quod per octo dies in balneo mariæ pones; & postea in cinere destillabis aquam ex retorta, deinde mutato recipiente, elicies etiam oleum igne forti; & aqua dicta, & oleum seorsim in vasis vitreis bene clausis seruentur.

Oleum hoc neruos incisos restituit integros breui tempore; si locus vulneratus vngatur eo calido: deinde imponatur petia linea imbuta vino albo tepido.

In plagis tam antiquis, quam recentibus, siue ferro, siue ligno, siue lapide, sint inflictæ, eodem dicto modo vtere.

In plaga venenata, vnges partes plagam circumstantes, oleo hoc, cauens tamen ne quid illius intra plagam sese deriuet.

Post hanc inunctionem, linteum vino albo tepido madefactum superimponetur.

Qui venenum per os hausisset capiat, drachmas I. in vino, vel iure.

Valet ad cancros, vlcera, apostemata, & alia mala.

Valet ad dolores antiquos, catharros, & stomaci vitia.

Oleum anodynum emplasticum.

Recipe Pinguedinis porcinæ.
Humanæ.
Equinæ.
Medullæ Tibiarum bouis.
Therebenthinæ, an. vnc. VI.

Misce, & pone omnia in vrinali terreo cum suo cooperculo, & extrahe oleum in cineribus à principio lentum ignem subducens, semper tamen augendo, donec quicquid olei inest eduxeris.

Fiat inunctio calida, & postea pe-

petiæ calidæ ebriatæ applicentur.

Oleum Eremitarium.

Recipe,
Rutæ.
Menthæ.
Anethi.
Camomillæ.
Danedæ.
Foliorum Liliorum alborũ, an. m. I.

Ponantur dictæ herbæ in oleo optimo antiquo, vt submergantur in eo; vas etiam sit optimè clausum, ne respiret, sicque exponè Soli tamdiu, donec olei pars tertia sit consumpta.

Hoc oleum fronti, temporibus, inunctum, capitis dolores tollit; si regio vmbilicalis inungatur, ventrem mouet: valet contra dolores iuncturarum.

Oleum ad maculas faciei.

Recipe,
Myrrhæ electæ.
Salis Armoniaci, an. vnc. IV.
Misce pul. subtilissime.

Accipe Oua gallinacea recentia numero quatuor, & coque perfectè in aqua fontana; Hoc facto, remoue ab igne, & excortica: postea scinde per medium, & vitellum exime, in cuius locum substitues tantum prædicti pulueris de myrrha, & sale, vt cauitas expleatur, deinde cōiunguntur iterum, & ligantur filo, ponanturque in loco humido subterraneo, suspensa, ita vt subiectum aliquod vas respondeat, descendit oleum vsui seruandum.

Oleum emolliens, & resoluens pro Herniјs tophaceis.

Recipe,
Olei sambucini.
Sem. Lini.
Balsamini, an. vnc. I.
Olei ex lateribus.
Spicati, an. vnc. S.
Pinguedinis anseris.
Butyri antiqui, an. vnc. II
Succi ebuli.
Cucumeris agrestis, an. vnc. I.
Ammoniaci.
Bdelij.
Styracis in vino optimo dissoluti, an. vnc. S.
Therebinthinæ, vnc. II.

Misce fiat vnguentum S. A. quo inungatur tumor.

Abluatur pars cum aqua marina, in qua bullierint; malua, radices altheę, melilotus, absynthiũ, & huiusmodi alia.

Oleum Therebenthinæ.

Recipe,
Therebenthin. claræ, vnc. VI.

Ponatur in bocia parua cum alembico, & recipiente optimè clausis iuncturis, quæ boccia tumuletur in paropside cum arena, igne que lento carbonum accensorum

rum destilletur aqua clara; & cum ea oleum paulatim, subtrahendo arenam, vt oleum clarum destilletur.

Valet ad vulnera capitis potissimum.

Oleum ad multiplicandos capillos, & colorandos.

RECIPE,
Mellis despumati, lib. II.
Pinguedinis gallinæ rec.
Seui vrsini, an. lib. s. ℞
Masticis pul. vnc. I. s.
Frenu greci, pul. vnc. II.
Croci, drach. I.
Tragacanthæ, vnc. s.

Misce & in diebus canicularibus soli exponantur in vitreo vase & fiet oleum mirabile quo crines iniungantur, & abluantur lixiuio facto ex cineribus, & spica.

Oleum Vitrioli.

RECIPE,
Vitrioli Romani rubificati, lib I.
Antimonij crudi.
Sacchari candidi. ℞
Aquæ vitæ finissimæ, an. vnc. III.

Misce, & omnia grossiter contusa mitte in bociam, & igne forti destilla aquam, quam seruabis in vase vitreo bene clauso. Huius aquæ drach. IV. in vino, aut iure propinatę, mouent vrinam suppressam.

Oleum quo casus capillorum prohibitur.

RECIPE,
Euphorbij pinguis, drach. I.
Radicum Tapsiæ, drach. II.
Caryophilorum, drach. I. s.
Olei amygdalarum dul. lib. I.

Tritis terendis, bulliāt in duplici vase per octo horas, deinde quiescant postea, iterum bulliant per horas octo; & deinde quiescant. Hoc cum fuerit tertio factum colentur per pannum diligenter, & in ampula seruentur vitrea.

Oleum Vulnerarium.

RECIPE,
Olei abietini, vnc. II.
Rosat. compl. vnc. I.
Sem. Hypericonis vnc. II.
Balsaminæ.
Tormentillæ, an. drach. II.

Herbę in puluerem tenuissimū redigantur; deinde omnia misce, & pone in vase vitreo; inque balneo maris per duas horas bulliant cum suo antinotorio; deinde exprime, & forti exprefione cola, colatura seruetur in vase vitreo bene obturato.

Petiæ imbutæ hoc oleo calido applicentur vulneribus pro dolore leuando.

Oleum preciosum.

RECIPE Tegulas antiquas rubeas, & extingue in olei antiqui oliuæ lib. II. postea,
℞. Costi, vnc. VI.

Castorei, vnc. I.
Spicæ Nardi.
Zingiberis.
Caryophillorum.
Aloes.
Styracis, an. vnc. s.
Saxifragiæ.
Scammoneæ.
Myrrhæ, an. vnc. I.
Rutæ.
Betonicæ.
Apij, an. vnc. I I.
Moschi, drach. I.
Omnia subtilissime pul. & ponantur in oleo in quo stent tegulæ, & lento igne distillentur per Alembicum, donec veniat oleum, quod oleum benedictum vocatur proficit in morbis frigidis, qualescunq; illi sint, sicut parylisis.

Oleum Armoniaci.

Recipe Armoniaci boni, & pinguis, vnc. VI.
Aluminis plumæ, vnc. I I I.
Imponantur simul in retorta lutata, cum suo recipiente, subdatur ignis ab initio lentus, paulatim augescens, extrahes aquam & oleum, vnumquodque horum separatim seruabis in vase vitreo obturato. Ad vlcera.

Oleum ad neruorum contractiones.

Recipe, Therebenthinæ optimę, lib. I I I.
Galbani optimi, lib. I.
Olei communis, vnc. VI.
Laurini, vnc. I I I.

Misce, omniaque mitte in retortam bene lutatam, aut in vrinale terreum, cum suo cooperculo magno. & recipiente magno, subijciens à principio ignem suauē, semper eum fortificando, donec oleum destillatum sit totum, quod seruandum in vase vitreo optimè clauso.

Oleum stomachicum.

Recipe, Nucis Moscatæ.
Caryophillorū, an. vnc. I I.
Ligni aloes, vnc. s.
Macis, vnc. I.
Squinanti, vnc. I.
Masticis, vnc. V.
Olei *Masticis*, lib. I I.
Contūdenda contundantur omniaque in vrinali vitreo in balneo marię per octo dies fermententur: postea colentur, & exprimantur, & oleum in vase vitreo seruetur sæpe miscendo.

Oleum pro Spasmo.

Recipe, Betonicæ.
Absynthij.
Abrotani.
Radicum Iridis.
Peucedani.
Baccharis.
Gentianæ.
Serpilli.
Dragonteæ.
Costi.
Squinanti.
Pulegij.
Radicis brancæ vrsinæ.

Liliorum alborum
Eryngij.
Calaminthæ.
Pastinacæ.
Esulæ.
Sem. Apij.
Rad. altheæ.
Sem. maluæ.
Verbasci.
Bryoniæ albæ.
Panis porcini.
Herbæ gattæ
Imperatoriæ.
Querciolæ.
Arantiorum paruorum.
Florum hypericonis.
Radicũ Aristolochię rotundę
Iuæ artheticæ, an. vnc. I.

Infundantur in lib. VI. vini græci per 24. horas, & bulliant in balneo mariæ ad cõsumptionẽ medietatis, postea exprimantur, quibus adiunge Olei anethini viridis lib. I.

Olei camomillę.
Liliorum alborum.
Olei nucis.
Sem. lini.
Hypericonis.
Olei Irini.
Sesamini an. vnc. VIII.
Succi foliorum, & fustium maluæ. lib. I.

Rursus in balneo bulliant ad cõsumptionẽ vini, & succi horis 24. postea exprime, & cola, quibus adiunge.

Therebentinæ Venetæ. vnc. IIII.
Styracis liquidæ. vnc. III.
Castorei.
Assę fœtidæ.
Sagapeni, galbani an. vnc. s.
Croci. dra. II.

Bulliant in dicto oleo in balneo tribus horis, postea exprime, cola, & seruetur in vase vitreo.

Anodynum resoluens.

Recipe Antimonij crudi lib. VI.
Olei communis lib. I.
Therebentinæ cypriç lib. I. s.
Thuris electi. vnc. I.
Myrrhæ electæ. vnc. s.
Cinnabrij nigri. vnc. II.
Medullæ tibiarum vituli, aut eius loco bouis. vnc. IIII.

Pul. puluerizentur, & postea ponantur omnia in vas ferreum; bulliantq́; donec sint apud ignem lentum bene incorporata, semper miscendo cum spatula lignea, & remota ab igne quiescant vsq; quo ad teporem deuenerint. Dein in retortæ bene lutatæ fundo pone duas scutellas vitri grosso modo triti, supra quod funde dictas materias, sitq; retortæ annexum suũ recipens clausis iuncturis; & hinc oleum extrahes à principio ignem excitans lentum, semper eum augens versus finem, vt omne oleum exstillet; quod est transparens, hocque serua in vase vitreo clauso.

Oleum pro hæmoroidibus.

Recipe Olei violati.
Mellis communi.
Succi rosarum.
Succi Hermodactilorum.
Succi absinthij an. vnc. III.

Mille pedum qui nascuntur in cella vinaria, aut alijs locis humidis nu. 100. omnia misceantur, bulliantq́; ad consumptionem succorum

corum postea cola cum forti expressione: expressum hoc oleum in vase vitreo repone, & tempore vsus calidum adhibe.

Oleum Mercuriale.

Recipe Antimonij. vnc. III.
*M*ercurij sublimati. vnc. s.
*M*ellis. vnc VI.

*M*isce destilletur oleum ex retorta igne lento, valet ad vlcera phagedenica.

Oleum Sachari.

Recipe Sachari fini lib. II.
Cinnamomi.
Caryophilorum.
*M*acis an. vnc. s.
Camphuræ. dra. II.

Infund. in lib. s. aquæ rosaceæ, & in balneo mariæ destillentur s. A. in syncope prodest.

Oleum Sulphuris Gallicum.

Recipe Therebentinæ claræ. vnc. VI.

Primo, Ponatur in boccia vitria parua cum suo alembico, & recipiente optime clausis iunctu ris. Hæc boccia tumuletur in paropside cum arena, igneque lento carbonum accensorum destilletur aqua clara, & cum ea oleum, paulatim subleuando arenam, vt oleū clarum, & cristallinum habeatur interim ℞. sulphuris q. s.

Secundo, Contundatur, & cum prędicto oleo in ventosa vitrea misceatur. Huius mixturæ ℞. vnc. II.

Tertio, Ponatur in vase vitreo colli breuis, & super carbonibus bulliat; donec spumam rubeam concitet, & intumescat vsque ad medium vasis, quod spatiō duarū horarum fieri solet.

Quarto, Huic mixturæ turgenti statim adiungantur salis Tartari pul. vnc. II.

Et denuo soluatur, & fundatur donec fiat tamquam caro rubea.

Quinto, Postea foras extrahatur talis mixtura carnosa, & sub. pul. & in ampulla vitrea ponatur cum aqua vitæ rectificata, donec aqua colore sanguinis tingatur, & tamdiu super affundetur aqua, donec amplius colore sanguinis non tingatur.

Sexto, Tandem hęc aqua in balneo mariæ destilletur, nam in fundo remanebit oleum rubeum ad instar rubini.

Septimo, Et si oleum nimis densum remaneat iterum aqua vitæ soluatur; & aqua rursum destilletur; sic remanebit oleum clarum, & subtile.

Luem gallicā catarrhosam curat siccando, abstergendo, roborando, si duæ huius olei guttæ cum aliquo decocto pro lingua vice exhibeantur, curat quoq; vlcera gallica, illiniendo cotone.

Oleum ad Vermes.

Recipe Absynthij.
Rutæ.
Abrotani.
Marrhubij.
Herbæ S. Mariæ.
Matricariæ.
Rutę caprariæ.
Anixorum.
Agrimonij.
Calaminthæ.

Pu-

Pulegij.
Foliorum persicæ.
Saluiæ.
Betonicæ.

Contundantur, & ponantur in olla vitreata, quibus adde olei cõmunis tantum quantum sufficiat, pòstea torculari exprimantur, deinde bulliat oleũ cum tantillo ceræ nouæ, oleum seruetur ad vsum.

Valet ad vermes inungendo furculam pectoralem, tempora, nares, vmbelicum, spinalem medullam, plantas pedum, & volas manuum.

Oleum Barbitonsoris.

RECipe Bdelij.
Galbani an. dra. v.
Opoponacis.
Sagapeni an. dra. IIII.
Ammoniaci. vnc. II.

Contundenda, contundantur, & infundãtur in duobus cyathis aceti fortissimi per duos dies sæpe miscendo, ad hoc, vt optime incorporentur.

Postea ponantur omnia in vrinali aperto, igneq; lento acetum euaporet ad medietatem, quod reliquum est, coletur, & exprimatur, rursusq; acetum igne lento bulliat, donec fit totum euaporatum.

Interim ℞. olei hypericonis. lib. I.
Aristolochiæ longæ. vnc. I.
Lapidis calamitæ. vnc. I.

Lapis, & Aristolochia, in pollinem redigantur, igneq; lento cũ oleo hypericonis permiscantur. Interim.

℞. Myrrhæ.
Olibani.
Masticis.
Lapidis hęmatites an. vnc. I.

Hæc cum supra posito oleo hypericonis misceri debent, quibus tandem misceri debet illa expressio aceti superius euaporati omnia que optime incorporari debent.

Hæc sic mixta pone in retorta optime lutata cum suo recipiente, clausisque iuncturis, ignis lentus à principio excitetur; paulatimque augeatur, donec tota substantia exeat, cui postea debent adiungi therebentinæ claræ vnc. VI. igne lento, & clausum seruetur.

DE AROMATIBVS.

INter aromata quæ in vsu sunt ad condiendos cibos sunt.
Piper.
Zinziber.
Caryophylli.
Nux muscata.
Cinnamomum.
Et Crocus.

Quo ad piper, hoc potissimum est in vsu ad discutiendos flatus, nõ tamen debet esse in vsu puluerizatum; Sed tantum grossiter contusum, quia sic non ingreditur venas, & iecur non excalefacit ex Galeni author. *Piper.*

Galenus quoq; ad corrigendã flatulentiam ptisanæ, decoquebat piper vna cum hordeo in iure. *Oleum piperis.*

Ex pipere destillatur oleũ ad febres tertianas intermittẽtes chronicas, & ad ventriculi inflationem.

Zinziber minus calefacit, quàm piper

piper: Hos pariter discutit flatus, cuius vsus potissimum est in doloribus colicis, imò zinziber conditum, quod Venetijs adfertur, deglutitum ad drag. II. est insignis virtutis.

Zinziber Cdit.

Caryophyllus. Caryophylli sunt superioribus minus calidi, magis tamen crassi, suntq; ventriculo, & cerebro grati; ideo in remedijs pro cerebro frigido, vt in cucuphis, caryophylli ponuntur.

Nux moscata. Oleum nucis di. Nux moscata est omnium temperatissima, & ventriculo magis amica: eius oleum stat loco succi balsami in componenda theriaca: Et hoc oleo inungimus os ventriculi superius in ipsius doloribus à causa frigida.

Nuce hac condita feliciter vtimur in paralysi linguæ.

Cinnamomű. Cinnamomum est calidum, sed etiam aliqua adstringendi vi potitur; Ideo nedum in condiendis cibarijs, sed etiã pro ventriculi flatulentijs destillatur aqua, oleum; & ego paro confectionem cinnamomi in tabellis gratissimam hoc modo.

Confect. cinnamomi.

℞. Sacchari fini lib. I.
Contundatur, cui adde.
Aquæ cinnamomi destillatæ. vnc. III.

Coquatur Saccharum ad consistentiam becchiarum, sed in fine adde.

Olei cinnamomi veri scr. I. s.
Aquæ cinnamoni octauam partem.
Misce, & f. confectio in rotulis.

Crocus. Crocus in cibarijs est etiam in vsu: Nam cor exhilarat, obstructiones aperit, & ideo in expulsione fœtus mortui eo vtimur, & in suppressione mensium, & somnum conciliat: Sed à nimio ipsius vsu cauendum est, quia cerebrum offendit.

Aqua croci. Ex croco paro aquam mirabilem in aperiendis mensibus, cuius descriptio hęc est.

℞. Succi boraginis depurati.
Succi melissę an. lib. II.
Croci Florentini vnc. I.

Fiat in fusio, & maceratio S. A. posta destillentur ex balneo vaporoso, & aqua seruetur pro vteri affectibus ex mensium, & fœminis retẽtione ortis, & pro melãcholia.

Dosis cochlear vnum in aurora ex iure.

De Obsonijs.

PEr obsonia intelligo fructuum species, quæ cũ passim omnibus innotescant, idcirco, cum nihil noui in his habeam, breuitatis studio omittam. Et hęc compendiosè dicta sint de cibo.

DE POTV.

POst cibum sequitur potus, de quo, quid sit, & quotuplex, videndum est.

Quid potus. Potus nihil aliud est, *quàm substantia liquida pro cibi distributione reperta*. Genus definitionis *sudstantia liquida*, quæ de omnibus potulentis prędicatur. Differentia, est quando dicitur, pro cibi distributione.

substantia liquida.

Hæ enim particulæ, potum in esse potus, à cibis contra distinctum ponunt.

Quoad potus differentias, hic est duplex, vinum, & aqua Dicamus primò de aqua.

De Aqua.

De aqua dicendum est, quid, & quotuplex sit.

Quid aqua. Genus. Aqua est *potulētum frigidum, & humidum. Potulentum* est genus; *frigidum, & humidum* est

Differētia. differētia, qua aqua differt à vino.

Aqua est duplex; simplex, & cō-

Cōditiones aquæ simpl. posita. Simplicis conditiones bonæ sunt istæ, quòd sit *leuis, dulcis, & cocta:* Aqua autem tripliciter coquitur, vel calore Solis, & hic modus non est admodum laudabilis: vel coquitur in lebete, & paropside, & hic modus est melior. Tertio modo coquitur, & destillatur balneo mariæ, & hic est optimus modus, quia tota portio terrea in vasis fundo subsidet.

Aqua composita est illa, quæ alteratur; alteratur autem, vel per ebullitionem, vel per traiectionē, vel per commixtionem, vel per destillationem.

Vsus aquæ calidæ. Vsus est hoc tempore accipere *aquam communem calidam* cum saccharo ad cyathum vnum duab. horis ante cibum, & compertū est, mirabiliter conferre in ventriculi imbecillitate, etiam venarum mesaraicarum obstructionibus, etiā ferè tota Hispania, ea vtitur, quod est Auicennæ.

Aquæ quæ sunt in vsu continuo factæ per ebullitionem sunt,

Aqua hordei.
Aqua saccharata.
Aqua mulsa.
Aqua graminis.
Aqua coriandrorum.
Aqua cinnamomi.
Aqua santalorum.
Aqua lentisci.
Aqua pectoralis.
Aqua lentium.

Aqua hordei fit cum hordeo, tam cum, quàm sine cortice. Ex hordeo.

Hac vtimur in febribus, earumque sudoribus iuuandis.

Aqua saccharata fit cum saccharo, & taleolis limonis, vel citri, & hac vtimur in febrib. malignis. Ex saccharo.

Aqua mulsa fit cum melle, qua vtimur in thoracis affectibus ab stergendis; huic etiam adiungere solemus folia saluiæ in affectibus cerebri. Ex melle.

Aqua graminis fit ex ebullitione graminis, qua vtimur in abigendis vermibus puerorum. Ex gramine.

Aqua coriandrorum fit cum coriandris præparatis contusis, donec colorem vini acquirat. Hac vtimur in ijs morbis, in quibus vinum est suspectū, & aqua propter eius flatulentiam. Ex coriandris.

Aqua cinnamomi fit cum cinnamomo contuso, cuius vsus est idem, qui aquæ coriandrorum. Ex cinnamomo.

Aqua santalorum fit cū santalis albis, rubeis & citrinis, pro quorum drach. 1. sumitur libra vna aquæ: In iecoris intemperie calida vtimur. Ex santalis.

Aqua lentisci fit eodem modo pro singula drach. sumēdo libram vnam aquæ: hac vtimur in destillationibus, præsertim ad iuncturas. Ex lentisco.

Ex pectoralib. Aqua pectoralis fit cum
Fructibus sebesten.
Liquiritia.
Ficubus.
Hordeo.
Iuiubis, quibus adiungitur etiam lignum visci quercini in morbis thoracis, vt in pleuritide.

Ex lentib. Aqua lentium in morbillis, & variolis fit hoc modo: Accipiantur lentes, & hordeum cum cortice; & simul bulliant vnica ebullitione: Deinde proijcitur illa aqua, & rursus bulliant in alia aqua vsq; ad colorem: qua postea vtimur, vt humores ad cutim propellantur: Et hæ sunt aquæ, quibus continuò vtimur.

De Aquis alteratis per traiectionem.

Aqua panata. Alteratur etiam per traiectionem; traijcitur autem aqua per linteum rarum vna cum pane infriato, sæpius eam transcolando, quæ ideo aqua *panata* vocatur: Hac vtimur in ijs casibus, in quib. est suspectum vinum, etiam in quibus est intentio nutriendi.

De Aquis alteratis per commixtionem.

Alterantur aquæ per commixtionem: commiscentur autem, vel cum aqua, vel cum vino, vel cum destillato, vel cum iulepo.

Mixta cum aqua. Aqua mixta cum aqua, illa est potissimum, quæ alteratur cum *aqua cinnamomi* destillata, sumẽdo Cyathum aquæ cum duabus, vel tribus guttis aquæ cinnamomi destillatæ: qua vtimur in his, qui flatulentiam patiuntur, & propter morbi naturam vinum bibere nequeunt.

Aqua mixta cum vino, illa est potissimum, quæ miscetur, cum vino granatorum, vel cum vino cerasorum. Dupliciter autem permiscetur; vel cum ebullitione, vel sine: Cum ebullitione quidem sumẽdo v.g. medium boccale aquę cum lib. s. vini granatorum, vel cerasorum: Sine ebullitione, miscendo vnam partem vini cum quatuor aquæ: prima est tutior secunda. *Cum vino.*

Aqua etiam miscetur cum destillato, vbi est intentio nutriendi. *Cum destillato.*

Aqua tandem miscetur cum Iulepo, præsertim violaceo.

Turcæ miscent aquam cum liquore quodam prunorũ, vel limonum, vel cerasorum, quem appellant *sorbetto*, cuius descriptio cum adhuc mihi nota non sit, idcirco vobis aliàs patefaciam. *Turcarum aqua.*

De Aquis destillatis.

Alterantur aquæ per destillationem, & sunt in duplici discrimine: Nam alia est aqua ex aqua destillata, & hæc est *aqua cõmunis destillata* ex balneo maris. Alia verò est aqua ex simplicibus destillata quæ aqua *stillatitia* dicitur, vt aqua cichorei, boraginis, acetosæ, endiuiæ, & similes. *Aqua cõmunis destillata.* *Aqua stillatitia.*

Destillantur autem aquæ, vel per vitrum, vel per plumbum: Quę destillantur per plumbum prauæ sunt; quæ per vitrum, optimæ sunt; Quæ destillantur per vitrum, vel destillantur per balneum mariæ, vel

vel per vitrum, quod cucurbita dicitur, & hæ sunt magis laudabiles, quia non redolent odorem alembici, sicut illę, quæ per balneum destillantur.

DE AQVIS CVRATIVIS. Appendicula.

POst aquas cibi distributionem respicientes, sequitur breuis appendicula diuersarum aquarum ad diuersos affectus conducentiũ, quę per modum digressionis hic in aliquorum gratiam, & vtilitatem ab authore ponuntur.

Aqua Benedicta.

QVercetanus, lib. 1. de Aquis c. 7. aquam quandam, quam Rulandi esse existimat, sub terminis. obscurissimis proponit, propter eximias eius vires, benedictam appellatam: quæ cum hucusque pluribus incognita fuerit, iccirco hoc loco eã declarare mihi consultum est, vt quam perspicua, & limpida omnibus fiat. Hanc benedictam aquam *ex Magnesia Saturnina opalina, & pellucida* fieri autumat, vna cum sale prunellæ: qui primo vult scire quid sit hæc aqua, operepręcium est videre, quid sit hæc magnesia; subiungit Quercetanus eodem loco, esse *crocum metallorum:* crocum autem hunc metallorum fieri ex magnesia, calcinatione physica calcinata, donec iecoris cuiusdam cocti colorẽ adipiscatur: sed in terminis est petitio principij ad idem specie, quia ignotum per ignotius declaratur, magnesia est crocus; crocus fit ex magnesia; magnesia est *metallorum radix, & primum ens.*

Dico igitur magnesiam hãc nil aliud esse, quam Antimonium ipsum: hoc enim quia est diuersicolor, ad diuersos enim mutatur colores album, rubeum, purpureum, croceum; iccirco opali colorum iridem præseferentis, similitudine, opalinum tropicè ab ipso dictum est: radix vero, primumque metallorum ens nuncupatur, quia, vt in Tract. de metallorum germinatione declaraui, in se continet mercurium illum coagulatum, qui est anima omnium metallorum; nulli dubium ergo esse debet, magnesiam hãc esse Antimonium ipsum.

Ex hoc fit crocus calcinatione physica: calcinatio autem philosophica fit cum sale nitri in crucibulo ignito, seu cum sale prunellæ, quę fit ex nitro, & floribus sulphuris; hoc modo.

℞. Stibij vngarici venosi.
Salis nitri, vel lapidis prunellæ, an. lib. s.

Deducantur in pollinem tenuissimum, simulq; misceantur. Postea crucibulum optimè candens fiat, & in ipsum ignitum successiuè per cochlearia puluis totus proijciatur: concitabit enim flammam, & calcinabitur: tamdiuque in crucibulo ignito resideat, donec amplius non effumet, rudeque lignea agitetur, vt calcinatio perficiatur, & materia parietibus non adhærescat.

Hoc facto, crucibulum ab igne remouebis: in eius enim fundo habebis calcem antimonij croceum instar alicuius hepatis cocti.

Croceum hûc in mortario ęneo contundito, & subtiliter teratur; dein super marmore macinetur, vt fiat puluis ad alcool.

Super hunc aquam calidam bullientem proijcito, vt salis nitri amaror extrahatur. Deinde aqua per inclinationem separetur, & tamdiu aqua calens repetatur, Super dictum crocum, vt non amplius amaritudo gustu percipiatur.

Et quia semper aliquæ partes antimonij non sunt optimè calcinatę, idcirco illas oportet ab optimo croco separare, illasque seorsim retinere.

Hic crocus ita defæcatus, & depuratus ad Solem, vel ignem lentum exiccetur, & in vase vitreo asseruetur.

Dosis huius croci in substantia est ad gra. IIII. vsq; ad scrup. s.

Et ex hoc paratur aqua benedicta tali pacto.

℞. Croci metallorum, vnc. I.
Aquæ cardui benedicti. lib. III.
Cinnamomi, vnc. s.

Macerentur per triduum, deinde transcolentur.

Et aqua vsui seruetur.

Dosis est ad vnc. I. s. ad enodabiles affectus, vt in meo antidotario chimico dogmatico habebitur.

Ex tali etiam croco parantur flores fixi ad curandam luem gallicam mirabiles; quomodo autem, in tractatu de compositione medicamentorum secundum Hermeticos declarabitur.

Aqua cordialis saxoniæ in febribus malignis vtilissima.

Recipe succorum boraginis.
Buglossæ.
Melissæ.
Bistortæ.
Tormentillæ.
Verbenacæ.
Axylapathi.
Acetosæ.
Rutæ caprariæ.
Myrrhidis.
Cyani maioris, & minoris.
Rosarum.
Calendulæ.
Limonum.
Citri, an. vnc. VI.
Pimpinellæ.
Saxifragiæ.
Pentaphylli, an. vnc. III.
Aceti vini albi. lib. I.
Seminum portulacæ.
Florum Nymphææ, an. drach. II.
Seminum citri, vnc. s.
Terrę Lemniæ.
Silesiacæ.
Samiæ, an. vnc. I. s.
Specierum Santalorum.
Margaritarum prępararar. cum acido citri, an. drach. III.

Infundantur species in succis, & maceratio per dies tres fiat loco tepido; deinde destilla alembico vitreo.

Dosis ab vnc. s. ad II. vel III. duabus horis ante cibum.

Alia Cordialis.

Recipe Succi acetosæ.
Sonchi an. lib. II.
Succi oxylapathi.
Limonum.
Citri.
Trinitatis.
Bistortæ.
Cyani maioris, & minoris.
Rutæ caprariæ.
Calendulæ.
Boraginis.
Buglossæ.
Melissæ an. lib. I.
Aceti optimi vnc. XXII. s.
Seminum citri vnc. I.
Seminum portulacæ. vnc. s.
Florum nymphææ.
Violarum.
Rosarum an. vn. I. & dra. II.
Terræ sigillatæ.
Lemniæ.
Boli armeni orient. an. dra. III. & scr. II. s.
Specier. diatriunsantalor. vnc. s.
Camphoræ dra. I. & gran. XVIII.

Puluerentur puluerizanda, deinde infundantur omnia in succis, & aceto per 24. horas in æstate. In hyeme verò per tres dies in loco calido; deinde destilletur aqua per alem. vitreum.

Valet ad febres malignas, pestilētes, maliq; moris, & ad syncopē.

Dosis est vsq; ad vnc. IIII.

Alia Cordialis.

Recipe Succi rutæ caprariæ.
Acetosæ.
Buglossæ.
Succi boraginis.
Scorzioneræ.
Sonchi.
Pentaphylli.
Pimpinellæ.
Scordij.
Scabiosæ.
Endiuiæ.
Melissæ.
Fumariæ.
Lupulorum.
Limonum.
Citri.
Pomorum.
Vincetoxici an. lib. II.

Omnes succi destillentur ex balneo mariæ: huic aquæ sic destillatæ, adde, limonum incisorum cum corticibus.
Citrorum.
Florum Boraginis.
Buglossæ.
Seminum napi.
Scorzioneræ.
Tormentillæ.
Santalorum omnium.
Coriandr. præparatorum an. vnc. II.
Margaritar.
Boli armeni.
Terræ sigillatæ an. dra. II.
Vnicornu.
Smaragdi an. dra. s.

Misce, fiat infusio, & iterum destilletur aqua, Valet ad omnes febres malignas, & pestilentes: Est. n. alexipharmacum organi frigid.

Dosis est ad vnc. II.

Aqua Aluminosa.

Recipe Aluminis rocchæ.
Aluminis zuccarini.

Su-

Sublimati.
Viridis æris.
Salis armoniaci.
Sacchari albi an. scr. I.
Bulliant in s. q. aquę ad tertias, & coletur. Valet ad omnia vlcera cancrosa, & phagedænica.

Aqua Amygdalarum amararum.

Recipe Amygdalar. amararum lib. I.
Ceterach.
Absynthij an. vnc. III.
Amygdalæ in frustula incidantur, postea duabus vel tribus vicibus torrefiant, & vino rubro austero aspergantur, & post vltimam aspersionem ex balneo Maris destillentur.
Valet potissimũ ad febres quartanas abigendas, aperiendo, & corroborando.
Dosis est ab vnc. I. ad II.

Aqua Cinnamomi simplex.

Recipe Cinnamomi electi lib. I.
Vini Maluatici lib. VIII.
Aquę rosarum sinç. lib. IIII.
Misce, fiat infusio per 24. horas, dein destilla ex balneo.
Discutit flatus. datur ad vnc. II.

Aqua Cinnamomi composita.

Recipe Cinnamomi. lib. I.
Rad. dictamni albi. vnc. IIII.
Carlinæ.
Angelicæ an. vnc. I.
Vini maluatici.
Aqua rosarum an. lib. V.
Fiat infusio per 24. horas, postea destilla ex balneo mariæ.
Valet aduersus venena, & morsus animalium venenatorum, & contra pestem.
Datur ad vnc. II.

Aqua Antinephritica.

Recipe Radic. ononidis.
Saxifragiæ.
Petroselini.
Foliorum virgæ aureæ.
Apij an. p. I.
Seminum iringi.
Alkakengi.
Asparagi.
Milij solis.
Barbæ hircinæ an. dra. II.
Lapidis iudaici dra. III.
Infundātur in optimo vino maluatico, & in balneo mariæ destillentur S. A.
Calculum è renibus, & vesica deijcit.

Alia Ducis Alphonsi Ferrariæ.

Recipe Nucleorum cerasorum accidorum num. LL.
Persicorũ mundator. nu. XXX.
Florum sampsuchi in vmbra siccatorum vnc. III.
Florum restæ bouis vnc. I. s.
Granorũ alKaKengi n. XXXX.
Gummi persici. dra. II.
Omnia infundantur S. A. in lib. IIII. vini cretici in vase vitreo in balneo mariæ: postea destillentur S. A.
Dosis vnc. IIII. pro quatuor vici-

vicibus, & vnc. vi. pro alijs quatuor vicibus, purgato corpore.

Aqua Cosmetica faciei.

Recipe Aluminis zuccarini vnc. iiii.
Argenti viui sublimati vnc. i.
Aluminis rocchæ vsti vnc. s.
Limacum albarum vnc. ii.
Therebinthinæ claræ lotæ in aqua communi, donec fit alba facta vnc. vi.
Oua recentia cum putaminib. num. xii.
Limones in frustula sectos numero xv.
Sacchari fini poluerati vn. iiii
Lactis Caprilli recentis.
Vini maluatici an. vnc. xxxx.

Terenda terantur subtiliter, & iuncta simul in vrinali vitreo ponantur in balneo mariæ pro aquæ extractione: Si balneum non habeatur, extrahatur in cinerib. igne lento, extractaq; seruetur vsui.

Faciem nitidam, coloratamq; reddit, si ea panno abluta, postea hac aqua fricetur.

Alia Decoratoria.

Recipe aquæ agrestæ.
Florum fabarum
Anguriç an. lib. i.
Lactis vaccini lib. ii.
Succi limonum lib. s.
Albuminum ouorum nu. x.
Aceti destillati lib. v.
Cerusç lotç lib. i. s.
Aluminis rocchç vnc. viii.
Misce, & S.A. destilletur aqua balneo mariç, qua facies abluatur.

Alia.

Recipe aquç fabar. vnc. vi.
Aceti acerrimi lib. ii.
Lithargyrij aurei
argentei.
Aeris vsti an. vnc. ii.
Misce destilletur aqua S A. abstergit, siccat, dealbat.

Alia Cosmetica, quæ & ad vlcera maligna valet.

Recipe rad. altheç
maluç
Cucumeris asinini
Peucedani an. vn. iii.
Salsçparillç prçp. lib. i.
Ligni sancti opt. limati lib. ii.
Santalorum alborum vnc. ii.
Ammoniaci.
Bdellij.
Galbani.
Opoponacis an. vnc. i. s.
Myrrhç electç vnc. i.
Sublimati drac. s.
Sabinç
Diptammi vtriusque
Scordij veri
Cardui benedicti.
Chamomillç.
Anethi.
Rorismarini.
Bethonicæ.
Fçnugræci.
Seminum citri.
Pulegij.
Rosarum damascenarũ an. p. i.
Misce, & omnia grosso modo contusa infunde in aquæ fluminis, vel cisternæ lib. xvi.
Vini antiqui optimi lib. iiii.

In

In bocia vitrea in balneo maris per noctes 4. & horas 4. Deinde addendo ignem destillabis aquã, quæ erit clara sicut aqua fontis, & seruabis in vase vitreo benè clauso.

Alia Cosmetica.

Accipe fructus fragarum in mense Maio, illosq; pone in aliqua canistella ex iuncis, donec putrefiant, seque in aquam resoluant, quàm serues in aliqua bocia vitrea, & cùm ea omni mane ablues faciem.

Aqua Manuum decoratoria.

Recipe Limonum decorticatorum num. x.
Lactis vaccini.
Aquæ florum fabarum.
Anguriæ an. lib. II.
Destilletur aqua S. A.

Aqua Apopletica.

Recipe Florum lilij conualliũ m. VIII.
Vini maluatici opt. lib. IIII.
Infunde per dies 5. vel 6. etiam plures, & sæpe agitetur, tum destilla in balneo mariæ postea.
℞. Florum lauendulæ m. II.
Rorismarini m. I.
Florum stæchados m. I.
Caryophyllorum.
Moscatæ.
Cubebarum an. dra. II.
Visci quercini dra. III. s.
Rad. pæoniæ vnc. I.
Diptamni albi dra. III.
Contusis contundendis ponantur in aq. dicta ad solem per dies VII. sæpe agitando, postea destilla vt supra.

Alia Aqua apop.

Recipe Florum primulæ veris
Rorismarini.
Maioranæ.
Iuæ arteticæ an. m. I.
Spec. diamoschi.
Diapliris.
Diambræ an. vnc. I. s.
Spec. confect. anacardinæ. dra. I.
Cubebarum.
Ligni aloes.
Nucis muscatæ.
Chamæpityos.
Macropiperis.
Carpobalsami an. dra. I.
Radic. Acori.
Ireos.
Aristolochiæ rotundæ, an. vnc. I. s.
Semin. sileris montani.
Peoniæ.
Fœniculi an. dra. I.
Aquæ herbę paralysis.
Saluiæ.
Bethonicæ an. lib. I. s.
Aquæ florum tiliæ lib. II. s.
Gummi serapini.
Opopanacis.
Myrrhæ.
Iuniperi an. dra. I. s.
Stent omnia simul in vini generosi s. q. infusa per dies 8. deinde extrahatur per alembicum ter in cineribus caldis, vel vapore, siue balneo sicco S. A.

Aqua

Aqua Epileptica Langij.

REc. Florum liliorum conuallium, m. VIII.
Cinnamomi, drach. VI.
Nucis moscatę, vnc. s.
Piperis longi, drach. II.
Florum Lauendullę, vnc. I.
Rorismarini.
Stęcados, an. vnc. s.
Cubebarum, drach. II.
Visci quercini.
Radic. Diptamni.
Pęoniæ, an. vnc. s.

Abscissis Florum liliorum conuallium cauliculis, imponantur soli flores vasi vitreato, consperfi puluere aliorum ingredientium, grosso modo contritorum, tandéque superinfundantur vini generosi f. q. per dies octo, & destilletur per balneum maris.

Aqua pro dentibus, & gengiuis.

REc. Succi limonum, lib. VI.
In hoc succo infundito,
Aluminis Rocchę.
Salis tartari.
Salis gemmę, an. drac. III.
Gallię Histrianę.
Myrrhi.
Foliorum Sumach.
Foliorum Mespilli, an. m. s.

Ponantur omnia in vrinali vitreo cum suo antinotorio in balneo marię per viginti quatuor horas. Postea per cineres destilletur tota aqua. Huic aquę sic destillatę, inque bocia repositę pro singula eius vncia, addito aceti rof. destillati drac. II. mellis rof. drac. I. Aquę salis communis per retortā destillatę scr. I. Misce. Seruetur in vase vitreo valet ad dealbandos dētes, ad gingiuarumq; erosiones.

Alia.

REc. Aquę maioranę.
Aquæ absynthij.
Aquę Apij.
Aquę Saluię.
Vini optimi, an. drach. III.
Aluminis rocchæ vsti.
Salis communis an. vnç. VI.
Offis sæpiæ, drach. III.
Punicis. vnc. s.
Salis armoniaci.
Boracis, an. vnc. s.
Misce, destilla.

Alia ad idem.

REc. Aquę salis nitri per retortam destillatæ, vnc. I.
Succi limonum destillati, vnc. III.
Aquæ rosarum destillatæ, vnc. II.
Syrupi de rosis siccis, vnc. I.
Misce benè, & pro vsu serua.

Aqua Corrodens.

REc. Aquam fontis, in qua per quinque, aut sex dies calx viua in sufficienti quantitate sit extincta.

Huius aquæ, ℞. lib. IIII.

In hac duodecies extingue laminam chalybis feruētem: postea in eandem aquam immerges æris vsti puluerizati, vnc. IIII.

Cinnabrij, vnc. s.

Misceantur per quatuor, vel quinq; dies, donec aqua virescat; hac vtere.

Ad verrucas, & alias hypersarcoses valet.

Aqua balsamo æquiualens.

Recipe Therebinthinæ.
Olei communis, an. lib. I.
Olei laurini, vnc. III.
Cinnamomi.
Caryophyllorum.
Baccarum lauri.
Gummi hederæ, an. vnc. I.
Tegulę nouę benè coctę, lib. i.
Armoniaci.
Opoponacis, an. vnc. I.
Laudani.
Thuris.
Masticis, an. vnc. I.

Ponantur ad destillandum per alembicum apud lentum ignem.
Valet ad frigidos morbos.

Aqua pro Epithemando iecore calido.

Rec. Aquæ rosar.
Violar. an. lib. I. s.
Spec. cerati santalini, vnc. II.
Cornu capręvsti, drach. III.
Succi limonis, vnc. III.
Croci, scrup. s.
Camphoræ, gr. x.
Succi plantag. lib. s.

Misce, infundantur per 24. horas, deinde destillentur in balneo mariæ.

Aqua Diuretica Holtzemÿ.

Recipe Florum chamomeli,
Foliorum, & rad. althææ.
Corticum raphani.
Semin. 4. frigidor. minorum.
Baccarum lauri.
Baccarum Iuniperi, an. p. II.
Herbæ Saxifragiæ.
Bethonicæ.
Sisymbrij.
Chelidoniæ.
Chamæpityos.
Parietariæ.
Gratiolæ.
Raphani.
Matris Syluæ cum floribus.
Dauci vulgaris.
Pastinacæ.
Apij, an. m. IV.
Ceparum nu. III.
Corticum radic. aperitiuarum, an. drach. I.
Radicis Ireos.
Cinnamomi, an. drach. III.
Ononidis, m. s.
Succi limonum recent. lib. I. s.
Olei Scorpionum.
Spec. Lithontribi, an. drac. I.
Laccæ lotæ, drach. IV.
Summitatum rubi m. IV.
Sabinæ m. s.
Nucleorum Persicorum, vnc. I.

Fiat infusio in s. q. vini albi optimi horis 24. deinde destilletur s. A.

Alia D. Breidenbachÿ.

Rec. Rad. Ononidis, vnc. I.
Rusci.
Fœniculi.
Asparagi.
Petroselini.
Graminis.
Pimpinellæ.

Liqui-

Liquiritiæ.
Capparorum, an. vnc. s.
Herbæ Herniariæ.
Pulegij.
Abrotani.
Virgæ aureæ.
Diptamni Cretici.
Sabinę.
Saxifragiæ.
Florum Chamomęli.
Meliloti, an. m. I.
Sem. Dauci.
Anisi.
Carui.
Petroselini Maced.
Fæniculi.
Milij Solis.
Raphani.
Genistæ.
Maluæ.
Seseleos, an. vnc. s.
Baccarum lauri.
Iuniperi.
Alkekengi, an. vnc. I.
Nucleorum prunorum.
Persicorum.
Cerasorum, an. drach. VI.
Vini optimi, lib. IV.
Ononidis, lib. III.
Post macerationem horarum 24. fiat destillatio per balneum mariæ s.A.

Aqua pro fistulis.

Rec. Vini albi opt. lib. II. destillati in vase aquæ vitæ.
Aquæ Rorismarini.
Saluiæ, an. lib. V.
Sacchari fini, lib. II. His adde
Saluiæ.
Flor. Rorismarini, an. vnc. I.
Misce, & iterum destillentur in eodem vase, siccat, detergit, corroborat.

Aqua ad fluorem album.

Rec. Folior. porror. m. XII.
Pimpinellæ. m. VI.
Perforatæ, lib. s.
Destilletur aqua, & inijciatur ab obstetrice in vuluam.

Aqua ad lapidem vesicæ.

Rec. corticum amygdalar. amarar. lib. VI.
Corticis radicis lauri, lib. III.
Corticis radic. genistę, lib. I.
Corticis radic. restæ bouis, lib. IV.
Corticis raphani fortis lib. s.
Corticis raphani acuti, lib. II.
Ciperi, lib. I. s.
Scyllarum nu. IV.
Omnia contundantur, & in vrinali vitreo ponantur, & destilletur aqua.
Ex fæcibus fiat sal, & aquæ misceatur.
Huius aquę, ℞. vnc. IIII.
Cuperosæ, drach. I.
Vini optimi, vnc. I. s.
Misce pro vnica vice.
Item huius aquæ. ℞. lib. II.
Aceti Scyllitici, vnc. VI.
Misce, spongiæ hac calida imbuantur, & perinæo applicentur.

Aqua latrabilis.

Rec. Canes, qui lacte adhuc vescantur, viuos, quos pones in balneo, & ex ijs destillabis

aquam ad mediam tantum eorum consumptionem; postea eos extrahes, faciesq; bullire in s.q. aquę aureæ virgæ in lebeti; vel in aqua fontis, vna cum aurea virga, adijciendo superiorem aquam destillatã, & tamdiu bulliant, quousque separetur caro ab ossibus; Tandem hęc omnia simul destillentur ex balneo maris, & seruetur aqua ad vsum.

In hac aqua infundito petias, vel filamenta sicca, & ipsas carcinomati exulcerato apponito: certo enim experimento illud sanat siccando, abstergendo, attemperando, & occulta proprietate operando.

Aqua Mercurialis.

Recipe Mercurij sublimati, drach. I.
Aquæ rosar.
Aquæ plantaginis, an. vnc. I.

Misce, bulliant clam clam in bocia parua. In hac madefiant petię, & apponantur valet ad Rhagades, porosicus, & caries.

Aqua ad cõseruandam memoriã.

Rec. Aquæ Bethonicæ.
Aquæ Buglossæ.
Flor. tiliæ, an. lib. I.
Aquæ vitæ optimæ, lib. s.
Anthos.
Rosarum rubrar.
Maioranæ.
Florum buglossi, an. m. I.
Spec. cõfect. alchermes. vn. II.

Infunde flores aliquantum contusos in aquis prædictis eo tempore, quo colliguntur, & insolentur per mensem; post per balneum mariæ destillentur.

Sume omni mane cochlear I. & eadem aqua inunge nucham, & tempora.

Aqua mulsa Brasli suauiter purgans.

Rec. Aquæ communis, lib. III.
Mellis optimi, vnc. III.

Coquantur in vase vitreato, diligẽter spumando, ad consumptionem tertiæ partis: Amoto ab igne dum adhuc feruet, adde cinnamomi electi drach. I. Zinziberis, dr. s. radic. Ireos scr. II. pinguedinis trium ficuum, aceti acerrimi vnc. I. deinde,

℞. huius hydromelitis, lib. I.
Foliorum senæ, drach. v.
Agarici electi.
Turbith, an. drach. I. s.
Zinziberis albi incisi, scrup. I.

Infundantur per noctem in cineribus calidis, & exprimantur.

Dosis est ad vnc. VI.

Purgat humores pituitosos in thorace cõtentos, humores aquosos, & melancholicos educit, ideo in morbis thoracis frigidis, in colicis, & hydropicis multũ prodest.

Aqua Manardi secundæ descriptionis.

Rec. Nucis moscatæ, vnc. II.
Thuris.
Therebinthinæ, an. vnc. III.
Iuæ arthreticæ.
Centaurei.
Flor. hypericonis, an. m. I.

Madescãt horis 24. in vino maluatico, aut Hispanico bono q. s. & assiduè misceantur. Deinde vase vi-

vitreo, igne primum lento, deinde fortiori chymicorum more destillentur.

Discutit, digerit, abstergit, roborat, propterea in corrupta chylificatione, in arthritide antiqua, & rheunum vlceribus prodest.

Dosis vnc. s.

Aqua naturæ mater dicta.

RECipe Margaritar. non perforatar. præparatar. & in porphyride macinatarum vnc. III.
Coralli rubri.
albi an. drac. s.
Moschi electi.
Ambræ grisez an. drac. s.
Caryophyllor.
Nucis moscatæ.
Macis.
Zedoariæ.
Galangæ.
Piperis longi.
Piperis rotundi.
Granorum Iuniperi.
Corticum Citri.
Arantij.
Florum salicis.
Ocymi.
Floris anthos.
Menthæ Romanæ.
Maioranæ.
Baccarũ lauri an. drac. IIII.
Pulegij.
Gentianæ.
Calamenti.
Florum Sambuci.
Rosarum rubear.
Albar.
Spicæ nardi.
Ligni aloes.
Cubebarum.
Cardamomi an. drac. IIII.
Calami aromat.
Stæchados.
Chamædryos.
Camæpithyos.
Cardamomi minoris.
Masticis.
Thuris albi.
Aloes hepaticę.
Arthemisię.
Seminum, & foliorum anethi drac. IIII. s.
Ficuum pinguium.
Vuarum passular.
Dactylorum.
Amygdalar. dulcium.
Pinear. mundat. an. drac. I.
Mellis albi drach. VI.
Sacchari albi ad pondus omnium pręmissorum.
Aquę vitę destillatæ ex serpentino q. s.

Omnes herbæ collectæ ponantur in infusione, & colentur, & tempore conuenienti addantur coralli, ambra, moschus, & mannę calabrinę vnc. IIII. Sic omnia ponentur in putrefactione, post quam extrahentur tria elementa.

Vsus variabitur cum complexionis varietate. calefacit, & corroborat, ideo in hydropicis valet. Dosis ad guttas aliquot cum syrupis appropriatis.

Aqua ocularis.

RECipe Chelidonij.
Euphragię.
Fragarum.
Fœniculi.
Comarum rubi.

Aloes

Aloes ſuccotrinę.
Croci.
Sacchari, an.

Infund in lib. I. aquæ roſaceę, & in balneo ſ. A. deſtillentur, quibus adde,

Granorum tinctorum.
Lapidis porphyritidis.
Margaritarum, an.

Omnia præparata ſupra deſtillata aqua miſceantur, & iterum deſtillentur.

Curat albugines, & initiatas ſuffuſiones.

Alia.

Recipe Marcheſitam, & illam in igne incende, ſeu candeſcere fac: Dein pone illam in bono oleo antiquo, (eſſet etiam pręſtancius, ſi oleum laterinum acciperes) hinc extrahe, & iterum accende, & feruentem in oleum refer. Hoc cum quinquies, aut ſexies feceris, tere lapidem dictum, & per alembicum deſtilla colligens liquorem promanantem: Deinde fæces, quæ in fundo alembici remanent, terantur benè, & miſceantur cum oleo illo deſtillato, & de nouo deſtillatio fiat.

Quod quo ſæpius fiet, eo aqua erit melior.

Item, ℞. Tuthiæ, vnc. I.
Camphoræ, vnc. s.

Puluериza, & pone in vno boccali vini albi boni, & miſce benè: Et quando reſedit parum, huius liquoris vnam, vel duas guttas infunde oculo.

Aqua purgans caput per nares ſaxonia.

Recipe Radic. Ciclaminis part. vnam.
Hellebori nigri.
Nigellæ, an. m. I. s.
Pulpæ colocynthidos, vnc. s.
Sinapis.
Piperis.
Pyrethri, an. drach. II.

Bulliant in ſ. q. aquæ ad medias. Colaturæ eius drach. I. vel II. recta nare attrahatur, ore prius aqua impleto.

Aqua regeneratiua pilorum.

Recipe Aquæ mellis ſtillatitię, lib. I.
Succi radicis.
Olei tartari, an. vnc. III.
Miſce.

Alia.

Rec. Laudani, vnc. I. s.
Mellis crudi, vnc. IV.
Vrinæ pueri, vnc. IV.
Caryophyllorum.
Baccarum Myrthi.
Cinnamomi, an. drach. III.
Spicę odoratæ, ſcr. II.

Miſce, & deſtilletur liquor per alembicum.

Alia.

Rec. Succi Laudani concreti, vnc. s.
Vrinę pueri, vnc. II.
Faui mellis, drach. VI.
Cinnamomi contuſi.
Caryophyllorum, an. dr. II.
Spicę

Spicæ odoratæ.
Rosarum albar. an. m. s.
Misce, & extrahatur aqua ex alembico.

Aqua siccans vlcera.

Recipe Aquæ vitæ dephlegmatæ vnc. VIII.
Aquę rosarum finę vnc. VIII.
Tuthiæ præparatæ dra. s.
Viridis æris dra. I.
Condantur omnia in retorta, clausis juncturis, & destilletur liquor, quo vlcera abluantur.

Aqua Hypnatica, seu somnifera.

Recipe Opij Thebaici vnc. s.
Capita duorum alliorum.
Pistentur, & destillentur in balneo mariæ per alembicum vitreū.
Detur gutta I. in vino.

Aqua Theriacalis.

Recipe Spiritus vini maluatici lib. I.
Theriacæ magnæ Andromachi vnc. II.
Syrupi de corticibus citri simplicis vnc. III.
Misce, & infunde in spiritu vini per dies XV. in balneo mariæ super igne lento in becia vitrea cum suo antinotorio benè clausa, vt non respiret.
Deinde in fine dicti temporis decantabis aquam illam claram, & seruabis in vase vitreo benè clauso.
Valet aduersus omne venenum, contra vermes puerorum, febres pestilentes, flatus, & alia mala.

Alia.

Recipe Radic gentianæ.
Enulæ campanæ.
Tormentillæ.
Angelicæ.
Imperatoriæ.
Petasitis an. vnc. I.
Cyperi rotundi.
Ireos Florentinæ an. dra. VI.
Zedoariæ.
Corticum citri.
Arantiorum.
Cinnamomi.
Caryophyllorum.
Sem. card. bened. an vnc. IV.
Corymborum hederæ.
Granorum Iuniper. an. vnc. s.
Diptamni.
Scordei.
Melissæ.
Calendulæ an. m. s.
Specier. liberantis. vnc. s.
Macerentur per diem integrū super cineribus calidis in vase stricti orificij, & ritè occlusi, cum vini albi lib. VI.
Die sequenti adde decoct. rad. petasitis, bethonicæ, nenupharis lib. II. Deinde bulliant parū lento igne. Tandem fiat expressio, in qua dissolue, & per noctem infunde Theriacę bonę vnc. IIII.
Demum ponatur in alembico vitreo, & destillentur per balneum marię S. A.

Aqua Vigonis.

Recipe Therebinthinę lib. IV.
Thuris.
Ma-

Masticis an. vnc. i. s.
Aloes hepaticæ.
Laudani.
Castorei.
Ossis dactylorum.
Radic. diptamni.
Consolidę maioris an. vnc. I.

Omnia destillentur in alembico vitreo, lento igne; prima erit clara sicut aqua fontis. secunda erit crocea, & supernatabit oleum. tertia erit fæculenta.

Possunt & simul, & seorsim seruari.

Corroborat, consolidat, & abstergit.

Dosis vnc. I.

Aqua vitæ composita.

RECipe Essentiæ vini lib. VIII.
Corticum citri.
Arantiorum.
Cinnamomi.
Styracis.
Calami aromat ician. vn. s.
Nucis moscatæ.
Caryophyllorum.
Zedoariæ.
Rhapontici.
Galangæ.
Zinziberis.
Granorum paradisi.
Macis an. scrup. II.
Spicæ celticæ.
Roris marini.
Maioranæ.
Menthæ.
Melissæ.
Rosarum rubr.
Stæchados Arab.
Pulegij.
Saluiæ.
Centaurei.
Serpilli.
Basilici.
Lauendulæ.
Thymi an. drác. I.
Sacchari. q. s.

Macerentur omnia in supradicto vino sublimato per horas 12. aut 24. & tandem destillentur per balneum mariæ S. A.

Et hæc de Aquis dicta sufficiãt.

DE VINO.

DE vino dicendum quid sit, & quotuplex: vinum definitur esse aqua *in vitis ligno digesta*. Vinum autem est in duplici genere: Aliud enim est vinum alimentosum, aliud est medicamẽtosum.

Vinum alimentosum est illud, quod sanis tantum exhibetur, cuius differentiæ desumuntur à
Substantia.
Calore.
Virtute.
Tempore.
Loco, &
Sapore.

Vinum in *substantia*, vel est tenue, vel crassum; crassius magis nutrit, quàm tenue. *Substantia.*

In *calore*: nam aliud est album, aliud nigrum, aliud rubrum: Nigrum est impurius, rubrum est magis purum, album adhuc purius. *Calore.*

In *virtute*; Nam aliud est potẽs, quod merasum dicitur; Aliud est non potens, quod aquosum in virtute, & colore dicitur à Galeno, seu oligophorum. *Virtute.*

In *tempore*; vinum aliud est recens, *Tẽpore.*

cens,aliud antiquum. Recens non eſt ſanum; antiquum eſt ſanißimũ, quia eſt depuratum.

Loco. A *loco*: Nam vina à ſuis locis ꝓpria nomina deſumunt, vt vinum canarium à canea.

Sapore. A *ſapore*: Nam alia ſunt dulcia, quæ non ſunt admodum ſana; alia ſunt acida, alia ſunt picantia, quæ ſunt magis guſtui grata, & ſana. Et hæc de vinis, vt alimentoſa.

De vinis Medicamentoſis.

Vina ad ægritudines debellandas, uarijs medicamentoſa redduntur; Nam alia ſunt alterantia; alia verò ſunt purgãtia: Et hæc medicamentoſa dicuntur ſecundũ quid. Alia verò ſunt vina medicamentoſa ſimpliciter.

Vina medicamentoſa ſimpliciter Vina medicamẽtoſa ſimpliciter ſunt, quæ per ſe talia ſunt, & hæc communiter ſunt vinum ceraſorũ.

Vinum granat.

Vinum berberor.

Vinum pom acid.

Vinum ceraſorũ Vinũ ceraſorum fit hoc modo: Sumuntur ceraſa, quæ à vulgo *viſciole* dicuntur.

Contundũtur, & cum muſto, vel cum aqua miſcẽtur, ita ut pro una parte ceraſorum ſumãtur duæ partes uini, uel aquæ tepidæ: Et in uaſe fit fermentatio per 24. horas: poſtea per manicam Hipp. tranſcolatur vinum, quod reponitur in uaſis uitreis cum oleo ſupra; Et ubi apparuerit clarum, decantabitur à ſuo ſedimento.

Hoc uino utimur in febribus curandis.

Berberorum. Vinum berberorum eodem modo fit pro eodem uſu.

Granat. Vinum granatorum hoc modo paratur.

Accipiuntur grana granatorum à ſuis pelliculis optimè purgata, & manibus contunduntur; poſtea per manicam Hipp. tranſcolatur uinũ, quod in phialis uitreis aſſeruatur cum oleo, donec clareſcat, deinde decantatur: Hoc pariter utimur in morbis calidis, & eſt triplicis ſpeciei.

Aliud enim eſt acidũ, aliud dulce, aliud medij ſaporis, quod omnibus melius eſt.

Cytoniorum. Vinũ cytoniorũm paratur hac ratione: ſumuntur poma cytonia, & infriantur eo inſtrumento, quod *gratuſa* nuncupatur: Reponitur in vaſis uitreis cum oleo, & poſt claritatem, decantatur: Hoc utimur in fluxibus, & potiſſimum in dyſenteria.

Pomorũ acidorũ. Eodem modo paratur uinũ pomorum acidulorum, quo ego utor in febribus: eſt enim præſtans.

Vina medicamentoſa ſecundũ quid, alia ſunt alterantia, alia ſunt purgantia.

Alterantia dupliciter parantur, uel per fermentationem in dolio, uel per tranſcolationem.

Clareta. Vina alterantia per tranſcolationem clareta dicuntur, vel Hippocratica à manica Hippocr. per quam traijciuntur. quorum exemplum erit hoc:

℞. Cinnamomi unc. ii.

Macis unc. s.

Dactylorum ſine nucleis inciſorum num. xx.

Myrabolanorum nu. IIII.

Vuarum damaſcenar. vn. VI.
Seminum Aniſi.
Fœniculi an. vnc. I.
Coriandrorum preparatorũ. vnc. s.

Contuſis contundendis, omnia infundantur in ſufficienti quantitate vini albi optimi ad lib. VI.

Macerentur per quatuor, vel quinque dies in vase terreo optime coperto locato in loco frigido.

Poſt macerationem, tranſcoletur vinum per manicam. Cuius doſis eſt ad cochlear vnum in doloribus colicis, & flatulentijs.

Vina alterantia in dolio facta, cõmuniter parãtur ex ligno ſancto
Salſa.
China.
Lentiſco.
Ligno viſci quercini.
Santalis.
Roremarino.
Eufragia.
Lingua ſerpentina.
Radicib. bugloſſi, & cichorei

Doſis horum eſt hęc.

Ad vnam corbam vini requiruntur lib. III. ligni ſancti: Siccat, calefacit. luem gallicam profligatv.

Ad vnam corbam vini libre II. ſalſę ſiccat, ſed ventriculo officit.

Ad vnam corbam vini, lib. s. chinę. ſiccat citra calorem; in affectibus Thoracis potiſſimũ exhibetur.

Ad vnam corbam vini, lib. I. lentiſci. ſiccat, & corroborat, ideo in catarrho optimum eſt.

Ad vnam corbam vini, lib. I. s. ligni viſci quercini. ſiccat citra calorem: valet in affectibus pectoris, & cerebri.

Ad vnam corbam vini, lib. I. s. ſantalorum. refrigerat iecur.

Ad vnam corbã vini, lib. I. roris marini. calefacit cerebrũ.

Ad vnam corbam vini, lib. I. s. eufragię. reſpicit oculos.

Ad vnã corb. vini, lib. II. linguæ ſerpentinæ. ad omnes continui ſolutiones.

Ad vnam corbam vini, lib II. radicum bugloſſi, & cichorei à ſuo medullio purgati: Iecoris calorem reſpicit.

Verùm non ſolùm vina ſimplicia àlterantia parantur, verùm & compoſita, ſeruata proportione, & ſimplicium ad ſe, & ad vinum.

Et hęc de vinis medicatis alterantibus.

Sunt & vina purgantia, quæ potiſſimum parantur ex ſena, cuius formulę duę à me hic proponêtur exempli gratia.

Primum eſt vinum ſenę ſimplex: Et fit. *Vinum ſenæ ſim.*

℞. Foliorum ſenæ orient. vnc. s.
Aniſorum contritor. vnc. II.
Vini albi odorati lib. s.

Infund. S. A. & coletur, & exhibeatur poſt vnum, vel alterum cochlear. pulmenti.

Vinum meum compoſitum ex ſena ſic fit. *Compoſitum.*

℞. ſalſæ prep. vnc. s.
Foliorum ſenæ orient. vnc. I.
Anixorum contritor. vnc. II.
Vini albi odorati boc. nu. I.

Fiat infuſio ſine igne: Et ſimplicia tamdiu maneant in infuſione, donec vinum ſit bibitum.

Sumitur ſtatim, quando aliquis vult prandere ſic frigidum ad vnc. VI. illud omni vice per petiam colando.

Et

Et hæc de vinis medicamentosis purgantibus.

Et sic de cibo, & potu vltra dicere hic subsistimus.

DE SOMNO, & vigilia.

Dicamus primum de vigilia, postea de somno.

De vigilia dicendũ quæ, & quot sunt eius commoda, & incõmoda.

Vigilia cõmoda. Commoda vigiliæ sunt, quia naturalis vigilia facit ad spirituum distributionem per vniuersum corpus, vnde munia corporea melius celebrantur.

Incommoda. Incommoda nimiæ vigiliç sunt, quia nimia vigilia spiritus dissipat; vnde vires eneruantur; quç vigilia immodica oritur à caliditate, & siccitate: quibus necessariò est occurrendum per ea, quç determinate refrigerant, & humectant; quare dicendum de materijs diœteticis vigiliæ immodicæ.

De materijs Diœteticis immodicæ vigiliæ.

Immodica vigilia est symptoma, quod sæpius Medicum ad se trahit: vnde necessarium est multa remedia, tam interna, quàm externa in promptu habere, ne medicus in necessarijs deficiat.

In genere igitur externorum remediorum, hæc præstantiora sunt

Lotiones.

Frontalia.

Inunctiones.

& Irrigationes.

Lotiones Quantum ad lotiones, hæ fiunt, tum ad pedes, tum ad brachia, hora somni determinata ex folijs

Salicis.

Nenupharis.

Capitibus papaueris.

Folijs vitis

Folijs Mandragoræ.

Lactuca.

Semine hyoscyami.

Ex anetho.

Croco.

Camphora, & similibus, quæ sua humiditate, & frigiditate, & narcotica facultate somnum inducunt, quæ omnia, vel in aqua cõi, vel in aquis appropriatis, vti lactucæ, nenupharis, & similibus fieri, & decoqui possunt.

Frontalia plura sunt, sed potissima sunt hæc: *Primũ frontale*

Primum est oleum rof. completum in quo macerata sint capita papaueris, vel mandragoræ. In hoc oleo madefacimus petias, & fronti apponimus.

Secundum est hoc. *Secundũ*

℞ vnguentum alabastri magist.

Vnguenti pupuleonis an. vnc. I.

Opij grana II.

Misce. extendatur vnguentum super petia, & fronti apponetur.

Sed præter hoc vnguentũ fronti appositum, eodẽ tp̄e temporibus sunt apponendæ placentulæ rof. rubearũ, quæ remanere solent post aquæ destillationẽ, quæ placentæ sũt imbuendæ in aceto rosaceo, postea temporibus sunt applicandæ.

Quo ad inunctiones, hæ plures sunt, sed potissimæ sunt istæ.

Oleum anethinum. Primũ est oleum anethinũ non antiquum ex mente Aeginetæ, quorum nares, tempora, & arteriæ carotides inungi debent.

Salicis. Secũdum est oleum salicis, quod est insigne: paratur autẽ hac rõne.

℞. Olei communis lib. I.

Aquę lactucę lib s.

Florum & foliorum salicis viridium an. vnc. II.

Folior. papaueris albi m. s.

Bulliant in duplici vase ad humiditatis consumptionem, postea fiat colatura.

Mandragoræ. Tertium est oleum mandragoræ factum hoc modo ex Nicolao.

℞. Olei com. lib. II.

Succi pomor. mãdrag. vn. IIII.

Succi hyoscyami albi vnc. II.

Succi papaueris hortensis nigri vnc. III.

Succi violar.

Succi cicut. tenerr. an. vnc. I.

Opij.

Styracis calamit. an. vnc. s.

Succi cum oleo decẽ dieb. macerentur ad Solẽ: Deinde coquantur S. A. ad suc. consumptionem.

Hoc oleo nares, & tpa illinito.

Croci. Quartum est oleum ex croco, quod sic fit.

℞. Croci Florentini vnc. I.

Styracis calamit. vnc. V.

Per dies 5. in aceto macera. postea cũ olei lib. I. s. coque lẽto igne ad aceti consumpt. eodẽ mõ vtere.

Nenupharis. Quintũ est oleũ factum ex florib. albis nenupharis recentib. & oleo rosac. omphacino.

Violaceum. Sextum est oleum factum ex floribus. violar. cũ oleo rosomphacino.

Flor. nenuphar. Septimum est oleum factum ex florib. citrinis eiusdem dicti nenupharis & oleo violaceo.

Papaueris. Octauum est oleum factũ per expressionem ex semine vtriusq. pap. sicut fit oleum amygdalarum.

Ex eisdem capitibus. Nonum est oleũ paratũ ex folijs, floribus, & capitibus papaueris & oleo ros. omphacino.

Hyoscia mi. Decimum est oleum expressum ex seminib. hyoscyami.

Hæc sunt oleæ, quib. vti debemus in immodicis vigilijs.

Irrigat. Tandẽ sunt irrigationes, inter quas hęc describẽda mirabilis est, potissimum in ijs, qui melancholia detinentur, & vigilijs immodicis continuo exarcebantur.

Iubeo, quod patiens ponatur in balneo aquę dulcis, eodẽ mq; tempore exprimatur lac caprinum ex vberibus capræ positę in loco alto conuenienti, lacq; exprimatur super syncipu t ipsius ægri. Hic enim modus mirabilis est in vigilijs contumacibus præsertim melancholicorũ. Et hęc de remedijs externis.

Remedia interna pro vigilia immodica.

Remedia interna bona hęc sũt, Lac.

Ptisana.

Aqua.

Iulep.

Pilulæ.

Electuaria.

Laudanum.

emulsio papaueris. Lac potissimũ paratur ex seminibus papaueris quorum emulsio exhibet ad vn. I. post cęnã ex hora.

Ptisana somnifera. Ptisana somnifera hac rõne parat.

℞. Hordei mundati in iure cocti. vnc. IIII.

Amygdarum dulcium. vnc. II.

Quatuor seminum maiorum frigidorum mundatorum. an. vnc. s.

Seminis papaueris albi vnc. I.

Amygdalæ, & semina macerentur,

tur per 12. horas in aqua lactucæ, deinde cum supradicto hordeo optimè cōtundātur in mortario marmoreo, & transcolentur per setaceum, addendo aliquantulum sacchari.

Hoc ptisanarium hora somni offeratur.

Aqua somnifera simplex. Aqua somnifera, vel est simplex, vel composita. simplex est

Aqua lactucæ hora somni exhibita ad vnc. II.

Aqua papaueris rubri ad eandē dosin.

Composita. Aqua composita præstantissima hęc est.

℞. Seminum papaueris.

Cucumeris asinini integrè incisi

Seminū stramoniæ nostratis an. Ponantur omnia in bocia erecta, quæ fit aqua plena ad medietatem vsq;: postea obturetur pecia emplastrata farinæ flore, & albumine oui, vel *sigilletur sigillo* ardenti: Et sic maneant in fimo equino, vt fermentetur per quatuor dies, & noctes; Postea per filtrum decantetur aqua, abiectis fæcibus: quæ aqua destillari debet ex retorta igne lento.

Dosis est ad vnc. I. hora somni in vino, vel iure. Iulepus est syrupus ipse de papauere hora somni exhibitus ad vnc. I. vel II. *Iulep.*

Pilulæ ex cynoglossa. Pilulæ sunt in duplici discrimine: Aliæ enim sunt pilulæ, quæ appellantur de cynoglossa, quarum dosis est à gr. VII. ad VIIII.

Laud. Aliæ sunt pilulæ, quæ ex laudano parantur, quarum descriptio hæc est.

℞. Spec. diagalangæ.

Aromatici rosati an. vn. II

Castorei drach. s.

Euphorgij gr. x.

Opij cum pistillo ferreo contusi, & in vino maluatico dissolnti scr. s.

Piperis.

Croci.

Myrrhæ an. scr. s.

Fiant pilulæ x. pro drac. capiantur IIII. vel v.

Est anodynum colico nephriticum: ad prædictos enim dolores valet, dum à bile fiunt.

Aliæ pilulæ parantur ex strammonio, sic. *Pilulæ strāmonÿ.*

℞. Fructuum strammonij lib. VI. Contundantur, & bulliāt in lib. 12. aquæ lactucæ ad consumptionem tertiæ partis; exprimatur decoctio, & in figulino vase exponatur Soli.

Quod reliquum est, tanquam araneorum textura, aquæ ardenti imbibatur, ac denuo exiccatum iterum aqua ardenti inspergatur, & cum iterum siccum factum fuerit, extrahatur è vase, & addatur pro qualibet vnc. succi densati

Croci puluerati vnc. s.

Olei de corticibus citri scr. II.

Misce pro pasta pilulari.

Dosis est ab I. grano ad duo.

Est ualidum somniferum: cæliacis medetur affectibus: est anodynum præstans: febribus ardentibus opem affert, &c.

Hoc laudanum, & hæ pilulæ ex strammonio miras habent uirtutes, tum ad uigilias immodicas coercendas, tum ad dolores sedandos: Enim uerò non credat aliquis, has ex strammonio pilulas esse illud medicamentum, Cheiros nun- *Cheiros*

tum, quod in sedandis doloribus tam raros, & ferè diuinos effectus parit; Nam huius descriptionem registratam habebitis in tractatu Hermetico de componendis medicamentis, cùm sciam multos ex varijs regionibus illud perquirere, & indagare, ideoq; in dicto tractatu, eius me vobis descriptionem traditurum polliceor.

Cōposita narcotica. Præter hæc sunt plura alia somnum conciliantia, vt

Theriaca.
Philonium Romanum.
Requies Nicolai.
Athanasia magna, & similia quæ passim ad drach. I. exhibentur.

Et hæc de correctione vigiliæ immodicæ dicta sufficiant.

De somno Immodico.

Dicamus modò de somno Immodico, quæ in somnum morbosa propensio appellatur; cui. & medicus occurrere debet: Ex quo cùm contrariorum contrariæ sint rationes; & cùm immodicus somnus habeat causas contrarias à vigilia immodica, ideo contraria præsidia indicantur; quare sicut in immodica vigilia est refrigerandum, & humectandum, ita in immodico somno est calefaciendum, & exiccandum.

Medicaméta igitur, quæ aliquo modo respiciunt hanc partem medicinæ, quæ Hygijna dicitur, duo sunt potissimum, quæ conueniunt in genere odoramenti, & sunt

Acetum purum.
Et nodus.

Acetum purum acre mirabiliter conducit ad dissoluendos vapores illos, qui sunt somni causa, si tempora, & nares eo continuò affricentur. *Acetum acre.*

Nodus paratur ex origano, & seminibus rutæ, nigella, omnibus in petia ligatis, & in aceto fortissimo decoctis, qui nodus sæpius naribus somnolenti apponi debet. *Nodus.*

Et hæc de somno, & vigilia dicta sufficiant prout in ordine sunt ad partem curatiuam Medicinæ.

DE MOTV, ET QVIETE.

Circa hanc materiam, vide Quercetanum in suo Diætetico; Mercurialem in arte Gymnastica; Fuchsium in proprio capite de exercitationum differentijs: non enim est mihi consultum de his agere, quæ fusius ab alijs pertractantur.

De repletione, & Inanitione.

Dicamus primùm de repletione, postea de inanitione. Quantum ad repletionem tria videnda sunt, quid sit, quotuplex, & quibus ei occurrere possimus.

Quantum ad primum: *Repletio nil aliud est, quàm redundantia, siue plenitudo vasorum à massa sanguinea*. Dicitur plenitudo, vt assignetur, proximum genus repletionis. Dicitur à massa sanguinea, vt assignetur causa productiua ipsius repletionis, quæ idcirco stat loco differentiæ. *Quid repletio.*

Ex

Plenitudo quotuplex. Ex hac repletionis definitione duæ plenitudinis differentiæ desumuntur ex Galeno libro de plenitudine passim: prima dicitur *plenitudo ad vasa:* secunda dicitur *plenitudo ad vires.*

Quid plenitudo ad vasa. *Plenitudo ad vasa* est illa, quæ plethora dicitur, in qua humores æqualiter augentur, ita vt periculum impendeat, vel diruptionis vasorum, vel suffocationis calidi innati: Et hæc *plethora* est duplex; *Exquisita.* exquisita, & notha: Plethora *exquisita* est illa, in qua humores æqualiter augentur: *Notha.* *Notha* verò quando vnus humor cæteris præualet.

Plethora notha duplex. Et hæc plethora notha est duplex; alia enim est *cum putredine;* alia *sine putredine:* Plethora notha cum putredine est, quando in massa sanguinea, dominatur, vel bilis, vel alius humor, cui, & adiungitur putredo.

Plethora notha sine putredine est, quando in massa sanguinea humor prædominans non putrescit.

Plenitudo ad vires. Plenitudo autem, *quoad vires,* est quando humores à sanguine diuersi prædominantur, & insigniter à natura sanguinis recedunt, *Cacochymia.* quæ plenitudo *Cacochymia* dicitur, quæ duplex est, notha & legitima; legitima cacochymia est, quando humores insigniter à natura sanguinis recedunt. Cacochymia notha est, quando humores non nimis à sanguinis natura recedunt: Ex his apparet error Fuchsij, qui posuit redundantiam, & plenitudinem solius qualitatis, *Non datur plenitudo solius* vt puta excessum caloris, cum hęc sit plenitudo impropriè dicta; plenitudo enim formaliter quantitatem respicit, vel qualitatem in *qualitatis.* quantitate; simplex autem qualitatis excessus, propriè intemperies, & non plenitudo dicitur.

Remedia, quibus plenitudini occurrendum est, talia esse debēt, qualis est natura plenitudinis; quamobrem si plenitudo sit peccans in sola quantitate, vel valde peccat, vel non multum: Si non multum, tollitur

Balneis.

Euacuantia per accidens. Frictionibus.

Et Inedia, quæ euacuatio dicitur per *diaphoresin,* idest per insensibilem transpirationem.

Si valde peccet, tollitur per medicamenta *sensibiliter* euacuantia; *Per se.* hæc autem sunt in duplici discrimine: Alia enim per os assumuntur, & lenientia, siue minorantia dicuntur: Alia verò extrinsecus apponuntur, & hæc sunt,

Venæ sectio.

Cucurbitulæ.

Scarificationes.

Hirudines.

Cauteria.

Et Phœnigmata.

Sin autem plenitudo sit peccās nedum in quantitate, verùm etiam in qualitate, quæ *cacochymia* nominatur; indicatur purgatio, quæ perficitur medicamentis purgantibus per Secessum.

per Vomitum.

per Vrinam.

per Sudorem.

per Nares.

per Os.

per Hæmorrhoides.

Per Vterum in mulieribus.

Et cùm purgantia non conueniant,

niant, nisi præponantur præparantia, ideo ante purgantia præparantia conueniunt.

Quibus sic stantibus hic esset tractandum de euacuantibus, tum per sensibilem, tum per insensibilem transpirationem: Esset secundo loco etiam tractandum de purgantibus, & præparantibus.

Euacuantia, quæ spectant ad hanc partem peculiarem. Verùm facilioris doctrinæ causa euacuantia ad propriam methodum, consimiliter purgantia referemus, quas methodos anno sequenti explicabo; videntur enim esse pro tyronibus reseruandæ extra compendium hoc Medicinæ.

Pilulæ ex aloe mirificæ. Non subiicebo tamen aliqua euacuantia, quibus intra latitudinem sanitatis vti soleo ad præcauenda corpora, quorum primum sunt pilulæ hæ de aloe.

℞. Aloes lotæ, vnc. I.
Myrrhæ electæ, drach. I.
Masticis, drach. s.
Croci, drac. s.
Rosarum, drach. I.
Santalorum rubeorum, dra. II.

Rosæ, & santali adduntur pro his, qui habent hepar super calidũ.

Formentur pilulæ cum aqua endiuiæ ad formam ciceris, vel fabæ mediocris, quæ valent omni tẽpore, sed non debent sumi in intenso frigore, vel calore.

Hora assumptionis. Hora autem sumendi eas est, vel summo mane, vel sero tardè circa ingressum lecti, quia sunt sine custodia, propter quod non est necesse à cibis communibus absti-*Quantitas.*nere: Sumuntur vt plurimum tres, interdum sufficit vna sola cũ modico vino albo, vt faciliùs descendat, & sine molestia.

Virtus. Qui vtitur illis non videbit in corpore suo infirmitatem, de qua non sit facile curabilis: Pilulę enim istæ præseruant hominem à pestilentia, & locis paludosis, vel corruptis: Tardant caniciem, & senectutem: Inducunt hilaritatem, & gaudium, acuunt ingenium, & corroborant memoriam, visum confortant; cor, & stomachum mundificant, & intestina à superfluitatib. corruptis suauiter laxant, nec conturbant humores, nec faciunt torsiones, sed remouent phlegma, & ventositates, quæ fiunt ex materia frigida in qualibet corporis parte; præseruant totum corpus à doloribus articulorum, & propriè valent contra catarrhum antiquum, & nouum; Mundificant pectus, & dolorem costarum remouent, ita vt conferant asthmaticis; Si sumãtur debito modo, prout superius est expressum, mouent vt plurimũ post diem naturalem completum; Et si fortè non mouerent ab extra, multum tamen iuuant ad intra.

Vltra præmissas, sunt & quędã aliæ ipsarum virtutes inuentæ in area *Domini Mauritÿ Archiepiscopi Narbonensis* à famosissimo Medico Magistro Gulielmo de Lauanzago conscriptæ. Vsus, inquit, earum excusat hominem ab omni medicina laxatiua; Item remouet caliginem oculorum, capitis dolorem, hemicraniam, & scotomiam, clarificat visum, & curat auditum; Bonum facit gustum, clarificat intellectum, & conseruat memoriam: præseruat à paralysi, & tremore; catarrhum remouet, valet infrigidatis: tussim antiquã, & no-

& nouam remouet, humores generatos ex malis cibis, & corruptis abolet: Item valet earum vsus contra guttas, ne veniant, & discursum humorum de membro ad membrum; præseruat etiam ab arthritide, & hepar confortat, aperit hæmorrhoidas, non tamē multum, quia myrrha prohibet, & crocus, portat autem aloes virtutem aliarum rerum in descriptione positarum, ad cor. Hæc ille.

Oleum Antimonij saccharatum. Secundum medicamentum est oleum antimonij saccharatum, cuius præparatio posita fuit in Appendice Oleorum: Lubricat enim aluum, aperit obstructiones; ideo hypochondriacis mirificè prodest.

Pugillatum. Tertium medicamētum est pugillatum Card. Granuelæ tale.

℞. Folior. Senæ orient. pulueratæ, & à stipitibus purgatæ, vnc. VI.
Pulueris Myrobolanorum.
Citrinorum.
Emblicorum.
Chebulorum, an. vnc. I.
Sacchari fini, lib. III.
Aquæ cinnamomi destillatę, vnc. IIII.

Misce; Pulueres ponantur in vase æneo planum habente fundū, deinde paulatim saccharum coctū s.A. addatur, manibus semper agitando, vt fiant veluti semina papaueris: partes crassiores iterum puluerentur, & sacchare granulatim excipiantur.

Purgat melancholiam, cholerā, phlegma, flatus discutit, cruditates citra molestiam euacuat, ventriculum corroborat, fluxionesq; stipat.

Dosis est ab I. cochleari ad II.

DE INANITIONE.

Inanitio, quę est repletionis oppositum, duplex est: Alia enim fit ex spirituum dissipatione.

Alia fit ex nimia excrementorum, & humorum euacuatione, & purgatione.

Alia ex subtractione alimenti.

Quoad spirituum dissipationē, & resolutionē, multipliciter ea fit. *Spirituū resolutio quotuplex.*

Primò resoluuntur spiritus ob *repentinam exhalationem*, quæ fit motu violento, vel gaudij, vel mœroris.

Secundò resoluuntur spiritus *paulatina euaporatione*, vt in senibus.

Tertiò resoluuntur ob *venenatam qualitatem*, vt in febribus pestilentibus, & malignis: Et hi sunt modi, ad quos spirituum sequitur resolutio.

Quantum spectat ad inanitionem ex nimia excrementorum, & humorum euacuatione: Nimia hæc euacuatio, vel fit ab arte, vel à natura: A natura quidem, vt spontinæ euacuationes per vomitum, per secessum, per vrinam, & per sudorem, vt in cholera, diarrhæa, lienteria, dysenteria; Ab arte verò, vt notabiles euacuationes, quæ fiunt per medicamenta præsertim purgantia, quæ græcis *hypercatharses*, latinis super purgationes dicūtur, quando sanguis vnà cum humoribus, & excrementis excernitur, vt euenit in exhibitione Hellebori, diagridij, colocynthidis, pepli, & similium. *Hypercatharses quid sint.*

Inanitio tandem ex alimenti fit inopia.

Quibus inanitionibus est occurrendum remedijs, & materijs diętericis.

Inanitiones ex spirituum resolutione ob repentinam exhalationem, gaudij vel mæroris causa; ad subsequens caput vltimum de animi passionibus. spectant.

Remedia pro reparatione spirituum in senibus ob paulatinam euaporationem peti debēt ex Elixirijs: Si enim senes, tres vel quatuor guttas elixir vitæ in iure singulo mane accipiant, diutius se præseruare possunt; Elixir enim vitæ dicitur quasi *fermentum vitæ*,& fit hoc modo:

Elixir vitæ in senibus.

℞.Myrrhæ.

Aloes Hepaticæ.

Croci ana. partes ęquales, quæ simul in pellicanum, in arena posita, mensibus duobus ascendant lenissimè; Separa tandem per alembicum oleum à fæcibus præter adustionem. Oleum hoc vnà cum circulato per mensem digeri permitte, pondere quidem æquali, post serua.

Dosis est gutta I. vel II. in iure vel vino, ventriculo ieiuno.

Remedia pro inanitione ex spirituum resolutione ob venenatam qualitatem, ex bezoarticis petuntur, sicut est Iulep gemmarum Magni Ducis Hetruriæ qui duobus modis solet fieri.

Primus Iulep. Gemmatus.

Primus modus est.

Rec. Sacchari fini, lib. I.

Dissoluatur in aqua odorifera florum arantij q. s. & fiat Iulep. s. A. cui adde.

Electuarij de gemmis.

de Alchermes, an. vnc. I.

Stēt in balneo marię calido, donec Iulepus attrahat, quantum potest.

Deinde traijciantur per manicā Hippoc. sine expressione, ne turbidus, sed clarus proueniat Iulepus, qui postmodum aromatizatur cū ambræ grysex perfectæ drach. I. Moschi gr. XII. qui etiam potest omitti, præsertim in fæminis ob matricem reruentibus talem odorem, illis infensissimum.

Secundus modus.

Secundus.

Recipe Lapidum pretiosorum nempe fragmentorum, vt Rubinij, Hyacinthi, Smaragdi, Granati, Topacij pro intentione operationis q. s.

Calcinantur, calcinata infundūtur in spiritu vini vt attrahat: Et hoc repetitur cum inclinatione, donec in vase restet sedimentum inutile: Postmodum euaporatur, lauaturq; melligo illa, aut essentia cum aqua cordiali, quæ dulcificata adiungitur Iulepo, vt supra, & similiter aromatizatur ambra.

Resarcit spiritus, ideo in syncope, & in febribus pestilentibus summum est remedium.

Medicamenta pro Inanitione ex humorum violenta excretione, si fit per secessum, & per vomitum, erunt medicamenta Theriacalia, & Theriaca ipsa, quæ superpurgationes compescit. Si per sudorem, & vrinam, dummodo non sint excretiones

cretiones criticæ, propria conuenient. medicamenta, quæ practicantibus nota sunt.

Inanitioni tandem ex alimentorum defectu, occurrendum est ijs cibis, quos scripsimus in Tract. de Cibo, & Potu.

DE ANIMI PASSIONIBVS.

PAssiones Animi sunt in multiplici discrimine; Nam alia consistit in ardenti animi voluntate supremorum honoris graduũ, & dicitur *Ambitio*. *Ambitio.*

Secunda consistit in inquieta animi exagitatione, & hæc *Auaritia* dicitur. *Auaritia.*

Tertia consistit in exitiali animi passione, quæ dicitur *Inuidia*. *Inuidia.*

Quarta consistit in animi vesania, quæ *Amor Venereus* dicitur. *Amor*

Quinta consistit in animi ebullitione, quæ *Ira* nominatur. *Ira.*

Sexta consistit in animi lætitia, quod *Gaudium* appellatur. *Gaudium.*

Septima consistit in animi anxietate, & *Timor* nuncupatur. *Timor.*

Octaua, & postrema consistit in animi mœrore, & *Tristitia* dicitur. *Tristitia.*

Remedia harum animi Passionum consistunt in libera hominis voluntate; idcirco non est, quod materias diateticas pro his afferamus.

Et hæc dicta sint de rebus non naturalibus in ordine ad methodum medendi, quatenus sapiunt naturam indicati indiuidui, quæ res nonnaturales methodum Hygijnam integrant.

HYGIINAE FINIS.

AD TYRONES.
Pro Introductione ad Pathologiam.

PATHOLOGIA, quæ tractat de rebus præter naturam, hìc tantùm methodicè proponitur, vt Tyrones sciant, quid morbus, causa morbi, & symptoma sit, & cuius ilationis beneficio Medicus in illorum inuentionem deueniat; qui medius terminus Pathologicæ methodi, cum terminis ab alijs diuersis, proponatur. Ideo curiosum simul, & eruditum ingenium exposcit; loco etiam coronidis de morbo communi duæ fuerunt appositæ disputationes, quia cùm de ipso potissimum extent difficultates, qua ratione se debeant extricare, addiscant Tyrones: similiter Paramirica Hermeticorum impostura apposita est, vt quid ipsi de morbo, causa morbi, & symptomate senserint, perspicuum fiat.

PATHOLOGIA PARAMIRICA:

PARS TERTIA

ENCYCLOPEDIAE HERMETICO MEDICAE.



De rebus præter naturam in genere. Cap. I.



E rebus naturalibus egimus in physiologia, de rebus nonnaturalib. in Hygijna; nunc superest, vt de rebus pręter naturam breuiter agamus in parte Medicinę, quæ Pathalogia dicitur: In quibus tractandis hunc ordinem seruabo, ut prius de rebus pręter naturam agam in genere; mox de rebus præter naturam in specie.

Ordo methodi

Quoad res præter naturam in genere, duo uidēda sunt, *quot sint*, & *qua methodo* eliciantur.

Quantum ad numerum, tres sūt res pręter naturam Morbus.

Causa morbi.

Et symptoma.

Difficultas à numero rerum pręter naturam.

Sed oritur difficultas, eo quia Galenus secundo method. cap. tertio, & primo method. capit. ultim. præter hæc tria proponit etiam vnum ab his diuersam, quod ex mēte etiam olympiaci, pathos nominat, siue pathema, ex quo quatuor uidentur esse, Pathos.

Morbus.

Causa Morbi.

Symptoma.

Soluitur hæc difficultas eo, quia talis differentia inter pathos, & morbum fit, quoniam pathos est affectus in fieri; morbus autem, sicut causa morbi, & symptoma est affectus in facto esse: Morbus est res præter naturam simpliciter; pathos est res non naturalis: Nam ut Galenus declarat locis citatis, pathos nihil aliud est, nisi passio, & præuia quædam dispositio ad morbum, unde pathos dicitur ab ipso *temerarium accidens* quando dicit, *quæ temerè corporibus acciđūt, etiamsi millies sint alterata, nocere profectò actioni non possunt.*

Solutio. Quid pathos.

Cùm ergo pathemata sint præuiæ dispositiones ad morbum, &

& consequenter sint res non naturales, quia nec simpliciter præter naturam, sed naturales, & per consequens non naturales, idcirco inter res præter naturam connumerari non debent, quare tres tantum sunt: Morbus.
Causa morbi.
& Symptoma.

Methodus inueniendarū rerū prę ter nat. Quantum uerò ad secundū, qua methodo, & ordine in inuẽtionem harum trium rerum præter naturam, & cognitionem deueniatur, ex his percipite.

Corpus humanum nunquam in statu præter naturam positum esse censetur, nisi ipsius munia, & actiones lędantur; propterea tunc formaliter corpus humanum dicitur laborare affectu pręter naturam, quando actiones habet læsas: Ex *læsione igitur* actionum necessario infertur morbus: Cum enim actio dependeat à parte uiuente; pars enim uiuens est illa, quæ actionem edit, parsq; uiuens in suo esse naturali propria functione, & actione non frustretur, ideo affectus ille, qui immediatè ita partem uiuentē afficit, ut ipsius actio lædatur, ille affectus formaliter dicitur morbus; quare ex lęsione actionis, tanquam ex vi obiectiua morbus infertur.

Vis obiectiua morbi q.

Ex morbo autem duę alię res pręter naturam demonstrantur, *symptoma*, & *causa morbi*: Symptoma quidem demonstratur ex morbo, ut quid consecutiuum: Causa autem morbi demōstratur ex morbo tanquam aliquid constitutiuum.

Vatio ca usa mor bificę, quomodo fit à morbo. Causa quidem morbi demonstratur ex morbo tanquam *morbi constitutiuum*: Nam cum ille affectus, qui immediatè lædit actionē, qui dicitur morbus, sit accidens partis uiuentis, & omne accidens à seipso nō producatur, sed ab alio, ideo id, quod morbum producit, *causa morbi* dicitur; Et cùm affectus per se sequatur causam per se, ideo cum morbus sit effectus per se pręter naturam, causa quoq; illius erit per se causa prętet naturam.

Syptomā quō demonstre tur per morbū. Ex ipso quoque morbo demonstratur symptoma, ut quid consecutiuum: Cùm enim ex læsione actionis ob morbum quędam accidentia adueniant ipsi parti morbosę, ideo hęc accidentia symptomata dicuntur, quę ita morbum sequuntur, uelut umbra corpus, quę symptomata, cum sequantur morbum, qui est pręter naturam, ideo & ipsa sunt res pręter naturam.

Tres igitur sunt res pręter naturam: Morbus.
Causa morbi.
& Symptomata.
Tali methodo adinuentę.

DE REBUS PRAETER naturam in specie. Cap. I.

De causa Morbifica.

NVnc dicendum est de rebus præter naturam in specie; Et primò quidem de causa morbi dicendum quid sit, & quotuplex.

Quãtum ad Quid est causæ morbificę, cùm duplex sit causa; *uniuersa-*

Quæ sit causa in fieri. *uersalis*, quę causa in fieri dicitur, & est illa, quando effectus à pluribus causis effici potest: Et particularis, seu adæquata, quæ dicitur causa *in esse*, eò quia effectus non potest, nisi ab illa produci; Ideo causæ definitio duplex esse potest. Prima competit causæ morbificæ in fieri. Secunda causæ morbi in esse. *Quæ causa in esse.*

Definitio causæ morbificæ in fieri. Definitio causæ morbificæ in fieri hæc est: *Causa morbi est principium productiuum cuiuscunque morbi*. Definitum est *ipsa causa morbi* Genus definitionis est cum dicitur *principium productiuum*, quod prædicatur tã de causis præter naturam, quàm de causis naturalibus. Differentia est cum ponitur, *vniuscuiusq; morbi*. Nam per hanc particulã distinguuntur causæ præter naturam à naturalibus, & per eam constituitur in esse quęcunque causa, dummodo ad morbi productionem conducat. *Genus.* *Differentia.*

Definitio causæ morbificę in esse. Definitio causæ morbificæ *in esse*, seu causæ adæquatæ, & immediatæ, illa est, quam scripsistis in methodo medendi sic; Causa morbi *est materia morbifica lędẽs hominem*: Quæ definitio est essentialis causæ morbificę immediatę.

Ex priori ergo causę vniuersalis morbificę definitione, plures causarum morbi differentię colliguntur.

Primũ genus causarũ morbificarum. Primum genus causarum morbi est: Alię sunt per se, alię sunt per accidens: Causa morbifica *per se* est, quæ efficit morbum per se, vt aqua vitrioli, quę per se poros cutis adstringit, causa morbi per se dicitur adstrictionis entis, per accidens autem febris: Nam si ex adstrictione pororum cutis febris oriatur, prohibita caloris ventilatione, per accidens oritur febris. *Causa per se.* *Per accidens.*

Secundum genus causarũ morbi est, quia alia est *extra corpus*, quę causa externa, seu primitiua, seu *procatarctica* dicitur: quęcunque enim causa, quę extrinsecè disponit ad morbum, causa morbifica, sed externa dicitur. Alia verò est *intra corpus*, *& interna* dicitur: Alia est media inter externam & internam, quę partim est extra, & partim intra corpus, vt sagitta in parte vulnerata. *Secundum genus.* *Causa externa.* *Interna.* *Media.*

Tertium genus causarum est, quòd causa interna est duplex, *Antecedens* & *coniuncta*, quę duę causę non distinguuntur realiter numero, & specie, sed solum formaliter: Nam eadem causa quę est antecedens, fit coniuncta, vt sanguis, qui vt fluens est, dicitur causa antecedens inflammationis; vt fluxus tamen redditur causa coniuncta, siue immediata, quia inter ipsam & morbum, nullum intercedit medium, sed ea posita primò, morbus etiam primò ponitur, & ea primò ablata, statim & primò morbus aufertur. *Tertiũ genus.* *Antecedens.* *Coniuncta.*

Quartum genus causarũ, quod constituit vnam tantum causam, est *causa sine qua* non, quę *adiuuans* dicitur, & concausa, estq; illa, sine qua morbus neutiquam fieri potest. Tot igitur sunt causarum morbi species, ad quas omnes aliæ reducuntur. Etenim causa cõtinens, seu *electiua* per actionem imminentem dicta in morbis non datur: Nulla enim causa morbifica *Quartũ genus.* *Causa sine qua non.*

Nõ datur causa illicita. bifica intra se formaliter morbum tanquam effectum producit, quia morbus in partem viuentem, tanquam in subiectum dimittitur.

Causa propria. Causa, quam appellant propriã, est ipsa causa morbifica coniuncta.

Improp. Causa quam appellant impropriam cum sit, vel vrgens, vel principalis, ambæ ad antecedentem reducuntur: vrgens quidem, siue ratione suæ *entitatis*, *Vrgens.* vt materia venenata; seu *ratione loci*, vt pituita in cerebro, ad causam antecedentem reducitur: Similiter causa *Princip.* principalis, quæ simpliciter dicitur antecedens causæ coniunctæ. Et hæc de causis morbi dicta sint.

DE MORBO. Capvt III.

Quid morbus. SEquitur morbus, de quo videndum est, quid sit Galen. de diff. mor. cap 11. 2. method. cap. 3. & c. 1. de diff. sympt. definit *morbum esse constitutionem, præter naturam per se primò actionem lædentem*: *Reprehenditur Argent.* Quæ definitio passim ab omnibus Medicis recipitur, præterquam à quibusdam, qui studio potius contradicendi, quàm veritatis amore impulsi, eam infringere conantur.

Examinemus igitur definitionẽ hanc, illiusq; genus proximum, & specificam differentiam adinueniamus: Quantum ad genus, morbus *Orin. Capiuac. de genere morbi.* dicitur *constitutio* præter naturã. Capiuac. dicit, morbum conuenire in genere sanitatis, & cum opposita sint eiusdem generis, idcirco, cũ sanitas sit constitutio, morbus etiã erit constitutio. Vnde constitutio stat loco generis: Cùm autem additur *præter naturam*, hæc particula stat loco differentiæ, qua morbus à sanitate distinguitur: sed hęc *Reijcitur.* expositio non est recipienda, quoniam, etsi constitutio prædicetur, tam de morbo, quàm de sanitate est tamen genus remotum.

Præterea si ly, *præter naturam*, staret loco differentiæ, iam duæ essent morbi differentiæ, cum tamen ĩ bona doctrina Aristotelica, vnius definitionis vnica tantum debeat esse differentia; propterea dicendũ, genus morbi in quo cõueniunt omnes res præter naturam, *proximũ* *Quale sit morbi genus proximum.* est totum illud aggregatum, quando dicitur morbus est *constitutio præter naturam*. Nam constitutio pręter naturam, & affectus pręter naturam sunt idem, in quo genere clarum est, nedum morbum, sed etiam causam, & symptoma contineri.

Genus igitur proximum huius definitionis, est constitutio præter naturam.

Fuchsij, & Fernelij sentẽtia de natura morbi. Sed iam videndum, quale sit hoc genus morbi, quod constitutio præter naturam dicitur. Fuchsius, & cum eo Fernelius volunt constitutionem præter naturam esse, tùm *qualitatem*, tùm *substantiam*. Qualitatem quidẽ, vt est intemperies, solutio continui, & mala composi*Ipsorum error.*tio: *Substantiam* verò, vt est lapis vesica, pterygium, suffusio, & sextus digitus, sed isti committunt errorem Platonici, confundentes prędicamenta adinuicem: Non enim potest dari vna *ratio abstrahibilis à duo-*

à duobus prædicamentis vniuersa; Et ideo hæc constitutio, vel est tantum qualitas, vel tantum substantia: Non est dicenda substantia, quia lapis in vesica, pterygium, & suffusio, & similia sunt causæ morbificæ, non morbus; Nō enim immediatè lædunt actionem, vt inferius ostendam. Idcirco morbus constitutio præter naturam, est qualitas, quia secundum eā corpus realiter denominatur quale morbidum scilicet.

Morbus est qualitas.

Qualitatum genera.

Verùm cum quatuor sint genera qualitatis, Habitus & dispositio; potentia, & impotentia naturalis; passio & passibilis qualitas; forma & figura; videndum est in quo genere qualitatis reponatur morbus: Et primò quidem nō esse *formam*, & *figuram*, clarum est, quia mala figura est species malæ compositionis tantum: non omnis autem morbus est mala figura. Secundò non esse *potentiam & impotentiam naturalem*; ex se patet in terminis, quia est præter naturam.

Morbus non est forma, nec fig.

Nō potentia, nec impotentia nat.

Vnde relinquitur quòd sit habitus, vel dispositio, aut passio, vel passibilis qualitas.

Dicunt aliqui morbum esse habitum, quia morbus est permanēs, habitus verò est permanens, & de difficili mobilis; Nam non esse dispositionem, patet, quia dispositio non est permanens: Attamen existimo ego, morbum non esse habitum, & ratio est, quia non omnis morbus est permanens, vt obstructio, quæ tollitur ad ablationem causæ, & consimiles alij inferius declarandi: Quamobrem, vel erit *passio*, vel *passibilis qualitas*: Non est dicendus passio, quia ex Aristotele c. de qual. Passio non est qualitas, sed effectus qualitatis, vnde sequitur, morbum esse qualitatem passibilem; Est verò *qualitas passibilis*, quæ cum ex Arist. ea fit, quæ non quidem alterat id, in quo recepta est, sed id, in quod recipitur, & morbus non alteret quidem id, in quo receptus est, nimirum eius causam, sed partem viuentem, in qua recipitur; Idcirco morbus est qualitas passibilis.

Non est dispo sit.

Non est habitus.

Non est passio. Est passibilis qualitas.

De differentijs morborum. Caput IV.

Declarata natura morbi, iam sequuntur ipsius differentiæ, quæ sūt in duplici discrimine. Aliæ enim sunt cōmunes, aliæ propriæ. Dicamus primum de proprijs; Istæ autem sunt, quæ ita vni partium generi competunt, vt alijs competere nequeant, vnde, cum duplex sit partium genus, similarium scilicet, & dissimilarium, ideo duæ etiā erunt morborum differentiæ propriæ: prima erit propria partium similariū, & intemperies nominatur. Secunda est propria partium dissimilarium, & mala compositio appellatur. Dicamus primū de intēperie.

Species morbor. propriæ.

De Intemperie.

Intemperies nil aliud est, nisi *excessus qualitatis primæ*, vel *actiuæ*, caliditatis, & frigiditatis; vel passiuæ, humiditatis, & siccitatis, *qua de causa læditur actio partiū similarium*, vnde morbus in intemperie vocitatur.

Quid intemperies.

Intemperiei differentiæ sunt 4.

Prima attenditur penes latitudinem sanitatis, ex quo alia dicitur Intemperies salubris, alia verò morbosa.

Intēperies salubris quę. Intemperies salubris est, quando, vel totum, vel pars incipit à sua naturali temperatura declinare gradatiuà, ita tamen, vt adhuc actionem non lædat, & hæc dicitur *intemperies intra latitudinem sanitatis.*

Intemperies morbosa. Intemperies morbosa est illa, quæ de facto actiones lædit, de qua interim loquimur.

Simplex cōposita. Secunda differentia intemperiei attenditur penes complexionem, & incomplexionem. Nam alia dicitur intemperies simplex; alia cōposita. Intemperies simplex est illa, quæ consistit in excessu vnius tantū qualitatis, & est quadruplex: vt intemperies, calida tantum.
Frigida tantum.
Humida tantum.
Sicca tantum.

Intemperies composita consistit in combinatione duarum qualitatum excedentium, & est quadrupl. Intemperies calida, & sicca.
Frigida, & sicca.
Calida, & humida.
frigida, & humida.

Intemperies nuda, mixta. Tertia differentia intemperiei attēditur secundum permixtionē, & impermixtionem, ex qua vna dicitur intemperies nuda; & alia dicitur intemperies mixta.

Intemperies nuda est illa, quæ est sine materia: Mixta verò, quæ cum materiæ admixtione, vel sanguinis, vel bilis, vel melancholiæ, vel pituitæ: & est duplex: *Duplex intemperies mixta.* Nam alia est intemperies mixta cum fluxione materiæ: Alia est cum materiæ congestione: cum fluxione materiæ, quādo scilicet materia fluit; cum congestione, quando materia ob partium intemperiem generatur, vbi existit.

Quarta differentia intemperiei attenditur penes æqualitatem, & inæqualitatem proportionaliter: vnde aliqua dicitur intemperies *æqualis*, alia verò intemperies inæqualis. *Aequalis. Inæqualis.*

Intemperies æqualis est illa, quę æqualiter, & habitualiter omnes partes apprehendit, vt *febris hectica*, quæ est intemperies æqualis totius corporis; quæ intemperies nō est dolorifica, eo enim, quòd est æqualis, eo etiam est indolens.

Intemperies inæqualis est illa, quæ non æqualiter corporis partes occupat, sed sub diuersa ratione, ita vt aliquæ sint v.g. intemperatæ ad calidum, aliæ verò ad frigidum; Et hæc intemperies dolorifica est.

Tot igitur sunt intemperiei differentiæ, quæ intemperies est morbus proprijssimus partium similarium.

De mala Compositione.

Mala compositio est *morbus proprijssimus dissimilariū*, quæ compositio cum dicat determinatam figuram, numerū, situm, & quantitatem: Idcirco oriuntur differentiæ malę compositionis. *Differentię malę compositionis.*
In mala figura.
Situ.
Numero.
& Quantitate.

De

De Figura.

Figura quadrupliciter vitiatur.
1. Per se.
2. per accidens.
3. in meatu, & cauitate.
4. In asperitate, & lenitate.

Vitiū figurę per se. Per se quidem figura vitiatur in vtero, vt si aliquis in sui conformatione figuram corporis malam acquirat, vt sunt gibbi.

Per accidens. Per accidens vitiatur figura, vt in luxatione, cum ob aliquam causam extrinsecam os ab osse remouetur, vt partis figura lædatur.

In meatu, & cauitate. Vitiatur figura in meatu, & cauitate, quando ille nimis obstruitur, hæc autem nimis laxatur.

In asperitate, et lenitate. Vitiatur in asperitate, & lenitate quando partes ex sui natura lenes fiunt asperæ, & asperæ lenes.

Hæc de mala figura.

De situ.

Positus. Situs vitiatur dupliciter, vel per positum, vel per copulationē. Per positum quidem quando v. g. pars, quę deberet esse in parte dextera locatur in sinistra.

Copulatus. Situs vitiatur per copulationē, quando vna pars est copulata cum alia v.g. digitus sit cum alio copulatus termino cutis communi.

De numero.

Excess. Vitiatur numerus, vel in defectu, vel in excessu; In defectu, vt si aliquis careat quinto digito: *Defect.* In excessu verò si habeat in vnica manu sex digitos.

De quantitate.

In decremento. Vitiatur quantitas dupliciter in decremēto, & incremēto: In decremento quidem si pars v.g. careat determinata longitudine, latitudine, & profunditate: *Increm.* In incremento autem, si pars inæquali sua dimensione excedat. Atq; tot sunt differentiæ malæ compositionis, quę est morbi species proprijssima partium dissimilarium.

Duæ ergo sunt differentię morborum proprijssimę; Intemperies, & mala compositio; prima est partium similarium; secunda est dissimilarium.

Morbi in subst. refutatur. His duabus aliqui addūt tertiā, quem morbum in substantia, vel forma appellant, cuius essentia nō in qualitatibus primis, neq; in vitio compositionis fundatur, sed in vitio substātiarum elementorum, propterea morbum in substantia appellant, quæ morbi differentia est, vt colligi potest ex cap. 3. huius methodi, futilis, & vana.

De solutione continui.

Hvc vsq; egimus de differentijs proprijssimis morborū, quę sunt duę: Intemperies & mala compositio: Nunc est agendum de differentia communi morborum, quæ solutio continui dicitur. De qua tria sunt videnda; primò an sit morbus. Secūdò an sit communis: Tertio quotuplex illa sit.

Solutio continui est morbus. Solutionē continui esse morbū, quicq̄d dicat garrulus, & nasutus Argenterius, ex hoc facilè conijci potest. Ille est morbus, ex defini-

tione morbi, qui p se primò actiones lædit: Solutio continui per se primò lædit vires ergo solutio continui est morbus. Probatur minor: Tunc per se primò læduntur actiones, quando læditur immediatum organum actionis, ergo solutio cōtinui est morbus.

Probatur conseq. organum adæquatum respectu actionis est vnitas: Sed solutio continui tollit hãc rationem adæquatam vnitatis, ergo immediatè lædit actiones: maior fusius fuit à me ostensa in præcognitionibus vulnerum disputatione prima de formalitate solutionis continui; quare morbum esse solutam vnitatem, non est, quòd aliquis suspicetur.

Solutio continui est morbus cõis. Quo ad secundum propositorũ; solutionem continui esse morbum communem competentem, tã similaribus, quàm dissimilarib. probat.

Ille est censendus morbus communis, qui commune organum facultatis lædit, solutio continui cõe organum facultatis lędit, ergo est morbus communis.

Probatur minor. Commune organum facultatis respectu actionis est vnitas, sed vnitas est communis ratio instrumentalis partium dissimilarium, & similarium: Et hæc vnitas à soluta cõtinuitate tollitur, Ergo solutio continui est morbus.

Probatur minor: De ratione intrinseca partis similaris est, quòd sit vna, & de ratione intrinseca organi est, quod sit vnum, Ergo vnitas est ratio communis instrumentalis partium similarium, & dissimilarium: Sed hæc communis ratio læditur à solutione continui; Ergo solutio continui est morbus communis.

Sed de hoc pariter abundè à me dictum est in disputatione de communitate solutionis continui.

Differentiæ solutionis continui. Quantum deniq; ad tertium; differentiæ solutionis continui sunt numero vndecim.

1. dicitur Trauma, idest vulnus in carne.
2. dicitur Helcos, idest vlcus in carne.
3. dicitur Catagma, idest fractura in osse.
4. dicitur Spasma, idest cõuulsio, seu distentio in neruis.
5. dicitur Apospasma, idest, auulsio in ligamentis.
6. dicitur Rhegma, idest, ruptio in musculis.
7. dicitur Thlasma, idest, collisio, vel contusio in vasis.
8. dicitur Ecchymosis, idest, sanguinis extrauenatio.
9. dicitur Anastomosis, idest, oris vasorum apertio.
10. dicitur Diapedesis, idest, transcolatio per tunicas vasorum rarefactas.
11. dicitur Anabrosis, idest, erosio in vasis à causa erodente.

Atq; tot sunt differentiæ solutionis continui. Et de morbo, & morborum differentijs compendiosè dicta hæc sufficiant.

DE SYMPTOMATE.
Caput V.

DE symptomate acturi, tria breuitate, & meth. discutiem^9

1. Quid

Primò; quid nominis symptomatis.

Secundò; est definitio quid rei symptomatis.

Tertiò, sunt symptomatum differentiæ.

Quot modis capiatur symptoma. Quo ad definitionem nominalem symptomatis, sciendum est, hoc nomen symptoma multipliciter sumi: Vno modo improprijssimè, & analogicè tantum pro eo, quod quidem ex se secundum naturam est, proportionabiliter tamen se habere videtur præter naturam; vt color niger in Indis symptoma dicebatur à priscis, sed maximè impropriè, vt ex Gal. colligitur lib. de optima secta. Et hoc modo hic non accipitur symptoma. Secundò modo capitur symptoma genericè pro omni re præter naturam, siue morbus, siue causa sit, vt colligitur ex Gal. lib. de sympt. diff. c. 1. Propterea in hoc sensu generico symptoma æquiuocè prædicatur tam de morbo, quã de causa morbifica: & hoc modo hic non intelligitur symptoma.

Tertiò modo capitur symptoma specificè, & vniuocè pro eo affectu præter naturam, qui tanquã in secundo modo per se dependet a morbo, vt quid morbi consecutiuum, sicuti vmbra corpus, vt asserit Gal. 2. meth. cap. 1. Et hoc tertio modo hic recipitur symptoma, non proportionaliter, non genericè, sed specificè, pro affectu præter naturam morbum consequente.

Hæc de notione symptomatis, sed notandum, tres esse voces, quæ idem videntur significare: sunt autem *casus accidens, & symptoma*: *Quid casus.* Casus dicitur, eo quia ex alio incidat: *Quid accidens.* Accidens, quia sequitur ex aliquo agente. *Quid symptoma.* Symptoma quod est id, quod præcisè morbum consequitur. Differunt autem quia casus est nomen generis, quod non competit symptomati specificè sumpti; Accidens verò ex Gal. 9. c. 1. lib. meth. med. illud est, quod sanorum constitutionem insequitur ad differentiam symptomatis, quod ægrotantibus tantum accidit; Vnde symptoma, de quo hic sermo est, accidens est vtique; sed accidens in corpore contingens tantùm ægrotanti.

Hoc symptoma ita præcisum essentialiter nihil aliud est, nisi quid *necessariò morbi naturam consequens*. *Genus symptomatis.* Genus definitionis est cum dicitur, *quid consequens*, hoc enim genus prædicatur tam de symptomate, quam de morbo; Nã & morbus est quid consequens; Sed differentia est, quoniam morbus est quid consequens causam morbificam, sed symptoma est quid consequens ipsum morbum, ex quo esse quid consequens *Differentia constitutiua.* necessariò *morbum*, est genus restrictum à propria differentia constitutiua symptomatis.

DE SYMPTOMATVM Differentijs.

Differentiæ symptomatum ex triplici desumuntur fonte, ex *antecedente*, ex *consequente*, & *ex supposito*.

Ex

Antecedens symptomatis

Ex antecedente quidem: Nam cùm symptoma sit de genere consequentium, & positio consequentis supponat positionem antecedẽtis, ideo symptomatum differentię desumuntur ab antecedente, tanquam à sui causa productiua. Quale autem sit hoc antecedens, non leuis est difficultas.

Opinio Capiu.

Capiuacceus dicit, hoc antecedens esse duplex, causam scilicet, & morbũ, ex quo duę symptomatum differentiæ oriuntur, symptoma causę, & symptoma morbi: Dari autem symptoma causæ, quod immediatè citra morbum à causa dependeat, probat Capiuacceus auth. Gal. 3. de sympt. caus. cap. 1. qui statuit actionem lædi, vel ob errorem externum, vel læsam facultatem. Læsa quidem facultas supponit morbum à quo læditur, vt *apepsia*, idest, cruditas, ex intẽperie frigida ventriculi, quæ morbus est; ob errorem autem externum, qui non supponit morbum, v.g. si actio chylificationis ventriculi lædatur ob nimiam ciborum copiam, nullo existente morbo in ipso ventriculo, vnde actio hæc læsa, procul dubio est symptoma, & dependet immediatè à causa citra morbum, propterea ait Capiuacceus ex hoc loco Galeni colligitur, dari symptoma causæ.

Confutatio.

Verùm quia in doctrina Galeni puto; errorem esse, dari symptoma causę, loquendo de symptomate specificè sumpto, cùm sit effectus nexum essentialem habens cũ morbo, ideo cogor huius viri ęquiuocationem patefacere: Non dari igitur symptoma causæ sic probo. Causa in esse adæquata non potest producere nisi vnum effectum speciei: Causa morbifica est causa in esse adæquata morbi, ergo non potest producere nisi morbum, ergo nõ symptoma, quia symptoma est specie distinctum à morbo: Similiter morbus est causa adęquata in esse symptomatis, ergo morbus, & non alia causa potest producere symptoma, ergo datur tantùm symptoma morbi, non autem symptoma causæ.

Declaratur loc. Galeni.

Locus autem Galeni non rectè fuit perceptus à Capiuacceo: Nam Galenus eo loci loquitur de eo symptomate, quod lib. 1. method. med. appellauit accidens, quod dixit esse, & fieri in corporibus sanis ad differentiam veri symptomatis, quod fit solùm in ægris: Et quod hoc sit verum patet in exemplo proposito: Nam copia ciborũ cuius causa fit, vt per accidens lædatur actio coctionis, non est causa per se, sed per accidens: vnde etsi lędatur actio chylificãdi, quod ab ipso symptoma dicitur, hoc est per accidens, non per se. Symptoma verò per se à suo principio fluit: Propterea actio lęsa per accidẽs ex copia ciborum, non est symptoma, sed accidens, & si sit symptoma est ęquiuocè: Symptoma igitur per se desumitur tantum à morbo, tanquam à sui determinato antecedente.

Consequẽs symptomatis quale.

A consequente pariter desumitur differentia secunda symptomatis: Et cum hoc consequens sit ipsum symptoma, idcirco eius differentia est, & *symptoma symptomatis* dicitur; Nam sicut à risibilitate,

tate,

tate, quod eſt accidens proprium hominis, oritur aliud accidens, nimirum eſſe admiratiuum; & adhuc aliud, eſſe diſciplinæ capax: Ita à ſymptomate immediato alicuius morbi alia ſymptomata oriri poſſunt, vt patet in vertigine per eſſentiam: Nam vertigo eſt imaginatio deprauata, quæ eſt ſymptoma: Imaginatio deprauata dependet ab affectione circulari, quę ſymptoma eſt: Affectio circularis à motu circulari ſpirituũ animaliũ prodit, qui ſymptoma eſt: Et hic motus circularis ſpirituum dependet immediatè à morbo, ſcilicet ab obſtructione facta à vapore craſſo obſtruente, cuius gratia, ſpiritus, nec motu recto, nec reflexo moueri poſſunt, ideo circulariter mouentur. Patet ergo, quòd ex immediato ſymptomate cætera ſymptomata oriuntur; vnde datur hæc ſecunda differentia ſymptomatis, quæ à ſymptomate, tanquam ab ipſo conſequente deſumitur.

Quō fiat vertigo.

Suppoſitū quid.

A ſuppoſito tandem ſumuntur ſyptomatum differentiæ: Quid autem per ſuppoſitum intelligere oporteat, dico debere intelligi partem viuentem, in qua concretiuè ſubiectantur morbus cauſa morbi, & ſymptoma. Verùm cùm hic agatur de ſymptomatum differentijs, cum ſymptomata ſint accidentia quædam, ideo non à ſubſtantia ſuppoſiti, partis, ſcilicet, ſed ab accidentibus ipſius deſumi debent; Et cum ſubſtantia partis ſit eius facultas pars ipſa ſubiectiua, & quæ inſunt ſecundũ ſubſtantiæ rationem, temperamentum ſcilicet, & calidum innatum, ideo ab his ſymptomatum differentiæ dici non debent: Pariter cum ratio ſubſtantiæ organicæ partis ſint numerus, quãtitas, figura, & ſitus; Idcirco ex his ſymptomatum differentiæ exhauriri nequeunt: Ab accidentibus ergo partium præter naturam conſtitutarum euocari debent; quæ accidentia ſunt in duplici diſcrimine, alia ſunt propria, & hæc eſt *actio læſa*: Nam ſicut actio naturalis eſt accidens proprium partis ſanæ, ita actio læſa eſt accidens partis ægrotantis.

Accidēs propriū partis.

Alia verò ſunt communia, & hæc ſunt duo; *excrementum mutatum*, & *qualitas mutata*. Excrementum quidem mutatum eſt accidens cõmune, quia ſequitur accidens proprium, nimirum actionem læſam; Ex læſa enim actione tanquam ſoboles, ſequitur mutatio excrementi. Qualitas etiam mutata eſt accidens commune ipſius partis laborantis: Quare tres ſunt ſymptomatum differentiæ; *actio læſa*, *excrementum mutatum*, & *qualitas mutata*. Sed ſingula dicamus vberioris doctrinæ cauſa.

Accidētia communia quæ.

DE ACTIONE LAESA.

Actio læſa, vel attenditur penes *entitatem actionis* læſæ, vel penes *modum læſionis*. Si penes modum læſionis, actio tripliciter læditur:

Abolitè.
Diminutè.
Deprauatè.

Actio

Actio de prauata Actio læsa deprauatè nil aliud est, nisi actio læsa in excessu, vt palpitatio cordis, est actio cordis læsa deprauatè, quia talis actio læditur secundum excessum.

Diminuta. Actio læsa diminutè nil aliud est, nisi actio lęsa in defectu, vt strãguria, est actio vesicæ læsa diminutè, quia talis actio læditur secundum defectum, cum sit mictio guttatim facta.

Abolita. Actio læsa abolitè, nil aliud est, nisi actio læsa secundum priuationem, vt suppressio vrinæ, est actio vesicæ læsa abolitè, quia talis actio ex toto deest, vnde vesica dicitur mictionis actione destituta, & priuata. Quare actio, vel læditur secundum *defectum*, vel secundum *excessum*, vel secundũ *priuitionẽ*.

Enimverò si actio læsa attendatur penes ipsius entitatem; hæc actio, vel est animalis, vel naturalis.

Actio læsa animalis est duplex, primaria, & secundaria: primaria est triplex:

Memoratio.
Intellectio.
Imaginatio.

Secundaria est duplex:

Motiua.
Et sensitiua.

Sensitiua est quintuplex:

Visio.
Auditio.
Gustatio.
Tactio.
Odoratio.

Motiua autem est actio voluntaria: quæ omnes actiones lædũtur tribus modis iam positis, scilicet:

Diminutè.
Deprauatè.
Abolitè.

At si loquamur de actionib. naturalibus, hæ vel sunt communes, vel propriæ.

Actiones communes naturales sunt quatuor,

Attractio.
Retentio.
Coctio.
Expulsio.

Actiones propriæ naturales sũt naturalium quidem partium, vt

Chylificatio ventriculi, & eius suctio.
Sanguificatio iecoris.
Transcolatio, renum.
Anadosis, idest, distributio intestinorum.
Mictio vesicæ.
Subactio humoris melancholici, lienis.
Seminatio, testium.
Menstruatio, vteri.

Actiones propriæ naturales partium spiritualium sunt:

Pulsatio cordis.
Ventilatio pulmonum.
Vox, glottidis.
Inspiratio, & exspiratio, Thoracis.

Quarum actionum vnaquæque, vel deprauatè, vel abolitè, vel diminutè, lædi potest. Et hæc de actione.

DE EXCREMENTO. *Mutato.*

EXcrementum mutatum, quod secundam differentiam sympto-

ptomatis constituit, cum sit sobo-les symptomatis per se, scilicet a ctionis læsæ, ideo hoc excrementũ potest dupliciter considerari, vno modo sub natura excrementi, alio modo sub natura mutati. Si accipiatur excrementum quatenus tale sub ratione excremẽti, tot oriũtur excrementorũ differentiæ specificæ, quot sunt coctionis species: coctiones sunt tres, prima, secunda, & tertia; tria quoq; sunt excrementa vniuscuiusq; coctionis maxime propria.

Excreta propria. Nam pituita est excrementum primæ coctionis ventriculi.

Bilis, melãcholia, & serum sunt excrementa propria secundæ coctionis, iecoris.

Calculus, cæteraq; excreta solida, vt fungus membranæ cerebri vulneratæ, tertiæ coctionis partium solidarum sunt excrementa propria.

Et quia hæ tres coctiones sunt inuicẽ subalternatæ, ideoq; in genere cõueniunt, etsi specie discrepent, ideo præter excrementa propria specifica, datur vnum genus excreti commune omnibus coctionibus, hoc autem est vapor, & flatus, qui in vnaquaq; coctione gigni possunt; *Cõmunia.* Et hæ sunt excremẽtorum species, considerato excremento sub ratione excrementi: Et hinc sat mirari non possum doctũ Capiu. qui considerans excrementa secundum eorum essentiã, quatenus excremẽta sunt, inter illa reponit chylum pro excremẽto primæ coctionis: Et sanguinẽ pro secunda; carnẽ & neruum pro tertia; cùm chylus, & sanguis sint alimenta, non excrementa: caro autem, & neruus sint partes viuentes, non excrementa. *Error insignis Capiu.*

Verùm enim verò, si hoc excrementum consideretur sub ratione mutati: tot oriuntur differentię excrementorum mutatorum, quot sunt species mutationum: Mutationis autẽ species quatuor sunt: Mutatio in substantia, in quantitate, in qualitate, & mutatio secundum locum.

Mutatio secundum substantiã, quæ formam attingit, vel est generatio, vel corruptio: Hinc duplex species excrementi mutati secundum formam: excrementum genitum, & excrementum corruptum. *Mutatio in substantia quotuplex.*

Excrementum genitum secundum totam substãtiam est triplex:

Animatum, vt vermis.

Inanimatum, vt lapis.

Solidum, vt folliculus napę.

Excrementum corruptum secũdum totam substantiam, est excrementum, quod putredine corrumpitur.

Mutatio in quantitate est duplex, auctio, & decretio: Hinc duæ differentię excrementi mutati secundum quãtitatem, in excessu, & defectu: In defectu, vt exigua portio humoris pituitosi in iuncturis pro motu exercendo: In excęssu, vt nimia copia eiusdem. *In quantitate.*

Mutatio in qualitate est alteratio; alteratio autem est, vel in qualitatibus primis, vel in secundis, vel in occultis. Hinc tres excrementorum differentiæ secundum qualitates primas, scilicet excrementum *In qualitate.*

Calidum, vt bilis.

Frigidum, vt melancholia.
Siccum, vt bilis, & melancholia.
Humidum, vt pituita.
In secundis qualitatibus excrementum, scilicet molle pręter naturam.
Durum.
Asperum.
Lene.
Graue.
Leue.
Crassum.
Lentum.
Viscidum, & similia.
In occultis qualitatibus, vt excrementum gallicum, & veneficũ.

Secundum locum. Mutatio secundum locũ est duplex, positiua & priuatiua. *Positiua* est motus ipse rei mobilis; *priuatiua*, est quies, quę priuatio motus est: Hinc duæ excrementorum mutatorum differentiæ, secundum motum, & quietem.

Excrementa mutata secundum motum illa sunt, quæ tempore indebito, & per spatium alienum egrediuntur.

Excrementum, quod egreditur tempore intempestiuo, dicitur excrementum symptomaticum, vt sudor citra signa coctionis.

Excrementum, quod egreditur per spacium alienum, est, vt sanguis ex ore.

Excrementa mutata secundum quietem illa sunt, quæ cum exire deberent; præter naturam detinẽtur, vt sanguis menstruus detentus. Et hæ sunt differentiæ essentiales excrementorum considaratorũ sub ratione mutati, quæ sunt nu. 12. sicut quæ desumuntur à natura excrementi, sunt num. 4. quæ differentiæ ad numerum 16. perueniunt.

De qualitate mutata.

SEquitur tandem vltima differentia symptomatis, quę *qualitas mutata* dicitur, cuius essentia ab eius inhærentia cum subiecto desumitur: Nam qualitas mutata, vel subiectatur in excrementis, & hæc refertur ad secundam speciem symptomatis, nimirum ad excrementa mutata secundum qualitatem: vel qualitas mutata accipitur, vt subiectatur in substãtia partis: Et hoc modo qualitas mutata cõstituit tertiam speciem symptomatis à secunda diuersam, quam naturam à suo subiecto recipit agente per actionem immanẽtem, vt color flauus cutis, color rubeus genarum ex sui natura pallidarum. *Quomodo sit accipienda qualitas mutata.*

Et hæc de qualitate mutata, & omnino de symptomatibus methodicè dicta sufficiant pro complemento Pathologiæ.

HERMET. IMPOSTVRA.
Pathologica Paramirica.

De rebus præter naturam in genere. Cap. I.

SEd iam sermonis partem ad rationales Hermeticos deriuemus, vt quid de rebus præter naturam senserint, ordine, & methodo videamus; & primo quidem in genere, mox in specie.

Quo ad

Quomodo Hermetici differãt à Dogmaticis.

Quo ad rerum præter naturam genus, non videntur in ratione methodi à Dogmaticis discrimi-nari; sed tantum, quo ad terminos res ipsas præter naturam in specie constituentes: nam sicut Dogmatici, ex læsa partis viuentis actione, formalem partis viuentis morbi constitutionem inducunt: similiter Hermetici ex læsa actione, partis viuentis morbum inducũt, cum enim pro triplici substantia in parte viuente, triplex actio celebretur, actio scilicet *formæ*, quę à sulphure; actio *cõsistentis vnitatis*, quæ est à sale; & actio *actiuitatis caloris in humidum*, quæ recipitur in mercurium; ideo si altera harum actionum lædatur, necessario ex lęsa actione formalem morbi constitutionem in parte viuente cõijciunt, vt ex Hermetico passim in secundo Paramiri libro de morborum origine, quamquam confuso quodam ordine, colligitur.

Morbi inductio.

Quòd autẽ, sicut Dogmatici ex morbo, tanquam ex vi ilatrice, causam morbificam inducant, patet, quia sicut methodici ex morbo demonstrant causam, ex eo, quia esse morbi sit accidens, quod non est à se ipso, sed ab alio, tãquam ab eius causa productiua; ita Hermetici statuunt, nil seipsum in morbum conijcere posse, cum ad causandum morbum *ens substantiale, & astrale requiratur*, quia requiritur *mascula*, & *virilis* virtus ad causandum morbum, sulphur autem, sal, & Mercurius per se virilis non est; vnde *mascula natura* ab astrali ente communicatur, quibus terminis nil aliud Hermetici inferre volunt, nisi quòd præter morbum, debet etiã assignari causa *virilis*, & *mascula*, idest quæ sit in esse, & in fieri productiua, hæc enim vis causatiua, *virilis*, & *mascula* ab Hermeticis vocatur; quare in ilatione methodica à morbo ad causam morbi, Hermetici non differunt à Dogmaticis.

Causæ morbificæ.

Symptomatis.

Præter autem morbum, dari symptomá, vt quid morbi consecutiuum, ex Hermetico patet, qui lib. 2. de peste capite primo, eos arguit medicos, qui loco morbi *accidens*, hoc est symptoma, curant, hi enim nec morbum, nec eius accidens, rectè pernoscunt; his verbis innuens symptoma tanquam morbi consecutiuum, à quo in mędendi methodo non dessumitur indicatio curatiua, nec præseruatiua per se; Quantum ergo ad methodum eliciendarum rerum præter naturam, nullum est inter Dogmaticos, & Hermeticos discrimen.

De rebus præter naturam in Specie. Cap. II.

De Morbo.

Discrepantia à Dogmaticis.

VErum sicut conueniunt in rebus præter naturam in genere, ita discrepant circa illas in specie, potissimum circa morbum, & causam morbi: dicamus primum de morbo; ex Dogmaticorum sententia, morbum esse constitutionem præter naturam per se primo lædentem operationem, hancque præter naturalem con-

constitutionem esse qualitatem passibilem, superius liquidò fuit monstratum; Hermeticei verò visi sunt, voluisse, præter naturalem hanc constitutionē esse immediatè circa substantiam, ita vt morbus ex se fit in substātia, nam Hermeticus, lib. 1. de orig. Morb. cap. 1. apertè constituit, ægritudinem formaliter consistere in præternaturali trium substātiarum, sulphuris, salis, & Mercurij, constitutione, ex quorum recta constitutione, oritur sanitas, & ex mala earūdem constitutione, morbus: qui propterea non in aliqua partis viuentis vitiata qualitate fundatur, sed in ipsamet partis viuentis substantia sulphurea, salita, & mercuriali animata præter sui naturam constituta: hinc propterea negant omnem morbum in intemperie, mala compositione, & soluta vnitate, & affirmant omnem morbum esse in substantia.

In quo consistat natura morbi ex Hermeticis.

Quæ substantia, prout triplex est, sulphur, sal, & Mercurius, ita triplicem morborum differentiam statuunt, alij enim sunt sulphuri, alij saliti, alij mercuriales, prout præter naturalis constitutio fit in sulphurea, salita, & Mercuriali substantia; & prout variat constitutio sulphureæ substantiæ, salitæ, & Mercurialis, ità variant sulphurorum, salitorum, & Mercurialium morborum differentiæ.

Morbi sulphurei.

Sulphur enim partium viuens ex *officio suo elapsum*, idest, præter naturam constitutum, *in suscitationem morborum degenerat*, calidorum, frigidorum, humidorum, & siccorum, vnde alij sunt morbi sulphurei calidi, alij sulphurei frigidi, alij sicci, alij humidi: cuius rei fundamentum adducit Hermeticus libro secundo, de origine morborum capit. sexto, cum sulphur elementorum impressiones facilitèr suscipiat; quare si ab elemento humido occupetur, humiditatis gradum præter naturam nanciscens, *humescit*; si ab elemento aeris inuaditur, gradum siccitatis concipiens, *siccescit, in aere enim siccitas consistit:* Pariter ab elemento ignis *calidum*, à terra frigidum redditur: & morbi sulphurei differentiæ oriuntur, pro vt ipsum vario modo in diuersis partib. *transmutatur* ab elementis.

Morbi salinæ substantiæ.

Salina quoque substantia tribus modis propriam constitutionem egreditur, vel vt *resoluitur*, vel vt *calcinatur*, vel vt *reuerberatur*, ex *resolutione* salinę substantiæ, fit in ea constitutio morbi *putredinalis:* ex *calcinatione* fit in ea constitutio morbi *sicca*, ex humido calcinatione depopulato: ex *reuerberatione* fit in ea constitutio morbi *acris, & mordax*, ex quo nullum vlcus sine sale fieri potest.

Morbi ex Mercuriali substantia.

Mercurialis substantia partis viuentis præter naturam tripliciter constituitur, *destillatione, sublimatione, & precipitatione:* ex destillatione substantia Mercurij ad *intensum subtilitatis gradum* constituitur, pariter secundum magis, & minus *sublimatione, & precipitatione*, vt propterea ratione destillationis, illi mortem

tem repentinam tribuant, ratione præcipitationis, podagram, & ratione sublimationis, maniam, vt ex Hermetico colligitur libro secundo, de origine morborum, capit. 4. Hæc ergo in terminis breuiter ab Hermeticis proferûtur, tam de natura morbi quã de eius differẽtijs.

Causa morbi. Pro causa tandẽ morbi productiua, non qualitates elementares, nec humores statuunt, sed *ens astrale*, hoc est astrorum influxum.

Destructio Paramir. Verum enim vero, sicut destructo fundamento ruit fabrica, ita cum nos tres has substantias paramiricas in præhabitis sufficienter exploserimus, tota percõsequẽs de morbi natura, & differentijs ruinosè labitur fabrica, sub cuius præcipitio, vt conculcati, & sepulti magis appareant Hermetici, aliqua ad præsens institutum subiungere decreui.

De morbi const. Dicunt morbi constitutionem fundari in substantia, & quomodo esse potest, quòd substantia alicuius substantificè pereat, nisi constitutum etiam pereat? si substantia partis viuentis, verbi gratia sulphurea substantificè mutaretur, necessariò pro illa parte destrueretur, cũ ex sulphureo detineretur morbo, vel si ex eorum medicamentis regeneraretur, cum semini inexistat, sulphur, non vniuocè, sed analogicè tantum restitueretur, quod absurdum maximum censendum est.

De morbo in intemp. Sed ad morbi differentias nos conuertamus, & primum quidẽ de intemperie ab illis negata dicamus quam enim ineptè prius hec gauerint morbum in intemperie, postea proprias afferentes differentias, illam confirmauerint, vnicuique compertum erit, cum morbi sulphurei calidi frigidi humidi, & sicci statuantur, cum hi ad intemperiem reducantur; si enim negabant morbum in intemperie, debebant etiam negare morbos frigidos, calidos, humidos, & siccos; vt taceam eorum ineptiam, *siccitatẽ esse ab aere*: insuper salinæ substantiæ putredinalis constitutio per resolutionem, sicca per calcinationem, & acris per reuerberationem, ad intemperiem calidam, & siccam apertè reducatur; sicut mercurialis substantiæ morbifica constitutio ad intensum subtilitatis gradum, ad intemperiem reducitur calidam; quare hi ob ignorantiæ lapsum, dum negant morbum in intemperie, vt suas substantiarum morbificas differentias proponant, eundem in intemperie morbum specificè affirmant: sed ex ipsis insuper dari morbum in intemperie, patet, cum ex Hermetico in Chirurgia magna, inter alias vlceris differentias, dentur etiam vlcera *inflammationis*, & *accessionis*, seu conflagrationis, idest ex intemperie orta, quam Hermeticus *elementarem inflammationem* appellat, idest intemperiem calidam, & siccam, inductam ab *igne inuisibili*, idest calore innato accenso à *sole interno*, idest à calore extraneo influente: non ergo ab ipsis negari debet morbus in intemperie.

De mala cõposit. Sicut nec morbus in malà compositione, cum Apostemata proponant in Chirurgia minori, & in tractatib. de orig. morbor. ex tartaro, varias

varias obstructionum, & constipationum species, quæ ad tumorum genus referuntur, sicut de ente naturali proponunt morbos ex viscerum principalium obstructione à suo scopo aberrantium: quæ omnia ex eorum mente vitium in mala compositione arguunt.

De solu ta vnita te. Tandem, cum in Chirurgia maiori, & minori vulnera proponant, immo, & *continui solutionem* ideo non est postea, quòd contradictoriè eum negent: Quare determinatum sit, Hermeticos in morbi quidditate, & differentijs nil noui proponere, sed omninò, velint nolint, ipsis etiam ringentibus, easdem Dogmaticorum proponere, quãquam, in trium substantiarum fundamenti suppositione, diuersis contradictorijs implicantijs, se ipsos diuersimodè implicent. Hæc de morbo.

De causa morbi. De causa morbi, in eo etiam videntur maximopere deficere, cum caussam externam, & remotam *influxum*, scilicet *astralē*, pro adæquata, & immediata causa morborum proponant; cum hęc interna assignari debeat, qua posita primo, morbus ponatur primo, & qua ablata primo, auferatur morbus primo: & eo magis reprehensione digni sunt, quia vt superius ostensum est, à veritate coacti, morbum in intemperie ponunt, postea negant efficientiam qualitatum elementarium pro morbi generatione, quæ est manifesta implicantia.

De symptomate. De symptomate, sicut optimè constituerunt, esse à morbo, sicut ab eo nõ dessumi curat per se, ideo conuenientes cum dogmaticis, solum in hoc laude digni videntur. Hæc de Pathologia Paramirica.

DE MORBO COMMVNI Quæstiones duæ, quarum prima quærit, vtrum solutio continui sit morbus.

Argum. opinio. Duæ sunt oppositæ, & contradictoriæ opiniones, Galenus 2. method. capit. sexto, & qui Galenum profitentur, volunt esse morbum. Argenterius verò contra Galenum de generibus morbi cap. 12. nititur probare, neutiquam esse morbum, sed causam morbi, idque varijs rationibus.

Prima ratio. Prima est: morbus consistit in facto esse, solutio continui consistit in fieri, Ergo solutio continui non est morbus.

Secunda est, de intrinseca ratione morbi, est immediatè lædere actiones, solutio continui immediatè non lædit actiones, Ergo non est morbus.

Minorem probat ex Galeno 2. meth. cap. 6. & 1. meth capit. 3. docente, actiones proprias similariũ esse tangibiles, sed actiones tangibiles per se primò solum ab intemperie læduntur, & non à continui solutione, Ergo. &c.

Tertia. Morbus est partium actionem habentium morbus; sed continuitas partium, vt sic nullam habet actionem, sed tantum vsum, Ergo solutio continui non est morbus.

Quarta. Id quod est continuum est quantum, ergo morbus in soluta

ta vnitate, erit morbus in quantitate, & per consequens non erit genus morbi à cæteris distinctum.

5 Quinta. Læsio actionum partiũ organicarum pendet immediatè ab aliqua specie malæ compositionis, vel figuræ, vel situs, vel numeri, vel quantitatis, Ergo solutio cõtinui partium organicarum nõ potest immediatè earum actiones lædere, Ergo non erit morbus, sed causa morbi.

6 Sexta. Si continui solutio esset morbus, esset morbus communis; si communis morbus, Ergo communis quædam adesset ratio, quæ actionum esset causa. Sed nulla datur communis ratio, quæ sit causa actionum similarium, & dissimilarium, Ergo non datur communis morbus, Ergo solutio continui nõ est morbus. Hæc & similia nugatoria protulit Ceruicosus Argenterius in Galenum nimis nasutus.

Merc. opinio.

Recentiores, vt Galenum ab Argenterij calũnijs vindicent, conantur ostẽdere, quomodo solutio continui lædat actiones, & sit morbus. Mercatus ait, libro 3. de morb. classe 2. q. 175. Argenterium non rectè intelligere quid sit esse commune vtrisque partibus, cuius defectu communes actiones immediatè læduntur: Communem hanc rationem dicit esse vnionem, qua præsente, communis salubritas in similaribus, & dissimilaribus seruatur; Ea verò absente, actiones communes læduntur, quia, cum facultas, calor, & spiritus per partiũ continuitatem, in partes influant, soluta ea continuitate, quæ per integritatem, & vnionem sit, partes morbo corripiuntur, non mi[illegible]us proprio, quàm si ab intemperie, à quo morbo immediatè læduntur actiones; quare vult Mercatus, actiones communes immediatè lædi à soluta vnitate, eo quia per continui solutionem tollitur influxus caloris, & spirituum, nec non facultatis commeatus. Huic responsioni fauet Cæsar Magatus de vulneribus lib. 1. cap. 9. qui voluit communes actiones semper lædi: Nam cum attractio, & expulsio fiat successiuè per partem post partem, idcirco partium vnitas requiritur, quæ si auferatur, statim lędũtur ipsę actiones communes.

Cæsaris Magati opinio.

Capiuacci sententia.

Capiuacceus in meth. anat. c. 3. cum definiret actionem, esse motum hominis effectiuum mediante spiritu, & constitutione, cùm cõstitutio sit triplex, temperies, compositio, & vnio: Sicut temperies est propria constitutio similarium, & compositio dissimilarium, ita vnio est commune organum facultatis, quo mediante facultas operatur; Propterea læso hoc organo facultatis per solutam vnitatem, necessariò facultas in actione deficit, & per consequens actio immediatè læditur ad immediatam læsionem organi facultatis; vnde solutio continui est morbus: verùm quomodo vnio sit organum facultatis, & qua ratione eo læso, lędantur actiones, cum à Capiuacceo non exponatur, iudicamus, eum ita intellexisse, sicut Mercatus.

Merc. reijcitur

Quę Mercati responsio non est recipienda: stat enim opinio Argenterij: si quidem cùm de ratione morbi sit p se primò lędere actiones

nes, clarum est, actiones per se primò ipsi temperiei debeantur in via Galeni, non autem vnitati, proptereà à soluta vnitate non videntur communes actiones per se primò lædi posse: Nam vt dicunt, verum est vnitatem partium esse conditionem sine qua non actiones communes celebrari queunt, quæ per successiuam partium continuitatẽ efficiuntur; sed vnitas nõ est prima ratio, qua mediante facultas se exerat, ideóq; soluta vnitate, per accidens læduntur actiones, & nõ per se, & si per se, non tamen primò, & immediatè; quia tametsi vnitas sit conditio per se, non est tamen vniuersalis primo cui per se primò debeatur actio communis: nisi igitur alius respondendi modus reperiatur, non saluabitur Galenus, & Argenterius non confutabitur.

Sententia propria. Vt veritas elucescat, quinq; examinanda sunt, primum, quid sit vnitas. Secundum quomodo sit communis similaribus, & dissimilarib. Tertium quid sit vnio, & quomodo à compositione differat. Quartum, qua ratione sit organum facultatis respectu actionis. Quintum, quomodo soluta vnitate per se primò lædatur actio.

Quid vnitas. Mercatus. Quantum ad vnitatem Mercatus lib 3. de morb. classe 1. q. 175. scribit, vnitatem ex se esse priuationem diuisibilitatis, & quanquã Indiuisibilitas non sit essentia vnitatem cõstituens, est tamẽ effectus consequens, à qua indiuisibilitate oritur communicabilitas necessaria ad esse vnum: Non est bonus metaph. Mercatus, duę enim sunt de vnitate opiniones; Prima est Auicennæ 3. metaph. cap. 3. quam insequitur D. Thom. 1. sent. d. 24. *Auicennæ, & D. Tho. sententia de vnitate.* volunt. n. vnitatẽ numeralem esse accidens, cuius ratio est esse quantitatiuum indiuisum pendens à quantitate continua, cuius proprietas est ratio mensuræ. v. g. lapis est numero vnus, quia habet esse quidditatiuum indiuisum pendens à quantitate continuata lapidis. Secunda est Pauli Soncinatis 1. metaph. q. 3 dicentis, vnum numerale esse accidens, quod est quantitas continua rei quantæ v. g. vnitas huius lapidis est eius quantitas continua, quatenus dicit indiuisionem in se, & diuisionem ab alio: *Soncinatis.* Propterea Mercatus videtur inconstans, *Mercatus inconstans.* quando enim dicit vnitatem esse priuationem diuisibilitatis, videtur opinionem D. Thomæ sectari; verum quando subiungit indiuisibilitatem non esse essentiam vnitatis, tunc destruit sententiam D. Thomæ, quam profitetur: Nam esse quantum indiuisum, est prędicatum essentiale ipsius vnitatis, quod in primo modo per se vnitatem cõtinet, à qua indiuisione, tanquam proprietas in secũdo modo per se, fluit ratio mensuræ; Quamobrem ne contingat implicatio contradictionis, dicendum est, vnitatem esse priuationem diuisibilitatis, cuius essentia sita est in esse quantitatis indiuiso, ad quam sequitur ratio mensuræ ad esse vnum.

Differentia inter vnitatẽ, & vnionem. Sed hic notandum, aliud esse dicere *vnitatem*, & aliud *vnionem*; vnitas enim superius declarata vtique partibus similaribus debetur; vnio autem non in continuitate consistit, sed in cohærẽtia, & cõtiguita-

tiguitate plurium partium similarium inuicem coalescentium, vt docet Galenus de diff. morb. cap. 6. & 11. Idcirco vnio partibus dissimilaribus debetur.

Hinc vnitas est communis similaribus, & dissimilaribus, non quidem cõitate vniuoca, sicut esse animalis, quod est cõe vniuocum homini, & boui, ex Arist. in antepręd. cap. 1. Sed est communis communitate analoga secundum analogiam inæqualitatis; Aliqua enim proportione vnitas vni organo aptatur: Nam etsi partes vnius organi realiter sint distinctæ, quia ex Gal. li. 1. de vs. par. c. 1. pars est, quę vndequaq; circumscriptionem nõ habet propriam, & vndequaq; non non est coniuncta alijs, quod est dictu, partes organi sunt discretæ, attamen sensus existimat esse continuas; Et hic obseruo, improprie vocari solutionem continui, quia esse continuum, competit tantum similaribus; pariter solutio vnitatis, quia vnitas est partium similarium, sed quia vnicam vocem non habemus quæ simul solutionẽ vnionis, & vnitatis, continui, & cõtigui, explicet, propterea accipimus vnitatem, & continuitatem, non vniuocè, sed Analogicè.

Difficultas de vnione. Sed oritur non leuis difficultas visa solùm à Capiuacceo Method. anat. cap. 3. de vnit. An vnio realiter differat à positione partium: Non enim videntur realiter discriminari: Capiuacceus ostendit quo modo differant. Differunt quoniã per situm intelligimus talem, ac talem situm, & totius membri, & omnium particularum, ex quo particularum situ, oritur totius membri compositio. Per vnionem uerò intelligimus, quando partes ita sunt coniunctæ, vt quamquam sint contiguæ, ad sensum tamen uideantur continuę ex quarum partiũ coniunctione, totius membri unitas prodit, quæ organi est, qua mediante membrum instrumentale agit, qua læsa, læditur necessariò actio. Galenus loc. cit. vnionem dicit esse partium cohęrentiam: Attamen non videntur differre; compositio enim alicuius organi, nil aliud est, quàm plurimum partium similarium coagmentatio, & vnio: Eatenus enim componuntur, quatenus vniuntur, & eatenus vniuntur, quatenus componuntur; Præterea, quòd omnes particulæ suam realẽ positionem habeant in aliquo organo, nil aliud est realiter, nisi in ipsomet organo esse vnitatem: Ex quo, unio, & compositio non uidentur differre. Differunt tamen ea ratione, qua prima differẽtia quãti differt à secũda ex Arist. c. de quãt. *Responsio.*

Prima differentia est, quòd aliud est quantum continuum, & aliud discretum.

Secunda differentia: Aliud est quantũ constans ex partib. positionẽ habentibus, & aliud non. Rursus differunt, quia cõpositio realiter non dicit unionẽ, sed situm, numerum; formam; & quantitatẽ; unio autem dicit horum cohærentiam, & ideo, quanquam unio præsupponat cõpositionẽ, & cõpositio unionem, tamen unio est diuersa à compositione, quia cõpositio nõ dicit partiũ coagmentationem: sic enim nõ discreparet ab vnione, sed dicit

partium conformationem, quę partium compositio ad organũ efformandum non sufficeret, nisi simul cohærerent, ac vnirentur: Quare vnio differt realiter à compositione: Et quamuis partium positio dicat positionem in loco realem, & non rationis, ex quo intelligitur, partes esse permanentes in proprio organo, & alicubi esse sitas, quæ sunt conditiones positionis ex Aristot. capit. de quanto. tamen positio differt ab vnione, quia positio partium dicit positionem sur sum, deorsum, à dextris, à sinistris: vnio autem dicit absolutè partium cohærentiam, quæ vnio causa est propter quam partium vnaquæque positionem in organo habeat: Propterea errat Capiuacceus dicens *ex situ partium oriri compositionem*; Primo, quia confundit compositionem, quæ est conformatio, cum cohærentia, quæ vnio est: Insuper falsum est ex determinato partium situ, prodire compositionem.

Error Capiuacceì.

Nam est potius contrarium, ex compositione enim accepta prò cohærentia, situs partium nascitur; dũ enĩ partes cohærent, vnaquæq; in organo proprium situm adipiscitur: Igitur compositio, & eius species, nimirum positio, realiter ab vnione discriminatur.

Quæ vnio, quomodo sit organum facultatis videndum est.

Quo vnio sit organũ facultatis.

Non conuenio cum Mercato, Magato, & Capiuacceo, dicentibus, per vnitatis solutionem lædi actiones communes, eo quia ad eas exequendas, præter temperiem, partium continuitas requiratur; quandoquidem continuitas partium est quidem conditio sine qua non, sed non est organum adæquatum illius actionis, propterea, vt saluemus, solutionem continui esse morbum per se actiones primò lædentem, ostendere opus est, quomodo vnitas sit adæqnatum organum, quo facultas operatur.

Dico igitur, vnitatem esse organum adæquatum respectũ actionis propriæ.

Siquidem pars similaris dupliciter considerari potest, vno modo, vt continet facultatem, & sic à sola intemperie læduntur actiones communes tangibiles, quia facultas ad actiones communes obeundas, vtitur sola temperie: Alio modo, vt in sui substãtia similari, & vnius quantitatis continuæ facultatem continet, & sic patitur solutionem continui, à qua per se primò læduntur actiones propriæ; Facultas enim, in via ad organum, vtitur substantia similari continua ad actiones proprias exercendas, verbi gratia, humor crystallinus in oculo est pars similaris, cui per se primò debetur visus actio: Si talis humor intemperetur, per se primò læduntur actiones tangibiles, & per accidens actio propria visus: Sin autem ipsius vnitas similaris, per se primò læditur actio visus, & per accidens actiones tangibiles; Et ratio est, quia sicut facultas naturalis insita vtitur temperie humoris glacialis ad actiones tangibiles, ita facultas animalis influens vtitur continuata substantia similari humoris crystallini ad edendum visum.

Cuius actionis sit organũ adæquatum vnitas.

Vnitas ergo eſt adæquatum inſtrumentum facultatis reſpectu actionis propriæ. Quod ſic etiam demonſtro. Morbus communis debet lædere actiones communes, ſolutio continui eſt morbus communis; Ergo debet lædere actiones communes, ſed actiones propriæ ſunt communes, & communes ſunt propriæ; Ergo ſolutio continui lædit actiones proprias: Maior eſt vera; Nam morbus communis dicitur communis, quia lædit communem rationem plurium concurrentium ad aliquam actionem, quæ actio cum pendeat ab vtriſque partibus, ideo communis dicitur. Minor in ſequenti diſputatio. probabitur. Alia minor ſic probatur: Nā nō implicat, actionem propriam cōem appellare, & cōem propriā, quia actiones tangibiles dicuntur communes, quia competunt omnibus ſimilaribus; actiones autem proprię dicuntur propriæ, quia ita cōpetunt vni organo, vt alteri competere non valeant; Hæc tamen actio propria communis appellari poteſt, quatenus eſt communis ſimilari, & diſſimilari, cum in vnoquoque organo detur pars ſimilaris, cui per ſe debetur illa actio cōmunis, ſiue originaliter, vt dicunt ſiue cauſaliter, ut ego expoſui de partib. ſimilar. Actio igitur propria, cum parti ſimilari competat cauſaliter, toti autem organo formaliter, ideo actionem communē appello ad differentiam actionis tangibilis communis, quę tantum eſt propria ſimilaribus, quæ per conſequens à communi morbo per ſe lædi non poteſt: Vnitas ergo eſt adæquatum organum facultatis reſpectu actionis propriæ, ſicut temperies eſt principale organum reſpectu actionis communis.

Quo actio propria ſit cōis, & econuerſo.

Cùm ergo unitas ſit organū adęquatum reſpectu actionis propriæ, ſequitur, ex ſoluta unitate, per ſe primo lædi actionem propriam; Nam ſi ſoluatur unitas ſimilaris, lęditur actio propria; pariter ſi læditur unio organi, læditur actio propria, ut in ſequenti dicam; Et hoc inductione patet, ab omni enim vulnere ſemper, vel diminutè, vel deprauatè, vel abolitè læduntur actiones proprię, non ſemper tamen tangibiles, niſi per accidens. Et hic eſt vnus modus reſpondendi verus. Alius modus reſpondendi deſumitur ex Gal. de diff. morb. c.4. docente: vnitatem eſſe cauſam adęquatam, vt *pars qualibet vna eſſe dicatur, vnumq. actum, vel vſum perficiat*; ſic ſtante argumento: vnitas eſt ratio adęquata, cur pars ſit vna, vnamq. edat actionē, Ergo ſoluta vnitas erit immediata cauſa cur lędatur hęc vna actio; quare ſolutioni continui propriū erit lędere actionem, quatenus vna eſt per ſe primò, & immediatè, Ergo eſt morbus.

Ex ſolutione cōtinui, ꝗ actio per ſe primo lædat.

2. Modꝰ reſpondendi.

Tertius modus dicendi eſt quando dicitur, proprium morbi eſſe per ſe primò lędere actiones: hęc propoſitio intelligi tantùm debet de morbo proprio, non autem de morbo communi: Idcirco ſufficit, morbum communem per ſe lędere actiones, quamuis non primò, loquendo de primitate ſubiecti, vt inferius dicam.

3. Modꝰ

Quartus reſpondēdi modus deſumi-

4. Modus.

sumitur ex Galeno de diff morb. cap 6. de recta intellectione illius conditionis *primo*: potest enim duplicem habere relationem: prima est illa, quam docuit Arist. 1. post. cap. 5. & est quòd ille dicatur morbus per se primò actiones lædens, quando afficitur id, cui per se primò debetur talis actio, vt intemperies dicitur per se primò lædere actiones communes, quia per se primo afficitur temperies, cui per se primo debetur actio communis.

Quō debeat intelligi illa cōditio. 1.

Secunda est, quòd ea conditio, *primò* referri potest, ad quemcunque affectum, qui non lædens primum operationis instrumentum, tamen actionem impedit, & quanquam non lædatur pars, cui per se primò debetur actio, dicitur tamen per se primò lædere, quoniam immediatè ad læsionem partis non principalis, sequitur actionis læsio: vnde Galenus loc. cit. ponebat discrimen inter morbum, & causam morbi; dicens, *Quacunque non per seipsa, sed ea ratione, quòd primò operationis instrumento officiunt, causæ morborum sunt, non ipsi morbi; sed si in aliquo non lædentes primum operationis instrumentum, ipsam operationem impediant, iam tales affectus ægritudines sunt appellandæ.*

Ideirco, cùm ex Galen. pateat, eam conditionem, *primò*, non semper ad eam partem referri, cui per se primo actio debetur, sed referri quoque ad omnes affectus, qui citra læsionem partis principis immediatè lædunt actionem; propterea hæc fuit causa errorum Argenterij, & aliorum: Siquidem in vnitatis solutione, quamquam non per se primo afficiatur temperies, cui per se primò debetur actio tangibilis, attamen, quia posita solutione continui, statim immediatè sequitur actionis læsio, ideirco solutio continui dicitur per se primo lædere actiones: Si enim non læderet actiones, nisi prout intemperiem causaret, vtique non esset morbus, sed causa morbi: verùm quia non læsa temperie, immediatè lædit actionem attractionis, & expulsionis, quia vtraque per partem post partem fit, ideo est morbus per se primò lædens actiones, non quidem primò primitate subiecti posterioristici, sed primò primitate affectus in quarto modo per se; Et his omnibus modis saluatur, solutionem cōtinui esse morbum.

Error Arg. & aliorum vnde.

Solutio argum. Argent. Ad primum,

Restat, Argenterij argumenta peffundare: Ad primum, dico ad maiorem, non esse necesse, morbum ita in facto esse consistere, vt excludat aliquas partes fietes, sufficit enim, morbum habere aliquas partes factas, quamuis habeat alias fientes: Ad minorem respondeo, solutionem continui, dum fit, esse quidem in fieri, sed dum facta est, iam consistere in facto esse, vt de se patet.

Ad 2.

Ad secundum dico: solutionem continui per se primò lędere actiones proprias primitate, non solum affectus, sed etiam subiecti, & per se primò lędere actiones communes, primitate affectus, quamquam non subiecti, vt superius ostendi.

Ad

Ad 3. Ad tertium dico, solutionem continui esse morbum, quia est similarium, & dissimilarium, quibus actiones debentur. & quãuis continuitas, vt sic, non habeat actionem, sed vsum, idem etiam de temperie dicendum est; Temperies enim non est illa, quę actionem edit, sed est qua mediante, sicut continuitas.

Ad 4. Ad quartum respondeo, quòd etsi omne continuum sit quantum, attamen morbus in soluta vnitate contingit per se primò ratione continui, non ratione quanti; sicut malæ compositionis species contingit, non ratione cõtinui, sed ratione quanti; Etenim ratio solutæ vnitatis consistit quidem, vel in quantitate continua, vel in quantitate discreta, respectu similarium, & dissimilarium, sed pro vt continua est, ex termino communi indiuisibili copulante partes ad inuicem. Ratio autem malæ compositionis, in quantitate, non respicit quantum, vt continuum, sed vt determinatum sub tanta longitudine, sub tanta latitudine, & sub tanta profunditate: Idcirco non valet consequentia: Omne continuum est quantum, Ergo morbus in soluta vnitate, est morbus in quantitate.

Ad 5. Ad quintum respondetur; quòd læsio actionum organicarum, non tantum pendet à situ, numero, forma, & quantitate, sed etiam ab vnitate, vt superius ostensum est.

Ad 6. Ad sextum, distinguo, communem rationem, esse causam alicuius actionis, habere duplicem sensum.

Primus est, vt ea communis ratio sit formaliter causa productiua illius actionis, & sic nec vnitas, nec temperies est causa actionis.

Secundus est, vt ea sit ratio non causalis, sed instrumentalis, qua mediante facultas operetur, & hoc modo, nego, vnitatem non esse rationem communem instrumentalem, qua media facultas operetur, vt superius demonstraui; Ideoque, quàm vana sit Argenterij argumentatio, ex his apparet: Si enim Argenterius Galenum intellexisset, & optimè conditiones demonstrationis calluisset, in tam apertum errorem non incidisset.

DE COMMVNITATE *solutionis continui.*

Quæstio II.

POstquam vidimus, solutionem continui esse verum, genuinumque morbum; restat videre, an sit morbus communis similarium, & dissimilarium.

Tres sunt in hac re opiniones: duæ sunt extremæ, & vna media: Prima extremarum est Auerrois 3. collect. cap. decimoquarto, probantis, solutionem continui esse morbum proprium partium similarium. *Opinio Auer.*

Secunda est quorundam existimantium, solutionem continui esse

se morbum proprium partium dissimilarium, vt Fallopius de vuln. cap. primo.

Fallop.

Galeni. Tertia opinio est Galeni, 2. meth. cap. sexto, de differ. morbor. cap. quarto, & vndecimo; docentis, solutionem continui esse morbum communem similaribus, & dissimilaribus, quã Arabes omnes, excipias Auerroem, insequuntur, & recentiores ferè omnes, & potissimum Mercatus, lib. 3. de morb. q. 175. omnes istorum rationes licet audire, vt, quid pro rei veritate sentiendum sit, aperiatur. Exorsus ab Auerroe, media, quibus vtitur ad probandum, solutionem continui esse morbum similaribus proprium, hęc sunt. Primum,

Primũ Arg. Auerrois. morbus ille proprius est alicuius partis, cuius constitutio per se primò læditur, sed vnio est constitutio, quæ per se primò competit similaribus, & per similares dissimilaribus, ergo solutio continui est morbus proprius partium similarium.

Secundum. Secundum est, continuitas in quantitate fundatur, sed partes organicæ habent quantitatem à similaribus, ergo & cõtinuitatem, ergo solutio continui est propria similarium, ex accidenti autem dissimilarium.

Tertiũ. Tertium, solutio continui dissimilarium est semper ex immediato vitio alicuius eorum quatuor organum componentium, ergo solutio continui non est affectus dissimilarium proprius, sed est tantũ causa morbi, cui argumento suffragatur Argenterius. Fallopius

Ratio. Fal- lopij. vt probet, solutionem continui esse partium dissimilarium affectum proprium, in hunc modum argumentatur: Primò, morbus est, qui

Prima. primò actionem lædit: Solutio cõtinui primò non lædit actiones similarium, ergo solutio continui non est morbus proprius, nec communis similarium. Maior est principium. Minor probatur, primò; Propriæ actiones similarium sunt tangibiles, quas per se non lædit solutio continui, sed intemperies ex Galeno, 2. meth. 6. & 7. meth. 3. Secundò sic probat; Secetur caro quæ est pars similaris, hæc resecta, vndequaq; suas exercet actiones, attrahendo, retinendo sanguinem, conuertendo in carnem, expellendo pus, sed hę sunt actiones similarium, ergo solutio continui non est similarium morbus. Ex aduerso, ab vnitatis solutione, dissimilarium actiones per se primò læduntur, siue sint dissimilares primæ speciei, vt os, & vena; Siue secundæ, vt digitus: Siue tertiæ, vt manus; Igitur solutio continui est dissimilarium morbus ita proprius, vt alijs competere non possit.

Secũda. Secũdò, ea ratione, qua aliquid competit vni generi, eadem alteri generi contrario competere non potest, sed partes similares, & dissimilares sunt generis contrarij, ergo solutio continui non æqua ratione competit similaribus, & dissimilaribus. Maior est clara ex Aristotele, in antepræedic. c. 3. vbi enim sunt genera diuersa, ibi quoque est diuersa ratio. Minor est perspicua; cum alia sit ratio similarium, & alia dissimilarium.

Tertia. Tertiò si vnitatis solutio esset simi-

similarium morbus, sequeretur, quòd earũdem facultatis actio ab ipsarum solutione læderetur; valet destructio consequentis, ergo antec. est falsum. Consequentia vera est, quia facultas residet in substãtia similari; Ex quo, sede facultatis læsa; consequenter facultatis actio corrumperetur.

Assumptũ probatur. De ratione quidditatiua partis, & substantiæ similaris est, vt quælibet eius portio nomine, & definitione cum toto identificetur; Et de ratione facultatis est, vt æqua ratione sit tota in toto, & tota in qualibet parte, totalitate perfectionis, cùm facultas consistat in eo genere indiuisibilis, quod est extra omne genus quantitatis dimensiuæ: Ergo ex solutione similarium non læditur facultatis actio, quæ tota semper erit in quacunque portiuncula partis similaris diuisæ: facultas enim carnifica, tam est tota in portiuncula carnis diuisæ, quàm in tota carne simul vnita: ergo, &c.

Quarta Quartò, omnis similaris compositionem alicuius ingrediẽs organi, est organica, ergo etiamsi vnitas similarium soluatur, non erit similarium vt sic, sed organicarum: Antecedens probatur: Id quod talem conformationem, numerum, situm, quantitatẽ, & vnionẽ sortitur, id est organicum, sed omnis similaris in habitudine ad organum, hæc omnia sortitur, ergo omnis similaris, in habitudine ad organum, est dissimilaris. Maior est Galeni, de diff. morb. passim. Minor probatur, & in hoc consistit totum Fallopij fundamẽtum; Aliud nimirum esse considerare partem similarem, quatenus similaris: Et aliud considerare similarem, vt organica v.g. Aliud est considerare os, vt substantia ossea, & hæc solam intemperiem patitur; Aliud verò est considerare os, vt os digiti, & sic quoniam similaris pars talem conformationem, situm, numerum, quantitatẽ, & vnitatem habere debet; Idcirco est organica, quamobrem similares in via ad organum sunt organicæ, & ita sequitur, solutionem cõtinui semper esse morbum partium organicarum; Et hanc dicit esse causam propter quam lapsi sunt Galenus, Arabes, & omnes ferè. Hæc Fallopius.

Vt veritas Galeni, appareat, & falsitas huius opinionis paradoxæ elucescat, vnum est præmittendũ, videlicet, quid pro morbo communi intelligendum sit; Ignorato enim hoc termino communitatis, est impossibile veritatem determinare. Duo sunt quæ videntur idem significare, cum tamen sint diuersa: Morbus nimirum communis, & morbus ex accidenti, quia quod est commune, est accidentale; sicut id, quod est proprium, est essentiale in secundo modo: Differunt tamen, quia morbus communis ille est, qui per se competit ijs, quibus est morbus: Morbus verò ex accidenti vni tantum competit per se, alteri verò per accidens; sicut videre est apud Galenum, de diff morbor. cap. 13. docentem, morbum per se similarium, siue simplicem, siue compositum, ex accidẽte, esse morbum simplicem, *Propria sententia.*

vel

vel compositũ dissimilarium, vt inflammatio, quæ per se est morbus compositus similarium, & per accidens dissimilarium: Sic opposita ratione, morb. per se, siue simplex, siue compositus dissimilarium, ex accidente est morbus similarium, vt luxatio, quorum morborum ex accidenti incidentium, talis est ordo.

Morb. simplex per se similariũ, & per accidens dissimilarium. Si contingat, morbum aliquem occupare tantum vnam partem ex similaribus, est morbus simplex per se illius similaris; ex accidenti autem totius organi, vt lippitudo quæ est inflammatio tunicę per se, per accidens totius oculi.

Morb. per se compositus similarium, est per accidẽs totius organi. Si contingat, aliquem morbum eodem tempore plures occupare similares, erit morbus compositus per se partium similarium, & ex accidenti morbus compositus totius organi, v. g. lippitudo oculi est affectus tunicæ adnatæ, ita pterygium; erosio corneæ; procidentia vueæ, & suffusionis initiũ, sunt per se morbi diuersi diuersarum partium similarium compositi; Ex accidenti verò sunt morbus oculi compositus.

Morb. per se compositus totius organi, & per accidens similariũ. Si cõtingat, plures morbos, eodem tempore, similarium plures occupare, quarum quisque non sit per se morbus, hic erit morb. per se compositus totius organi, & per accidens similarium, vt si contingat eundem oculum eodem tempore affici pterygio, suffusione, & Rhæade; singulus enim horum est per se morbus simplex totius oculi, per accidens verò similarium.

Morb. per se Tandem, si contingat, aliquem morbum eodem tempore occupare plures partes similares, quarũ non sit affectus proprius erit simplex totius organi morbus, & ex accidenti similarium, vt pterygiũ oculi, quod ita occupat totũ oculum, vt non sit magis vnius, quàm alterius partis similaris; ita sola suffusio, & sola Rhæas. *simplex totius organi, & per accidens similarium.* Hi sunt morbi simplices, & compositi per se, & per accidens similarium, & dissimilarium; Ex quo patet rationem horum consistere in hoc, quòd, qui per se vni competit, ex accidenti alteri contingit.

Difficultas. Sed oritur difficultas; Nam Galenus, de diff. morb. cap. 13. videtur sibi contradicere; cum in vestibulo capitis dicat, vnguem, initiumque suffusionis esse morbum simplicem per se similarium, similiter lippitudinem: In calce autem cap. oppositum doceat, videlicet pterygium, & suffusionẽ esse morbum, vel simplicem, vel compositum totius oculi: Hæc enim sunt contradictoria.

Solutio. Respõsio ex iisdem Galeni verbis desumitur, præfata distinctione, morbum dupliciter considerari posse, vno modo in fieri, alio modo in facto esse: Si sumatur in fieri, tunc *suffusionis initium* videtur quodammodo affectus tunicæ corneæ, ita pterygij initium, tunicæ adnatæ; cum tamen in facto esse sint morbi simplices totius organi, sic dicebat Galenus; *Cum verò plures sint affectæ, sed vnaquaque vno morbo laborauerit, sic totius instrumenti erit ægritudo composita*: Innuens his verbis morbum in facto esse: Hi ergo sunt morbi per accidens. Enim verò morbi com-

Morbi communes qui. cõmunes illi sunt, qui nec proprij sunt similarium, nec dissimilariũ, sed dicuntur communes, quia indifferenter, cum similaribus, tum dissimilaribus competere possunt, non sunt tamen accidentales, quia tam similaribus, quàm dissimilaribus per se competunt: Nam sicut rationale est prædicatum quidditatiuum hominis in primo modo per se, tamen subiectis specie diuersis tribui potest, Deo scilicet, ac homini; Ita solutio continui diuersis partibus specie tribuitur, & non per accidens, sed per se, cũ primariam rationem earum seorsim lædant, vnitatem scilicet similarium, & vnionem dissimilarium, quare morbus communis, non quidem est proprius, quia non competit *soli*, sed est per se; Stat enim in doctrina Philosophi, aliquid esse per se etiam in primo modo, & nõ vniuersale; Morbi proprij sunt vniuersaliter primi, vt intemperies, ac mala compositio: Morbi communes sunt tantùm per se, vt solutio continui.

His præfatis diorismis, triplicem conclusionem pono. Prima *Prima conclus.* est: Solutionem continui genericè sumptam, esse morbum communem per se similarium, nec non *Secũda.* dissimilarium. Secunda est hæc: Solutio continui per differentias generis diuisiuas, & constitutiuas speciei, est morbus proprius, tam similarium, quàm dissimilarium. *Tertia.* Tertia conclusio est: Solutio continui specificè sumpta, est magis proprius similariũ morbus, quàm dissimilarium.

Prima conclusio probatur primò. Ille est censendus morbus cõmunis, qui commune organum facultatis offendit, sed vnitas est cõmune organum facultatis, tam similarium, quàm dissimilariũ, respectu actionis propriæ, ergo solutio vnitatis erit morbus communis similarium, & dissimilarium. Minor patet ex superius positis. Et quoniam Fallopius concedit, cõpetere dissimilaribus, meum erit probare competere etiam similaribus; Et quia Fallop. cõcedit, dari equidem solutionem continui in similaribus, nõ quatenus similares, sed quatenus organicę, ideo mihi probandum erit, competere similaribus, quatenus similares. Omitto interim Fallopij sententiã contradictoriam, pensitãtis idem esse organum, & organicum, nec de essentia organi, esse compositionem, sed organum posse esse simplex: Hæc enim fusius in tractatu de partibus similaribus, confutaui; solùm hic probare intendo, imò demõstrare, solutionem continui competere similaribus, quatenus similares.

Primò sic, de ratione partis similaris, vt similaris est, quòd habeat vnitatem; sicut de ratione dissimilaris, quatenus dissimilaris, est, quòd habeat vnionem, ergo pars similaris, quatenus similaris, eatenus solutionem vnitatis patitur: Antecedens est clarum: *Prima ratio contra Fallopium.* Nam ex Auicenna Fen. 4. lib. 1. doctr. 1. cap. 1. pars similaris debet esse vnius substantiæ similaris, non potest autem esse vna, nisi per vnitatem, cùm vnitas sit verum indiuisibile secundum quartum ex Arist. 1. post. capit. 2. Ex quo vni-

tas est de intrinseca ratione partis similaris, quæ, si diuisionem patiatur, iam patietur vt similaris, non vt organica.

Secũda ratio. Secundò, in vnoquoque organo datur pars princeps, cui per se primò actio propria illius organi debetur: quæro, hæc pars, vel est similaris, vel organica: Non organica, quia cùm per vos idem sit organum, & organicum, si pars illa princeps esset organica, organnm contineret organum, quod implicat, ergo est similaris, ergo si eius vnitas diuidatur, vt similaris, solutionem vnitatis patietur, non quidem respectu actionis tangibilis, quia sic tantum ab intemperie, sed respectu actionis propriæ.

Tertia ratio. Tertiò, si pars organum ingrediens, esset organica & non similaris, sequeretur, quòd, sicut solutio continui est partium organicarum, ita intemperies non esset similarium, vt similares, sed vt organicæ: Consequentia patet: Per vos enim omnis pars similaris in organo, non est similaris, sed organica; sed nulla pars similaris realiter datur à parte rei, nisi in organo concreta, ergo nulla pars similaris, vt similaris, intemperiem patietur, sed tantum, quatenus organica, quod est absurdum.

Quarta ratio. Quartò sic inductione probatur. Pungatur neruus, ad nerui pũctionem sequetur dolor immediatè; Sed neruus est pars similaris, dolor est symptoma, ergo punctio est solutio nerui, quatenus similaris, & est ipsius morbus, quoniam ipsum insequitur symptoma, dolor videlicet.

Responsio Fallop. Respõdet Fallopius huic argumento, data distinctione de duplici dolore: alius enim est dolor, qui eodem tempore fit, quo pungitur neruus; Alius autem est, qui temporis tractu post instrumenti pungentis extractum, punctioni succedit, si loquamur de primo dolore, dicit Gabriel, hic non insequitur solutionem punctoriam nerui, tanquam partis similaris, sed tanquam dissimilaris, & organicæ: Non enim læditur actio propria nerui, vt similaris, quę nutritio est, sed læditur actio officialis, & per consequens, neruus punctus, ac dolẽs, nõ afficitur, vt similaris, sed vt organicus; Si.n. neruus, vt similaris, doleret, sequeretur, quòd similaris, vt similaris, doleret, quod est falsum, cartilago namq; & os, similares sunt, attamen neutiquam dolẽt: Si loquamur de secũdo dolore succedente ipsius nerui puncturæ, iam hic non immediatè, nec per se primò, punctionem nerui insequitur. Quod sic ab ipso probatur; Si talis dolor per se primò neruum punctum sequeretur, concedendũ foret, quòd aucta solutione continui in ipso neruo, dolor augeretur, consequens est falsum, ergo antecedens. Consequentia prob. quia ex intensione causæ immediatæ alicuius effectus, intenditur etiam effectus: Assumpt. patet; aucta enim solutione continui in ipso neruo, tantum abest, vt dolor augeatur, vt potius absciſſo per trãsuersum neruo, dolor cesset; Est enim chirurgorum axioma, curationem nerui esse absciſſionem nerui; Quapropter talis dolor, cũ

non

non immediatè solutionem nerui consequatur, non est censendum symptoma punctionis, & solutionis nerui; Et hac ratione, vel dolor non est symptoma solutionis nerui; vel si immediatè consequatur eius solutionem, non patietur neruus tanquam similaris, sed tanquam organum. Hæ responsiones sunt potius diuerticula, & quantū attinet ad primam responsionem de dolore immediatè punctionem nerui consequente, dico primum, non valere eius illationem, ex pūctione nerui nō lædi nutritionem, ergo neruus non afficitur, vt similaris, sed vt organicus; Est falsa ista consequentia, quia tam est similaris neruus, ratione propriæ nutritionis, quàm ratione sensus, & motus: Neruus enim sub vtraque notione, est substantiæ similaris, cuius vnitas dicit indiuisionem in se, & diuisionem ab alio, quæ vnitas si soluatur, neruus, vt similaris, necessariò afficitur; Insuper non tenet eius sequela; Si neruus punctione afficeretur, vt similaris, ergo similaris, quatenus similaris dolore tentaretur, Etenim est propositio per se, neruus vt similaris dolet, idest, vt est vnius substantiæ quantæ continuæ; sed propositio non est vniuersaliter conuertibilis; similaris, quatenus similaris, dolet.

Confutantur solutiones Fallopij.

Quo ad secundam responsionē de secundo dolore post punctionē ingruēte, v.g. post acus abstractionem, subiungo, ipsum nugari ad idem numero, & specie; Supponit enim, secundum hunc dolorem esse numero distinctū à primo, quasi quòd inter primum dolorem, qui fit dum neruus actu pungitur; & secundum dolorem, qui fit postquam instrumentum pungens est ablatum, intercedat temporis intercapedo, ita vt sint duo dolores numero distincti, hoc enim est falsissimum, est enim idem numero dolor primus, & secundus, magis tamen, ac minus intensus, dū enim actu pungitur neruus, dolor est minus intensus; postquam verò punctus est, quia ratione doloris, fit attractio humorum ad neruum dolentem; Idcirco idem numero dolor intenditur, quare non sunt duo numero dolores, vt Fallopius falsò dicit, sed est vnus, & idem, magis, & minus intensus, & per cōsequens, si primus est symptoma immediatè consequens nerui solutionem, erit etiam & secundus sic impropriè ab eo nuncupatus: Et quando argumētatur, dolorem vltimum per se non insequi solutum neruū, quia sequeretur, quod ex maiori solutione nerui fieret maior dolor, hoc autē est falsum, quia præciso neruo, dolor cessat; Respondeo ad intensiorem effectum producendum non tantum requiri intensiorem virtutem agētis, sed etiam subiecti receptiui dispositionē; Ex quo maior dolor non fit ex maiori solutione nerui totaliter incisi, quia non adest ea nerui dispositio quæ requiritur ad maiorem dolorem inducendum; quę nerui dispositio consistit in receptione humorum fluētium; cùm enim neruus sit totaliter abscissus, idcirco humores fluentes non possunt retineri in ea nerui parte, quę

Ratio, cur abscisso toto neruo, dolor tollatur.

Hh 3 solu-

soluta est; Est ergo dicendum, argumentum in suo robore consistere, & concludendum, solutionem cõtinui esse morbum similaribus, & dissimilaribus communem, genericè sumptam, & hæc pro prima conclusione.

Probatio secũdæ conclusionis.

Pro secunda, probandũ est, species aliquas solutionis, ita competere similaribus, vt non competãt dissimilaribus, & conuertibiliter: hoc autem non probabo, nisi authoritate Galeni, de diff. morb. cap. 11. hactenus non obseruata; ipse enim habet, quod si aliquod instrumentum diuellatur, tunc solutio continui est communis vtrisque partibus, totius quidem instrumenti, quia partes amplius nõ *cohærent*, ecce vnionem, ipsius verò particulę diuulsæ, *quoniam amplius non est vna*, ecce vnitatem, *sed in duas diuisa*. Enim verò, si totum instrumẽtum, ait Galenus, non erit diuulsum, sed ipsius pars aliqua, non erit iam totius organi ægritudo, sed ipsius particulę *tantum propria, & peculiaris ægritudo*: quæ autem apospasmata vocãtur, idest, auulsiones, *iam solummodo instrumẽtariarum partium erunt passiones propriæ*: Ecce igitur, solutionem continui genericè sumptam esse morbum communẽ, specificè verò esse propriam, tam similarium, quàm dissimilarium. Sed aliquis sciscitabitur me, quid Galenus intelligat per *aposPasmata*. Legi hunc terminum tribus in locis, libro de constitutione artis, cap. 5. artis Medicinalis, c. 9. & de diff. morb. cap. 11. vbi apertè fatetur, aposPasmata esse morbos proprios instrumentorum; Hinc error Mercati, qui aposPasma similaribus accommodat. Per aposPasma igitur intelligimus omnimodam partium instrumentalium euulsionem, quæ fit per manifestã contusionem ex distractione, & hanc dicit vniri non posse, quia est cum deperditione substantiæ, v. g. præscindatur neruus, ex cuius insertione musculi principium est: Soluto neruo, statim læditur motus, ecce propriam partis similaris solutionem, & non organi: Prę scindatur musculus cõtra positionem fibrarum, læditur motus; ecce solutionem continui totius instrumenti propriam. Et hæc pro secunda conclusione.

Error Mercati.

Probatio tertiæ conclus.

Pro tertia sic probo, nedum similaribus conuenire, sub ratione generica, & propria, verùm etiam esse magis propriam similaribus, quàm dissimilaribus. Argumentũ demonstratiuum est hoc: Solutio est vnitatis, & eius quod est continuum, sed vnitas, & cõtinuitas est magis propria, & vniuoca similaribus, quàm dissimilaribus, ergo solutio continui, & vnitatis, est magis propria similarium, quàm dissimilarium.

Solutio contrariorum argumẽtorũ. Ad primum.

Restat, vt contraria argumenta diluamus: Ad primum dico, solutam vnitatem per se primò, primitate subiecti, lædere necessariò actiones proprias; primitate autem affectus lædere actiones tangibiles, si non abolitè, saltem diminutè, & deprauatè, vt patet de carne secta, quæ tametsi attrahat, retineat, coquat & expellat, diminutè tamen hæc præstat: Idcirco falsum

est

est, quod supponit, quia si actiones communes non abolentur, saltem tamen diminuuntur.

Ad secundum. Ad secundum dico, maiorem esse falsam ex Arist. cap. de qual. tex. 64. quod competit vni generi, non posse alteri competere; Idem enim potest esse in duobus prædicamẽtis, dũmodo naturam vtriusque participet. Ad minorem, nego partes similares, & dissimilares esse cõtrarij generis; sunt quidem diuersæ partes, sed non sunt contrariæ, quia dissimilares fiunt ex similaribus concretiuè, quod à contrarijs abhorret.

Ad tertium. Ad tertium conceditur, facultatem ex se totam esse in qualibet parte similari, loquendo de totalitate perfectionis: Ex hoc tamen non sequitur, ex solutione vnitatis similarium, non lædi actionem propriam, imò & actionem communem, vt dictum fuit; & ratio est, quia facultas, vt se exerat, requirit vnitatem similaris, quæ si auferatur, iam illius actio læditur, illæsa tamen facultate.

Ad quartum. Ad quartum negatur, similarẽ in relatione ad organum, esse organicam, idest, dissimilarem, quocunque enim modo consideretur, semper est vnius substantiæ quantæ continuæ, vt abundè dictum est. Stat ergo, solutionem continui esse morbum communem similarium, & dissimilarium.


Hæc de Pathologia.

PATHOLOGIAE FINIS.

AD TYRONES.
Pro Introductione ad Simioticam.

SIMIOTICA, quæ tractat de Signis, methodo quadam Tyronibus proponitur, quæ etsi aliqua ex parte è Galeni doctrina decerpta videatur, tamen cùm adhuc à nullo fuerit conflata, ideo noua methodus iure merito appellari poterit, quæ cùm signa necessaria locorum affectorum, & insolubilia necessariò demonstret, ideo placuit digressionem quandam in Argenterium facere, eius methodum proponendo, vt vnusquisq; fateatur, Argenterium citra rationem in Galeni methodum inuolare. Cui etiam methodo, adiunctus est tractatus de Pulsibus, & alius de Vrinis, tam secundum Dogmaticos, quàm Hermeticos cùm vterq; Tractatus huic parti necessariò subalternetur.

SIMIOTICA.
PARS QVARTA.
ENCYCLOPEDIAE
HERMETICO MEDICAE.
QVAE DE SIGNIS TRACTAT.



DE EXCRETIS.
Caput I.



Postquam in Pathologia morbum, causam morbi, & symptomata examinauimus, nunc sequitur quarta pars Medicinæ, quæ Simiotica dicitur, eo qnia docet signa, quibus mediantibus Medicus, & affectus præter naturam, & locos ipsos affectos dignoscit: Signa autem multiplicia sunt, & primò quidem sese offerunt signa demonstratiua, quæ *diagnostica* dicuntur à Medicis, quorum signorum methodus illa est, quæ à Gal. 1. de loc. aff. proponitur; quæ methodus resolutiua est: Methodus autem resolutiua est duplicis speciei: Alia enim est *Inductio*, quæ procedit per sensum; Alia est demonstratio à posteriori, quę per effectum habetur. Propterea quantum ad Inductionem spectat, Galenus 1. de loc. aff. cap. 1. Scripsit *quòd partes quæ in superficie cõsistunt vnà cum affectuum suorum idea, speciéue facilè sensibus deprehenduntur*, vt vulnus in carne, vel vlcus, vel tumor; cùm enim sint affectus existentes in superficie corporis humani, ideo sensu, & inductione faciliter à Medico dignoscuntur.

Indu-ctio.

Demon-stratio a signo.

Verùm enim verò vbi affectus sensum Medici subterfugiunt, ad signa est recurrendum, vt quod Inductione cognosci non potuit, saltem Enthymemate cognoscatur, ita Galenus loco cit. dixit *quæ latent, exercitatum ratione virum desiderant:* Enthymema verò est duplex: Aliud enim est verisimile; aliud est signum: *Verisimile* nullã in rebus necessitatem ponit, sed vt plurimum euenire scimus, quod *artificiosa coniectura* à Galeno dicitur loco cit. quam definit esse *mediam inter exactam notitiam, & omnifariam ignorantiam:* Signum verò est, quod vbi est, scimus ex necessitate esse, ideóque propositio

Enthy-mema.

Verisimi-le.

Quid artificio-sa conie-ctura.

Signũ.

sitio signata est necessaria, dummodo inter signum, & signatum intercedat nexus essentialis.

Signum solubile. Signa autem sunt duplicia; solubilia, & insolubilia: *Solubilia* non sunt absolutè necessaria: *Insolubile.* *Insolubilia* verò vtique: Quæ signa quomodo reperiãtur, & per quam methodum eliciantur, dico, discedendum non esse à methodo Galeni, qui 1. de loc. aff. cap. 1. 2. & 5. eam proponit.

Signorũ methodus. Signa igitur demonstratiua ad quinque capita reducuntur.

1. Ad excreta.
2. Ad actionem læsam.
3. Ad positum.
4. Ad doloris proprietatẽ.
5. Et ad accidentia propria.

Quantum ad excreta, quinque in ipsis considerantur.

1. Proprietas essentiæ.
2. Magnitudo essentiæ.
3. Contentum naturale.
4. Quod in spatio continetur præter naturam.
5. Et quod parti adhæret.

Quid proprietas essentiæ. Proprietas essentiæ nihil aliud est ex Galeno, 1. de loc. aff. cap. 1. & 6. de placit. Hipp. & Platon. c. 8. nisi proprietas substantiæ exeretę, ita vt Galenus per essentiam nihil aliud intelligat, nisi actualem substantiæ existentiam, quæ est eadem cum essentia actuali, vt caro iecoris, & cartilago bronchiorum pulmonis: Hæ enim duæ sunt proprietates essentiæ istarum duarum partium, vnde si Medicus v. g. ex vulnere colli obseruet portionem cartilaginis, tunc per proprieta tem essentiæ ipsius partis, tãquam per signum necessarium arguere debet, bronchia esse vulnerata. Proprietas ergo essentiæ exeretæ est signum insolubile, & necessarium pro cognoscendo loco affecto.

Sequitur secundo loco magnitudo essentiæ: Quid autem Galenus intelligat per magnitudinem essentiæ, nõ est exigua difficultas; *Quid magnitudo essentiæ.* videtur enim inuicem confundere magnitudinem, & proprietatem essentiæ, quoniam dicit, si frustum vasis non paruum, tussi reiectetur, ex magnitudine essentiæ licet colligere, vas pulmonis esse affectum, non autem asperæ arteriæ, cuius vasa capillorũ instar, exigua sunt: Similiter si in dysenteria tunica latior, & crassior intestinorum tenuium tunicis, aluo deijciatur, ex magnitudine essentiæ, licet arguere, intestina crassa, & non tenuia esse affecta: velut si per tussim tunica latior, & lubricior excernatur, lingulam esse affectam cognoscimus. Attamen cùm linguæ proprietas sit habere tunicam crassam, & lubricam; similiter intestinorũ crassorum proprietas sit habere tunicam latam, & crassam: Quemadmodum pulmonis vasa lata, asperæ autem arteriæ angusta; Idcirco Galenus videtur simul magnitudinem essentiæ cum eius proprietate confundere.

Non equidem tamen sic existimandum; differunt enim essentiæ magnitudo, & proprietas; Magnitudo enim essentiæ est inter illa, quæ sunt eiusdẽ proprietatis substantiæ; differunt tamen secundum maius, & minus, vt in exemplis, intestina tenuia, & crassa sunt eiusdem

dem proprietatis substantiæ: Differunt tamen secundum maius, & minus, quia tunica crassorũ est magis lata, & profunda, tenuium autem minus: Quare magnitudo essentiæ est in genere quantitatis; proprietas verò in genere qualitatis: Magnitudo ergo essentię plurimum conducit ad cognoscẽdum locum affectum, v.g. si ex vulnere abdominis tunica latior, & crassior tunicis intestinorũ tenuiũ decidat, licebit arguere, intestina crassa, non autem tenuia, esse vulnerata.

Quid contentum naturale. Quatuplex contentum naturale. Excrementũ. Tertio loco à contento naturali locus affectus percipitur; Contentum autem naturale est, vel excrementum, vel alimentum, vel spiritus, vel pars. *Excrementum* est, vt vrina, quæ si per vulnus excernatur, vt accidit Mitylensi Iuueni, sicut narrat Galenus, signum est vesicæ vulneratæ: Vrina.n. proprietate essẽtiæ, vulnus vesicæ arguit, cùm sit eius excremẽtum propriũ: Ita fęx in intestinis est excrementum contẽtum, quod si per vulnus emittatur, intestinorũ vulnus attestatur. *Alimentum.* Contentum *alimentum* est, vt cibus in ventriculo, qui si ex vulnere decidat, signum est, vulnerati ventriculi. Contentũ pro *spiritu* acceptum est, vt aer, qui si ex vulnere pectoris exsufletur, *Spiritus.* succingentem costarum pleuram diuisam portendit. Contentum verò *pro parte* acceptum est, vt si omẽtum, vel intestinum ex vulnere decidat, *Pars.* solutum esse peritonęum arguitum imus, & si pulmonis lobus externam sui partem extra vulnus emittat, confossum else, siue traiectum thoracẽ omninò fateri oportet: Et hæc quatuor proprietatem essentiæ omnino concernunt.

Connata quæ. Quarto loco succedunt, quę cõnata sunt, cùm Galenus, 1. de loc. aff c. 1. dicat proprietatẽ essentiæ eorũ esse quę adnascuntur; Et ratio est, quia quod alicui adnascitur, naturã principij sui ortus, quã repræsentat, sapit; sicut n. ex flore æri senescenti adnato, æs substare intelligitur, ita ex ijs quę partibus affectis connascuntur, illarũ natura designatur: Hæc autem tripliciter adnascuntur, vel sub forma excrescẽtiæ, vel sub forma excremẽti, vel sub forma excisionis. Sub forma quidem *excrescentiæ*, vt caro fungosa, quæ ex vulnerata mẽbrana cerebrum inuoluente, pullulat, vulnus duræ matris attestatur: *Connata quot. Excrescentia.* Nam ex Aphrodyseo, sicut diuiso arboris cortice, halitus crassus exiliens, ab aere densatur, & in fungum euadit, ita diuisa propter vulnus dura membrana, halitus, & & humor, sub ipsa cõtentus, in carnem fungosam erumpit; Ex quo ex tali carne, per proprietatem essentiæ illius quod adnascitur, membranam vulneratam libet arguere; Et hoc dicitur connatum sub forma excrescentiæ.

Secũdum autem connatum sub forma *excrementi* est, vt intestinorum crusta per aluum excreta, quæ ipsorum vlcus demonstrat. Tertium connatum sub forma *excisionis* dicit Galenus loc. cit. est, *vt esse particula cuiuspiam excisam*, id est portiones ossis corruptæ, quæ ex osse carioso, propter adnatam sibi erosionem, decidunt

offis corruptionem attestantur, vt optimè notat in Comm. Thomas Veiga cap. 1. tex. 19.

Hæc ergo tria connata sub ratione excrescentiæ, sub ratione excrementi, vt sub ratione excisionis, proprietatem substantiæ arguentia, locum affectum necessariò arguunt.

Difficultas. Ex his oritur difficultas, quia non videtur, connatum, suò forma excrescentię, necessariò locum vulneratum indicare: Siquidem non videtur verum, quod Galenus supponit fungum in caluariæ vulneribus ostẽdere membranam duram affectam esse, vulneratam scilicet, vt commentatur Thomas Veiga ex mente Aphrodysei; Constat enim Chirurgis, huiusmodi fungos in capitis fracturis etiam oriri, nõ existẽte dura matre vulnerata, vt quando fit terebratio, etiam non læsa dura membrana, caro fungosa in terebrationis cauitate germinat; Imò facta media tantum terebratione vsque ad primam laminam, hæc caro excrescere consueuit; Ergo caro excreta in vulneribus capitis, necessariò non indicat membranam vulneratam.

Alia difficultas. Et ex hac difficultate oritur alia, quia supercrescens in vulneribus capitis, non videtur duræ membranæ proprietatem sapere, cùm hæc membrana sit, illa autem sit caro.

Prima solutio. Ad primam difficultatẽ respondeo, Galenum non dicere absolutè fungos in fracturis capitis membranam affectam indicare, sed ait, quod vbi in capitis fracturis dura meninx est læsa, caro fungosa crescit; Propositio enim non proponitur conuertibilis, vbi est caro fungosa, ibi est membrana semper læsa. In profundis ergo caluarię fracturis, & penetrantibus, si caro mollis, & laxa suboriatur, vulnus membranæ nobis insinuatur.

Secũda solutio. Ad secundam difficultatem dico, carnem fungosam duræ matri adnatam, quamuis sit caro excrementitia, attamen, cum vnũquodque naturam principij sui ortus redoleat, & caro hæc tunicæ duræ adnascatur, ideo illius proprietatem sapere debet.

Contenta in alieno spatio quæ. Quinto loco sub essentiæ proprietate perpẽduntur, quę in alieno spatio præter naturam continentur: & hæc sunt in duplici discrimine; alia sunt quæ intrinsecus adueniunt, alia verò extrinsecus; Quę intrinsecus, sunt quatuor, lapis, grumus, pus, & humor: *Lapis* quidem per vrinam excretus, renes & vesicam laborantem ostẽdit: *Pus* tussi reiectum, thoracem empyemate detẽtum: *Grumus* vbi continetur, proprium locum affectum ostendit: *Humor* quoque vbicunq; existit, suum locum affẽctum, vbi diuertit, significat.

Lapis. *Pus.* *Grumus.* *Humor.*

Ictus. *Morsus.* *Epotũ venenũ.* Quæ verò extrinsecus adueniũt sunt, vel sub *forma ictus*, vt sagitta in vulnere, & globus plumbeus, & os fractum in vulnere: vel sub forma *morsus*, vt à morsu ferę malus totius corporis habitus; vel sub *epoto veneno*, à quo pariter malus corporis habitus notificatur; Et hæc omnia quinque ad proprietatem essentiæ, & consequenter ad excreta pertinent, vt in hac tabula clarè apparet.

In

Excreta diuiduntur.	In essentiæ proprietatem.	Quæ est substantia partis excretæ.
	Magnitudinem essentiæ.	Quę est partium longitudo, latitudo, profunditas, crassities, & tenitas, secundum maius & minus.
	Contenta naturalia.	Quæ sunt exerementum, alimentum, spiritus, & pars.
	Connata.	Quæ sunt exerescentia, excremẽtum, excisio.
	Contenta præter naturam.	Quæ sunt, intrinseca quidem, lapis, grumus, pus, & humor, Extrinseca verò, ictus, morsus, & epotio.

DE LAESA ACTIONE. Caput II.

De signis.

QVo adj secundum! Signorum caput, actio læsa proponitur, quæ necessariò partem affectã ostendit; Nam ex Galeno 1. de loc.aff. cap.2. & 6. de plac.cap.8. Cum quæuis actio propriam habeat partis constitutionem, à qua per se primo prodit, necessariò læsa illius partis constitutione, læditur actio; vnde à posteriori, læsa actione, sequitur ilatio necessaria, læsam esse partis substantiam.

Difficultas de vsu partiũ. Sed oritur difficultas, cur Galenus 1. de loc.aff.cap.5. Signorum capita proponens, non proponit vsum partium, cum tamen eodem lib cap. 2 scripserit, *vsum magnifi cè conducere ad locorum affectorũ inuentionem*; Ideo Argenterius de signis demonstratiuis lib.2.cap.2. Galeno obgannit, qui ab vsu signũ loci affecti deducit, vt vox læsa, quæ partem affectam voci inseruientem denotat.

Respondeo, vsum in methodo signorum insolubilium, locum affectum necessariò indicare. Cum enim demonstratio à signo sit ab affectu, ea verò sit differentia inter vsum, & actionẽ, quia *actio est motus factiuus*; vsus verò omnibus insunt, vel nihil agentibus, vt docet Galenus 1. de loc. aff. capit. 1. actio in operatione formaliter cõsistit, vsus autem in otio, vt scripsit idem Galenus 17. de vsu part. c. 1. Idcirco cum vsus in quiete consistat, sitque potius priuatio motus, & consequenter actionis, proptere a vsus non est effectus aliquis positiuus, ab ijs partibus fluens, & ideo, eo mediante, non possumus, tãquam à signo necessario, collige- *Responsio.* *Vsus partis in quo præcise consistat.*

re locum affectum; Eatenus enim ab vsu locus affectus colligitur, quatenus pars, vsu proprio orbata, per accidens læsionis actionis causa est; Ideoq; ac vsus, non per se, sed per accidens, locum affectũ ostendit. Addo, locum illum indicari, qui affectum & morbum cõtinet, morbus autem non est carũ partium solùm vsum habentium, sed actionem, Idcirco vsus caret vi obiectiua necessaria ad ostendendum locum affectum: Et hæc fuit causa propter quã Galenus capita signorũ insolubiliũ ponens, actionem, non autem vsum posuit: Alibi verò tangens signa solubilia, & nõ absolutè necessaria, inter ea *vsum* reposuit: vnde notandus eius modus dicendi, dũ ait, vsus & ipse *magnificè* ad locorum affectorum inuentionem cõducit, quasi insinuaret, vsum, non quidem necessariò, sed inter signa non necessaria, multũ valere ad dignoscendũ locũ affectũ: Et hęc de læsa actione dicta sit.

DE POSITV. Cap. III.

Tertium signorum caput *positus* dictus est; sed primùm videre debemus, quid Galen. per positum intelligat, & hoc propter Argenterium inferius confutandum. Dico igitur, duplicẽ esse positum; Alterũ est qui positionem in loco, seu partem in toto significat; Et hunc Galenus nõ intelligit; Talis enim positus est partium situs, & spectat ad conformationẽ: Alius verò est positus qui significat positionem ad locum, & hunc Galenus 1. de loc. aff. c. 5. intelligit, ideo in exemplo posuit dextrum, & sinistrum hypochondrium. A positu ergo secundo modo accepto, necessariò locus affectus colligitur, quia pars, quæ affectu corripitur, necessariò in propria loci positione reali afficitur.

Duplex positus.

Quid positus Galeni.

Hęc autem positio est triplex:

Quotuplex.

1. Positio affectus.
2. Modus positionis.
3. Et societas.

Positio quidem affectus; Nam tumore in dextero hypochondrio existente, iecur affectum demonstrat, in sinistro autem lienem. *Modus positionis*, siquidẽ excreti substantia ostendit vtiq; locum affectum in specie, sed in quo loco indiuiduo, positionis modus declarat, v.g. si quis tunicæ partem excernat, vlcus alicubi in aliquo corpore membranoso existere declaratur; sed si aluo eijciatur, intestina erunt locus affectus; sin autem vomitu, ventriculus erit affectus. *Societas* tandem, ex Gal. 1. de loc. aff. c. 1. ad positionem refertur, scribente, societatẽ, quam habet pars cũ proximis, sub positionis vocabulo comprehendi: Quomodo autem comprehendatur, inuestigandum; videtur enim partium societas, dicere potius positionẽ in loco qui situs est, cùm positionẽ partis dicat: sed reuera societas nõ dicit positionẽ in loco, quia nõ dicit positionem partis in toto, sed positionem ad locũ; Dicit n. positionẽ vnius partis ad aliam partẽ diserẽtã; ideoq; societas realiter ad positum

Positio affect.

Modus positionis.

Societas.

Quomodo societas sub positione continetur.

Essentia à quib. Consensus à quo.

tũ attinet, & differt à cæteris duobus superius declaratis, quia positio affectus, & positionis modus, locũ affectum secundum essentiam ostendunt: Societas autem ostẽdit locum affectum per cõsensum, v.g. ex vulnere capitis sequitur vomitus, qui est affectus ventriculi; Societas, quę intercedit inter cerebrum, & vẽtriculum, mediantibus neruis, ostendit ventriculũ, per cõsensum à cerebro, vomitu affici: Quare positus necessariò locum affectũ demonstrat, essentialiter quidem, positus affectus, & positionis modus, per cõsensũ verò societas.

DE PROPRIETATE DOLORIS.

Quid proprietas doloris.

QVartus signorũ fons desumitur à specie, seu proprietate doloris, species quidem dicitur ratione sui, proprietas autem ratione partis, quam ad locorũ affectorum inuentionẽ necessariò conducere, clarũ est apud Gal 2. de loc. aff. c. 5. dicentem, vnamquamque partem suum sibi propriũ pati dolorem: Ilatio autẽ à proprio ad id, cuius est proprium, necessaria est. Cęterum in dolore duo sunt consideranda, *positus*, & *proprietas*: *Positus* quidem doloris; Nam apparentibus per vomitum vlceris notis, si dolor ad præcordia obseruetur, vlcus est in ventriculo; Si ad dorsum, signũ est vlcus esse in æsophago; sed hic doloris positus ad superius cap. 3 reduci debet; Non n. est de essentia doloris, sed de essentia positus superius descripti.

Positus doloris.

Proprietas.

Proprietas doloris sequitur necessariò specificã substantiã partis affectę, & seorsim hęc fundat vnam quartam ilationem necessariam à proprietate doloris, ad partem ipsam affectã: Nam dolor pũctorius ex Gal. 2. de loc. aff. c. 5. necessariò ad membranas refertur: Dolor aggrauatiuus, ex Gal. 2. de loc. aff. c. 4 ad parenchymata refertur exiguo sensu prædita: Dolor pulsatorius, ad arterias reducitur, ex eod. Gal. 2. de loc. aff. c. 3. Et extẽsiuus dolor ad partes inflãmatas arterijs carentes necessariò refertur, ex Gal. 2. de loc. aff. c. 4. Quamobrẽ doloris proprietas necessariò locum affectum demonstrat.

Dolor punctorius. *Aggrauatiuus* *Pulsatorius.* *Extensiuus.*

DE PROPRIIS ACCIDENTIBUS. Cap. V.

VLtimo loco remanent accidentia propria, quę ita sunt vnius partis, vt alteri cõpetere nõ possint, vt est angor vẽtriculi, syncopes, cordis, lotura carnis, imbecillitas iecoris. Gal. inter hæc reponit malarum rubedinem in peripneumonia, idest, in inflammatione pulmonũ: quamquam hoc accidens non soli peripneumonię competat, sed cæteris, vt vomicæ pleuriticæ & multis alijs; At si propria partiũ accidentia sumãtur, ea maximè propria sunt; siue sit qualitas mutata, vt flauedo cutis in ičteritia; siue in excretis mutatis, vt sanguinis excretio, instar loturæ carnis, in fluxu hepatico; siue in actione læsa, vt angor oris ventriculi.

Qualitas mutata. *In excretio mutato.* *In actione læsa.*

Ex

Ex accidentibus igitur proprijs partes affectas necessariò arguere licet: Et hæc est realis signorum demonstratiuorũ methodus, quinque necessarijs illationibus ab effectu fabricata, nimirũ à proprijs accidentibus, à proprietate doloris, à positu, à læsa actione, & ab excretis. Neque plures his quinque reperiuntur; vel enim ad hæc reducuntur, vel non sunt signa necessaria, vt infra patebit aduersus Argenterium.

DIGRESSIO DE SIGNIS, pro defensione Galeni in Argenterium. Cap. VI.

Argenterius de signis demonstratiuis, lib. 2. cap. 26. qui profitetur Galeni doctrinam confutare, multis verborum nugis, & argumentis aduersus Galenum procedit; Ego autem pro Galeni defensione, Argenterij argumenta proponam, eiusque methodum, vt signorum methodus, Medico tam necessaria, stabiliatur. Methodum igitur Galenicã non esse recipiendam sic probat Argenterius.

Primò, qui principia alicuius methodi variat, non rectè eam cõstituit, sed Galenus loci affecti signa traditurus, eorum capita, & fontes, non semel diuersos constituit, ergo illius methodus non est rectè constituta: Minor patet legentibus duos primos libros de loc. aff. de constitutione artis Medicin. & de arte Medic. in quibus varia signorum capita proponit.

Secundò, qui propositam à se methodum vniuersalem in particularibus non seruat, est damnandus, Galenus propositam signorũ methodum vniuersalem, in 1. lib. de loc. aff. in alijs non seruat, ergo est accusandus. Minor est clara ex cæterorum librorum progressu, cum apoplexiam, epilepsiam, lethargum, carum in cerebro, cæterosq; morbos in cæteris partibus fieri, non ex proposita methodo doceat, sed potius legislatorum more explicet.

Tertiò, color, dolor, actio læsa, excremẽtorumq; qualitas sub vno symptomatis genere continentur, sed à supremo genere est inchoandum, & non ab infimis speciebus, ergo malè Galenus signorum methodum tradidit.

Quartò Galenus, 4. meth. à positu signa capit, ergo etiam à conformatione, magnitudine, numero, connexione, & vnione viciata, signa desumere debebat, cum non sit maior ratio de situ, quàm de cæteris iam dictis, ergo Galenus est diminutus.

Quintò, Galenus exulceratas partes, ex earum substãtia, positu, figura, & vsu cognosci tradidit, ergo in 1. de loc. aff. constituens vniuersalem signorum methodũ, debebat figuram, & cætera adijcere, quod non fecit, ergo est diminutus.

Sextò, quotidiana experientia ciborum, ac potuum notas exhibet partis affectę, ergo cętere causæ, quæ lædere, vel iuuare possunt, inter signa erãnt numerandę, ergo fuit mancus.

Se-

Septimò, Galenus ab excretis signa deducit, sed oportebat exponere, an qualitate, vel quantitate, vel excretionis modo, vel aliter, id efficiant, ergo est diminuta methodus.

Octauò, Galenus ex colore signum desumpsit, ergo etiam ab odore, sapore, cæterisq; qualitatibus, cùm non sit maior ratio de colore, quàm de cæteris.

Nonò, principia scientiæ methodi debent esse certa, nec plura, nec pauciora; sed principia methodi signorum à Galeno proposita varia sunt, ergo non est bona.

Hæc sunt argumenta, quibus in Galenum Argenterius inuolat. Iam fontes signorum ex ipso audiamus, vt postea conculcemus.

Argenterius ad quatuor capita signa reducit.

1. Ad essentiam partis.
2. Ad causas partem ipsam efficientes.
3. Ad effectus, qui partem affectam sequuntur.
4. Ad cęterorum similitudinem, & proportionem.

PRIMVS FONS.

De partis affecta essentia.

AB essentiæ partis fonte nouem riuulos deducit.

1. Temperiem.
2. Substantiam.
3. Conformationem.
4. Magnitudinem.
5. Situm.
6. Numerum.
7. Malam connexionem.
8. Solutam vnitatem.
9. Proprietatem partis.

Practica signorum ab essentia.

PRimo, à temperie, vt si quis partem intemperatam sentiat, eam affectam esse cognoscit.

Secundò, à substantia, si substantia, vel separata sit ab alia, vt caro per vulnus, vel crusta intestinorū per vlcus, ibi carnem affectam, hic intestina affecta deprehenduntur.

Tertiè, à conformatione in figura, vt si quis contorta habeat crura ob malam conformationem, tibias in figura vitiatas, cognoscimus; Ita gibbus per spinam contortam.

In cauitate, vt si quis pectus angustum habeat, pulmonem in thoracis cauitate contentum, eandem figuram seruare, signum est.

Quartò, à magnitudine; magnitudo aucta partem affectam designat, vt fungus in vulneribus capitis, signum est affectæ membranæ, & tumor in dextero hypochōdrio, signum est affecti iecoris. Magnitudo diminuta quoque, vt propter diminutam magnitudinem partes corporis extenuatę videntur.

Quinto, à situ, vt tumor in sinistro hypochondrio, lienem affectum, vel musculos subiectos declarat: Et si tumor in latitudinem versus stomachum extendatur, & profundior sit, durus, & sine dolore, signum est lienis affecti.

Sexto, à numero aucto, & diminuto pars affecta manifestatur.

Septimò, à connexione partes luxa-

luxatæ ob malam connexionem manifestantur: Ita fibræ pulmonis extra confossum thoracem potius ad situm, quàm ad naturam exereti reducendæ sunt: Et ratio est, quia pars exereta, partem læsam ostendit, à qua decisa est; Pulmo autem extra vulnus non est decisus; ita de intestinorum prolapsu dicendum est.

Octauo, à soluta vnitate, pars vulnerata cognoscitur.

Nonò, à proprietate partis: Proprietas lapidis exereti per vrinā, renes; vel colon intestinum, per anum affectū esse docet, cum proprietate hac gignendi lapidem. Et hæc de partis essentia.

SECVNDVS FONS.

Secundum signorum fontem à causis deriuat, per causas intelligens Argenterius.

1. Causas extrinsecas.
2. Morbos lædentes.
3. Proprietatem morborū.
4. Causas iuuantes.

Practica Signorum à causis.

Primò à causis extrinsecis, vt cantharides assumptæ, vesicam ostendunt affectam.

Insolatio, caput.

Aquæ potio, lienem, vel hepar, vel ventriculum affectum ostēdit.

Venus spirituosam, & neruosam substantiam affectam esse pronuntiat.

Secundò, à morbis vt

Tertiana ostendit hepar affectum.

Quotidiana, ventriculum.

Continua, partes internas.

Intermittens, partes externas affectas.

Inflammatio, carnem viscerum, & musculorum affectam indicat.

Tertiò, à proprietate morborū, calculus vrinando excretus, vesicę, vel renū laborantium signū est.

Quartò, à causis iuuantibus: Nā si sit suspicio, num renes, aut vesica calculo laboret, si ex remedijs adhibitis, renes iuuentur, renes laborant; sin autem ex remedijs vesica iuuetur, vesicam esse locum affectum, existimandam est.

TERTIVS FONS.

Ab Effectibus.

Effectus, qui à partibus affectis prodeunt, tot ab Argenterio enumerantur.

1. Actio.
2. Vsus.
3. Exereta.
4. Retenta.
5. Qualitates mutatæ.
6. Opera præter naturam aliena.

Practica Signorum ab effectibus.

Primò ab actione pars affecta dignoscitur, vt.

Excedens vigilia, delirium indicat.

Inappetentia potus, & cibi, ventriculum.

Abolitio sensus, & motus, cerebrum.

Cor-

Corrupta sanguificatio, iecur.

Mutatio pulsus, cor, & arterias.

Impedita sanguinis distributio, venas affectas.

Deperditio sensus, & motus in cruribus, vel in inio, vel in spina malum existit.

Dolor punctorius, membranas affectas; In thorace pleuram, in dextro hypochondrio membranam iecoris.

Dolor obtusus, & grauis, carnem, vt renum, affectam esse omninò declarat.

Secundò, ab vsu, vt vox læsa, partem principi inseruientem affectam esse attestatur.

Tertiò, ab excretis quoque in quibus considerantur.

Substantia.
Qualitas.
Quantitas.
Locus.
Modus.
Tempus excretionis.
Ordo.

A substantia partis; Nã substantia partis excretæ, speciem partis affectæ repræsentat, vt caro carnẽ.

Familiare ipsi parti, vt cibus ex vulnere, ventriculum affici

Pars quæ adnascitur, vt fungus meningis, cerebrum affectum.

A qualitate prima, secunda, simplici, mixta: vt aer calidior exspiratus, cor & pulmones affectos.

Sanguis flauior, calidior, & tenuior, arteriam.

Sãguis spumosus tussi reiectus, pulmonem.

Sanguis instar loturæ carnis ex aluo reiectus, iecur.

Ructus acidi, & nidorosi, ventriculum.

Excrementa duriora, & flauiora, intestina, vel iecur.

Pus ex abdominis vulnere stercus redolens, affecta intestina.

Sputum prauè olens tussi excretum, pulmonem.

Syncera qualitas, vt sanguis in dysenteria, stercori non mixtus, signum est intestinorum superiorum vlceratorum.

Mixta qualitas, vt sanguis, ramentis, stercorique mixtus, intestinorum inferiorum.

Vrina cum pituita extenuata, oblonga capillorum instar, renes affectos.

Vrina cum pituita quadrata, vel alio modo figurata vesicam, & alias partes affectas denuntiat.

A quantitate, vt sanguis copiosus excretus, vasa pulmonis.

Sanguis paucus, vasa tracheæ.

Sanguis multus mictus, vasa renum.

Sanguis paucus mictus, vasa vesicæ.

Magna portio vasis, tussi reiecta, vasa pulmonis.

Pauca, vasa asperæ arteriæ.

Si multa per tussim excernantur vasorum frustula, vasa pulmonum.

Vbi copiosissima sunt, quæ inferius excernuntur, vesicam, vterum & renes affectos significant.

A loco, excretio præter naturam, vt cibus ex vulnerato ventriculo, ostendit ventriculum affectum.

Excretio naturalis, vt cibus non mutatus per aluum deturbatus, ventriculum pariter affectum ostendit: Sub loco autem continentur modus, & tempus.

A modo, diuersus enim excernendi modus, diuersas partes affectas attestatur, vt

Simplex expuitio, os.
Exereatus, fauces.
Tussis asperam arteriam, & pulmonem.
Vomitus, gulam, & ventriculum.
Mictio membranosi, vesicã.
Mictio carnosi, renes, vel pudendum.
Sanguis, & pus, magna tussi reiectum, pulmonem, aut thoracem.
Pauca tussi, asperam arteriã.

A tempore, excrementa per aluum statim excreta, inferiora intestina.

Si post exereta, superiora intestina.

Si intempestiuè excernãtur, citius, vel tardius, partem affectam à qua prodeunt, vel eam, à quà facultas prodit, vt exereta per aluũ intempestiuè excreta, sphincterem refrigeratum, vel spinalem medullam resolutam, indicant.

Ab ordine, vt pus mictum ante vrinam, penem affectum.

Si post mictum, vesicam.

Pus ex naso emunctum, ante mucum, nares affectas.

Si post mucum, superiores partes. Et hęc sub excretis reponũtur.

Quartò, à retentis, sub quibus continentur,

Excrementa.
Attractio.
Retentio.
Alteratio.

Ab excrementis quidem, vt si vrina detineatur, vesicam, vel vretera, vel renes affectos ostendit.

Si ventriculus appetat, attrahat, ac alteret quæ aliena sunt, illa attractio est affecti ventriculi signum.

Si ventriculus, quæ familiaria sunt, diminutè, vel deprauatè attrahat, retineat, ac alteret, illa attractio est signũ ventriculi affecti.

Quintò, à qualitatibus mutatis signa desumuntur, vt

A Sapore.
Colore.
Duritie.
Mollitie, &
Sono.

A sapore, nam pituita salsa in ore ostendit caput affectum.

Amaritudo, venas, vẽtriculum, hepar bile refertum.

A colore, partes internæ ob viciniam, in quibusdam affectib. alieno suo colore cutem inficiunt, à quo signum desumitur partium internarum affectarum, vt in ossiũ corruptione, liuor, & nigredo cutis, & carnis, os corruptum significant.

Color totius niger, lienem.
Color flauus, hepar.
Linguæ flauedo, ventriculum bile aspersum.
Linguæ albedo, ventriculum pituita delibutum.
Color omninò partis affectę, eam affectam ostendit, vt liuor cutis carnẽ putridã.

I A du-

A duritie, & mollitie: Nam duricies, & mollities, nedum partem affectam vbi sunt, sed etiam fontē humorū inquinatum ostendunt, vt exiccato iecore, partes duriores; humectato iecore, molliores redduntur.

A sono, vt circa aures sonus, cerebri membranas; circa ventrem inferiorem, intestina affecta.

Sextò, ab alienis operibus, veluti caro totius corporis spongiosa, & humida, affectum hepar ostendit.

QVARTVS FONS.

A similitudine.

SImilitudo loci affecti in corpore mortuo obseruati, conducit ad cognoscendos locos affectos in viuis laborantibus. Et hæc est numerosa Signorum methodus Argenterij, quam, confutato Galeno, proponit.

METHOD. ARGENTERII

Confutatur, & reprahenditur.

VErùm, vt breuibus iudicium de hac Argenterij methodo proferamus, dicendum est, lapsum esse Argenterium, cùm simul confuderit signa necessaria cum contingentibus, demonstratiua cum probabilibus, & solubilia cum insolubilibus, quod faciendum non est, cum methodus scientifica ex terminis integretur necessarijs: Quam Galenus constituere volēs, à quinq; fontibus eam deduxit, vt idcirco, si de signis demonstratiuè necessarijs loqui velimus, tot solùm sunt signorum capita, quot à nobis proposita, ex mente Galeni: Quòd si de signis etiam non necessarijs loqui velimus, non ibimus inficias Argenterio, quòd plura quinque sint signorum capita; sed tunc per viam methodicam non incedimus; Hinc est quòd Argenterij argumenta in Galenum proposita, i prorsus concludāt, cùm ipse potissimum errauerit confundens signa ad inuicem.

Et hæc de methodo Simiotica dicta sint, qua Medicus in cognitionem deducitur affectuum ipsorum, & locorum affectorum.

IMPOSTVRA HERMET.

De Physionomica morborum Anatomia.

ARtem signatam pro cognoscendis morbis necessariam esse ipsi Medico, fatentur, & Hermetici, vt passim colligitur ex Hermeticorum Principe, in *Medicorum labyrintho cap. nono di Podagricis morbis libro secundo*, & *de Colica*, capite *de pregressu*, & *de signis*: verum quid de morborum signata cognitione senserint, per difficile est inuestigare, non solum propter terminorum ambiguitatem, verum, & propter eorumdem implicatam confusionem: ego autem breuibus, ijsq; conceptissimis ter- *Hermeticorum cōfusio.*

terminis, quid senserint, intimè vobis exponam, & an à methodo signorum Dogmatica discriminentur, aperiam.

Hi, quanquam in cognitione morborum, se, methodo à Methodicis diuersa, procedere iactent, tamen ob eorum inexperientiam, in eandem incidũt, sicut antiquiores Physici ex Ar. 1. physicor. qui præter intentionem principia cõtraria fecerunt: quod, vt conspicuũ fiat, constituenda est in terminis eorum methodus; quod ordine factùrum existimo, si prius, *quid sit signum*, ex eorum mente, ostendero, pòstea, qua signorum illatione necessaria, in morbi cognitionem, & inuentionem deueniant.

Methodus signorũ hermetica in terminis posita.

Definitio signi.

Definitur signum ab Hermetico, de Colica loco citato, esse *vestigium ab operatione relictum*, vt domus ab Architecto extructa, sui opificis signum est; Quod signum propterea est opus ipsum ex agentis actione relictum, ex quo, verbi gratia, Colicæ signum, est *virtutis ventriculi destructio, excretorum alui retentio*: *ventris perflatio: & distensio*, quæ à suo agente, morbo scilicet, procedunt: qui morbus, cum sit suorum signorum effectiuus, & Agens, & hic agens in humano sit corpore, propterea ab Hermeticis hic agens morbus, tanquam corporis inuisibilis integer homo constituitur, vt patet de ictericia, quæ *cum ex corporis centro*, hoc est ex felle proueniat, *nullam noxam infligit*, id est non fit morbus actionem lædens, nisi *homo totus excreuerit*, id est nisi ictiritia toti corpori coextensa fuerit, hoc enim pacto, corpore eo completo, incrementum suum illa attigit, ac membra omnia habet, quæ homo habere debet; vnde hinc patet, quòd manus manuales, oculi oculares, stomachi stomachales, producunt morbos, & sic de singulis; morbus ergo signorum productiuus, homo est membrorum internorum inuisibilium, in homine externo, & visibili contentus, qui non minus signorum suorum productor est, ac suæ fabricæ Architectus.

Quid homo interior.

Enim verò, sicut hominis exterioris cognitio, ex physionomia, & anatomia partium illius dependet, ita hominis interioris, hoc est ipsius morbi cognitio, ex physionomica anatomia dependet; non enim, subiungunt Hermetici, membrorum corporis humani sectio, & cognitio, aliquid ad morborum cognitionem, & curationem facit, vnde illam passim, tum loc. citato, tum in vtraque Chirurgia, vituperant, iubentes omnino *in ipsam morborum anatomiam* penetrandum esse, quam *ėßatam* appellant, cum ea mediante morborum natura, & essentia cognoscatur: quid autem sit hæc interna physionomica anatomia, qua mediante morbi essentiæ, tanquam hominis interioris in exteriori, cognoscuntur, videntur post plurima verborum hiperbolica phalera, in terminis propriis scientiæ se limitantes, determinare, nil aliud esse, nisi *artem*, siue *methodũ docentem cognoscere formã vniuscuiusque morbi*, ex cuius forma præcognita, in morbi *proprietatem*

Anatomia localis reiicitur.

Quid anatomia essata.

Quid interna anatomia.

tem deuenitur, sicut in cognitionem formæ descendunt, ex *dolore*, *colore*, & *loco*; vt ex Hermetico, conceptissimis verbis, colligitur, lib. 2. de Podagricis morbis, de Anatomia, c. 1. Quare, ex horum mente, methodus anatomica physionomica cognoscendorum morborum in duabus fundatur illationibus: In prima fit progressus à *colore dolore*, *& loco*, ad *formam morbi*. In secunda fit progressus à morbi *forma* ad morbi *proprietatem*: sicut in medendi eorum methodo fit postea, vt suo dicā loco, processus illatiuus *à forma*, *& proprietate morbi*, tanquam indicantis, ad *formam*, *& proprietatem materiæ remedij specifica*, *& indiuidua indicata*. Hæc ergo est methodus Hermeticorum in terminis proposita, ex confuso eorum hiperbolico chao desumpta.

Duæ illationes hermeticæ.

Porrò videamus, quantam veritatem habeat hæc hermetica signorum methodus, & num à Dogmatico Galeno irrationalis Hermeticus differat; qui cum sibi contradicat, & ob eius crassam, & fucatam ignorantiam, neget, quod tandem affirmat, propter eius inexperientiam in conflandis methodis, in eandem Galenicam labitur: quam conculcare intendit.

Confutatio Hermeticæ methodi de signis.

Exorsus ergo à signi definitione, quam illa inepta sit, ex eo patet, quia non ponitur in ea differētia signi constitutiua, illud enim definire *per vestigium ab operatione relictum*, non ponitur signū morbi in esse signi, nam, & morbus est, imò maiori cum ratione dici debet, vestigium præter naturam, ab operatione causę morbificæ relictum in parte viuente, vel in toto. Præterea, morbum, *hominem interiorem* appellare; præter id, quòd hiperbolicè positum est, ex rei natura non differt à dogmatica morborum diuisione, quæ morbos in *vniuersales*, *& particulares* diuidit, in vniuersales quidem, qui toti corpori coexistunt, vnde tantum est dicere *morbum vniuersalem*, ac cum Hermeticis dicere *hominem internum inuisibilem* in exteriori homine contētum: in particulares vero, qui vni tantum inexistunt parti, ex quo, tantum est dicere cum Dogmaticis *morbum particularem*, ac cum Hermeticis, manus, manuales; oculos oculares, gignere morbos; quanquam Hermeticus falsò in ictericiæ exemplo, ponat, esse morbum omnib. corporis partib. tam internis, quam externis communem, constat enim esse morbum particularem: melius forsan febrem posuisset, tanquam interiorē hominem in exteriori contentum.

At vero, falsum esse illorū Dogma, ex corporis exterioris membrorum substantias, & conformationes inuestigante per sectionem anatome, interioris hominis idest, morbi naturam colligi non posse: primo, quia ex ijsdem patet, qui tomo 5. fragmentorum medicorū de oculorum anatomia, oculorum substantiam, formam, & materiam perpendunt, substantiam quidem oculorum, ex eorum à sulphure *subtili rubedine*, à Mercurio *subtili diaphaneitate*, & à sale, *spiritu subtili*: *formam*, idest oculorum con-

conformationem, *materiam*, id est compositionem: vnde oculorum morbos, & à substantia, & à materia, & à forma desumunt; ergo sibi cōtradicunt, quando pro morbi cognitione, partis substantiam, quę consequuntur, & quæ accidūt, negligunt: Secundò, idem Hermeticus de signis loquens, cap. 8. labyrinthi medicorum scripsit, *artem signatam, signatum locum indicare, & locum necessarium ostēdere, sicut necessarium inuentione suppeditatur*; Quod dictum ità glossari debet, vt ex cognitione loci affecti, necessariò affectus natura indicetur, ergo ex ipsorum auctoritate, loci affecti natura est cognitu necessaria, vt morbi idea cognoscatur. Tandem suam signatam methodum proponentes, totam illius necessitatem fundāt in *coloris, doloris*, & *loci* ratione, qua mediante, formam, morbique proprietatem, tanquam ex necessarijs signis, à posteriori demonstrant; ergo ex loco affecto præcognito, licet naturam affectus demonstrare, & per consequens exterioris hominis anatomia ad eum cognoscendum conducit.

Ex his ergo, tria colligere possumus; primò, eos, in quibus rectè dicūt, nil à Dogmaticorum Theoria diuersum proponere; secundò, ipsos affirmare, quod negant; tertiò, eorum methodum signatam à Galenica iā proposita non differre.

Reductio methodi Hermeticæ ad Galenicam. Quod tertium in terminis patet; cum enim signa Galeni demōstratiua, ad quinque reducantur capita, ad excreta scilicet, *actionē læsam, positum, doloris proprietatem, & accidentia propria*, eū Hermeticus, libro secundo, de podagricis morbis, de Anatomia, c. 1. concludat, suam signorum methodum, in morbi figuram, & proprietatem tendere, tanquam in eius naturam ex *colore, dolore, & loco*; dum proponit *colorem, accidentia propria* innuere videtur: dum proponit *dolorem, doloris proprietatem*: eādem, dum *locum* enumerat, *positum* fateri videtur, qui loci affecti positionem realem respicit, *actionem læsam*, quæ loci propria est, & *excreta*, quæ ad *proprietatē essentiæ loci affecti magnitudinē essentiæ loci affecti, contentum naturale loci affecti, quod in loci spacio præter naturam continetur*, & quod parti, *seu loco adhæret*, reducuntur; idcirco in suo Medicorum labyrintho se conglomerantes, vt se à varijs ignorantiæ orbibus extricent, coguntur tandem, filo Galeni methodico, in veritatis vestibulum se deriuare: Et hæc breuiter de Physionomica morborum signatura, seu de Anatomia Hermetica dicta sufficiant.

DE PVLSIBVS.

ACturus de pulsibus primò agam de præcognitione quid nominis pulsus, postea de præcognitione quid rei, ex cuius definitione exhauriam differētias, causas & præsagia.

Quantum ad quid nominis, notio pulsus plures habet significationes, pro nunc tamē sufficiat per *Nomine pulsus quid intelligetur.*

pulsum nos intelligere euidentem arteriarum motum, qui digitum euidenter ferit, pulsat, & eleuat, ex Galeno, lib. quòd mores seq. corporis temper. cap. 1. quod forsan accepit à Praxagora.

Quantum ad definitionem essẽtialem pulsus definitur quòd sit...

Definitio essentialis. Actio *propria primò cordis, secundò arteriarum ex diastole, & systole composita, à vitali procedẽs facultate, vt caloris mediocritas, naturalis videlicet seruetur, & spiritus animalis in cerebro generetur*, & quoniam omnis bona definitio debet constare, ex quatuor causarum generibus. *Causa formalis.* Propria *causa formalis* est quando dicitur, Actio propria cõposita ex diastole, & systole, id est, ex *dilatatione*, & *constrictione*. *Materialis.* Causa *materialis* est quando dicitur, primò cordis, secundò arteriarum; Cor enim, & arteria sunt instrumenta, & materia pulsus. *Efficiẽs.* Causa *efficiens* est, dum additur; à facultate vitali: Nam facultas vitalis in corde radicata, nec non cordis temperamentum est causa efficiẽs ipsius pulsus Causa *finalis* est dum ponitur; vt mediocritas caloris, &c. *Finalis.* Nam calor naturalis ipsius cordis, & arteriarum per pulsum conseruatur, quatenus ventilatur; vẽtilatur autem quia per diastolen, & systolen attrahitur aer frigidus, & expelluntur fuligines, & vapores, sic per attractionem frigidi, & expulsionem calidi, calor naturalis, & ingenitus ipsius cordis attemperatur.

Vt autem hæc definitio rectè, & medullitus intelligatur, quatuor declarare oportet.

Primò, qua ratione cor, & arteriæ moueantur.

Secundo, vtrum hic motus fiat à calore dilatante, & compressio à grauitate arteriæ, vel ab ipsa facultate animæ.

Tertiò, an arteriæ sequantur dilatationem cordis, vel è contra.

Quartò, an facultas cordis sit animalis, vel naturalis.

Quantum ad primum, sciẽdum est, triplicem esse motum; rectum, circularem, & reflexum.

Motus igitur cordis non est rectus, neq; circularis, sed reflexus, ex recto, & circulari compositus; *Motus cordis est reflexus.* Est enim rectus, quia finitur; est circularis, quia continuo tempore fit. Motus igitur cordis est motus semicircularis sapiens naturam recti & circularis.

Ad secundum. Motus dilatationis, & constrictionis non fit à calore, sed à facultate animæ, *Motus cordis non fit à calore.* nonquidem fit à calore euaporante, & dilatante arterias, quoniam hic motus esset per accidens, & quandoque finiretur, sed fit à facultate animæ vegetatiuæ constringente, & dilatante per se primò cor, vt illius temperies seruetur, & ex consequentia compressio non fit arteriarum, à grauitate corporis arteriosi, sed ab ipsa facultate cordis eleuante, & deprimente.

Quantum ad tertium, cùm arteriæ sint instrumenta cordis, idcirco arteriæ non sunt causa motus cordis, sed est cor ipsum, quod mouet arterias: Propterea cor per se primò mouetur, arteriæ secundariò.

Postremò pro resolutione quar-

Motus cordis est compositus. ti problematis, dico motum cordis esse compositum ex naturali, & animali: Ex naturali quidem quatenus continuò mouetur ab anima vegetatiua pulsabili cordi implantata; Ex animali verò, id est ex motu volũtario, ratione musculorum thoracis, qui sunt instrumenta motus voluntarij.

DE DIFFERENTIIS PVLSVVM.

COgnita substantia, & natura pulsus, modò libet exhaurire differentias eiusdem.

. Differentiæ igitur pulsuum sunt quinque,

Prima desumitur à spatio.
Secunda à tempore.
Tertia à quiete.
Quarta à motore.
Quinta à mobili.

Differẽtia quæ desumitur à spatio arteriæ talis est, quale est spatium, quod pertransit arteria à cẽtro ad circumferentiam; Idcirco si spatium, quod pertrãsit, fuerit magnum, id est longum, latum, & profũdum, pulsus quoq; erit magnus; si spatiũ erit paruum, pulsus quoque erit paruus. *Pulsus magn⁹. Paru⁹.*

Secunda differentia desumitur à *tempore*; Nam si temporis spatiũ, quo arteria mouetùr, erit multũ, pulsus appellabitur *tardus*; si autem paucum, *celer* dicetur. *Tardus. Celer.*

Tertia differentia desumitur à *quiete*: Nam si quies inter dilatationem, & cõstrictionem erit multa, pulsus erit *rarus:* & si quies sit pauca, pulsus erit creber; Et si mediocris, pulsus quoque erit mediocris. *Rarus. Creber.*

Quarta differentia desumitur à *motore*: Nã si virtus pulsifica erit vehemens, pulsus quoque erit *vehemens*; si languida, *languidus*; si mediocris, *moderatus*. *Vehemens. Languidus.*

Quinta differẽtia sumitur à *mobili*, id est, a corpore arteriç; Nam si corpus arteriç erit durum, pulsus erit *durus*; Si molle, *mollis*. *Durus. Mollis.*

De compositis pulsuum differẽtijs.

PRædictæ differentiæ pulsuum, quandoque inuicem complicantur accidentaliter, & non per se, vt magnus cum moderato subceleri; cum moderato subcrebro; cum moderato subuehementi; cũ moderato submolli. *Differẽtiæ complicatæ.*

Quoniam tamen infinitç propemodum proponuntur a doctorib. pulsuum differẽtiæ compositç, quæ parum faciunt ad veram cognitionem pulsuum, ideò ne animus vester à tot differentiarum pluralitate obruatur, istæ ideo paucæ sufficiant; Et quoniam superiores cõpositæ, fuerunt differentiæ pulsuũ *absolutæ*; propterea remanent *respectiuæ*, quatenus habent inter se habitudinem, & respectum.

Differentiæ igitur respectiuæ, vel habẽt relationem ad ordinem, vel ad naturam: Si ad ordinem, oritur duplex differentia, *ordinatus*, & *inordinatus*.

Pulsus ordinatus est, qui ordinẽ determinatum obseruat, estq; duplex; æqualis, & inæqualis. *Pulsus ordinatus.*

Pulsus ordinatus *æqualis* est ille,

le, qui habet pulsationes æqualiter ordinatas.

Inæqualis. Pulsus ordinatus *inæqualis* est ille, qui in inæqualitate pulsationum, seruat ordinē, & symmetriā, v. g. sint quatuor pulsationes ęquales, quinta verò pulsatio fit inęqualis, Vbi hic ordo ita seruabitur, vt semper quatuor sint ęquales, quinta verò fit inæqualis, tunc pulsus erit ordinatus, & inæqualis.

Pulsus inordinatus. Pulsus verò inordinatus est *inæqualis inæqualiter*, quoniam à seipso semper est diuersus in omnibus iam dictis pulsuum differentijs.

Pulsus *respectiuus* in relatione ad naturam est quadruplex:

Aequalis.
Inæqualis.
Rythmicus, idest, proportionatus.
Et sine rythmo.

Pulsus æqualis est duplex:

Simpliciter.
Et secundum quid.

Pulsus simpliciter æqualis. Pulsus *simpliciter* æqualis est ille, qui seruat æqualitatem in omnibus iam suprapositis differētijs.

Aequalis secūdū quid. Pulsus æqualis secundum *quid est* ille, qui quidem est æqualis in vna, vel duabus differentijs, sed in alijs differentijs est inæqualis.

Pulsus inæqualis simpliciter. Inæqualis secūdū quid. Consimiliter pulsus *inæqualis*, vel est talis simpliciter, id est in omnibus differentijs, vel secundum quid, id est in aliquibus tantùm.

Insuper hæc inæqualitas, tam simplex, quàm secundum quid, est duplex:

Singularis.
Collectiua, Systematica.

Singularis. Inæqualitas *singularis* est quādo vno arteriæ ictu obseruatur pulsus varius.

Collectiua. Inæqualitas *collectiua* est, quæ fit in pluribus pulsationibus, quatenus vna ad alteram comparata, vel plures inuicem inæquales sunt.

Systematica. *Systematica*, eatenus dicitur quatenus habet differentias plurium pulsuum, vt musicorum systema, quod varietatem acutarum, & grauium vocum comprehendit.

Inæqualitas sub vno digito triplex. Singularis inæqualitas duplex est; vel in vna parte arteriæ, id est sub vno digito.

Vel in pluribus.

Inæqualitas sub vno digito est triplex:

Primus pulsus dicitur intermittens.
Secundus, imparcitatus.
Tertius dicrotus, id est, bis pulsans.

Intermittens. Pulsus *intermittens* est, quando motus dilatationis arteriæ intercipitur, & videtur quiescere.

Imparcitatus. Pulsus *imparcitatus* est, quando motus extensionis, est quidem cōtinuus citra quietem, & citra interceptionem, extensio tamen cōstat ex partibus tardis, atq; celeribus, quia, vel lentè incipit dilatatio, & postea velociter desinit, vel è conuerso, velociter incipit, &c.

Dicrotus. *Dicrotus*, *seu bis pulsans*, est quando arteria, dum mouetur, antequam finiat motum, intus retrocedit, & iterum insurgit ad perficiendum inceptum motum, ita, vt in vna pulsatione duplex quasi pulsus obseruetur; & istę sunt differentiæ singularis inæqualitatis secundum vnum digitum.

Inæqualitas sub pluribus digitis. Sequitur modò inæqualitas singularis secundum plures arteriæ partes, & est quando sub vna pulsus dilatatione, plures digiti immutãtur, vel duo, vel tres, vel quatuor, id est, quando partes arterię à pluribus digitis tactæ, se inæquales, & diuersas ostẽdunt, ita vt vna pars arteriæ, sub vno digito, diuersimodè moueatur, quàm alia pars alterius digiti; Et hæc dicitur inæqualitas secundum omnes digitos, seu inæqualitas composita, quę duplex est:

Alia est continua.

Alia verò intercisa.

Hinc pulsus inæqualis continuus, & pulsus cõtinuus intercidens.

Inæqualis continuus. Pulsus inæqualis *continuus* est, quãdo inæqualitas arterię sub omnibus digitis est continua, ita vt nunquam deficiat.

Inæqualis intercidens. Inæqualis verò *intercidens* est, quando pulsus inæqualis deficit, vel sub vno digito, vel sub pluribus, vel sub omnibus. Et hæc de pulsibus inæqualibus, quantum ad inæqualitatem singularem.

De inæqualitate collectiua.

INæqualitas *collectiua*, seu *systematica*, seu *congestiua* est, quæ in pluribus pulsationibus obseruatur, & est duplex:

Inæqualitas inæqualis.

Inæqualitas æqualis.

Pulsus inæqualis æqualis. Pulsus *inæqualiter æqualis* est, quando vna pulsatio est maior, secunda minor, tertia minor, ita vt pulsus, æquali distantia, fint maiores, & minores, & æqualiter inæquales, & hic pulsus dicitur *myurus*, per similitudinem à cauda muris decurtata; Et hic pulsus myurus est duplex: Alter, quando pulsationes semper diminuuntur, vsq; ad finem, & dicitur finitiuus; Alter verò est myurus, qui diminuitur ante finem. *Myurus.* *Finitiuus.* *Ante finem.*

Pulsus inæqualiter inæqualis. Pulsus *systematicus* inæqualiter inæqualis, est, qui inter pulsationes non seruat ordinem, sed semper inæqualiter procedit, & est in duplici discrimine:

Alius est innominatus.

Alter verò nomen habet.

Innominatus. Pulsus *innominati* sunt illi, qui in primis differentijs sunt inæquales, vt in magnitudine, paruitate, celeritate, tarditate, crebritate, &c.

Pulsus, habens nomen est quadruplex:

Intermittens.

Intercurrens.

Deficiens, &

Deficiens reciprocus.

Intermittens. *Intermittens* est ille, qui in pluribus pulsationibus intermittit, ita vt desit vna pulsatio, vel duæ, vel tres, & eatenus dicitur intermittens, quatenus est rarus, eo quòd deficiat in pulsatione.

Intercurrens. *Intercurrens* est intermittenti contradictorius, quoniam, eatenus est inæqualis, quatenus est creber; Est autem creber, quatenus inter duas pulsationes quędam alia, quę non deberet, obseruatur.

Deficiens. *Deficiens* est, quando arteria motu destituitur, eo, quia semper minor fiat, & hic non differt à myuro finitiuo.

Deficiens reciprocus. *Deficiens reciprocus* est, in quo iterum arteria incipit agitari, & mo-

moueri, ita vt per duas, vel tres, vel etiam quatuor pulsationes deficiat, & iterum reuiuiscat; atque tot sunt differentiæ pulsuum inæqualium primæ compositionis.

De pulsibus inæqualibus compositæ differentia.

INęqualitas cõposita est duplex: Vel in situ arteriæ.
Vel in motu arteriæ.

Inæqualis in situ arteria. Pulsus *inæqualis* in situ arteriæ est, quando inæqualiter pulsat arteria, vel sursum, vel deorsum, vel antrorsum, & retrorsum, vel dextrorsum, vel sinistrorsum, qui motus erraticus, & errabundus, & vagus appellatur.

Inæqualitatis compositæ in motu arteriæ, seu ipsius differentiæ sunt decem,

Vndosus.
Vermiculans.
Formicans.
Serrinus.
Vibratus.
Hecticus.
Caprizans.
Spasmosus.
Tremens.
Strepens.

Vndosus. Vermiculans. *Vndosus*, & *vermiculans* sunt pulsus, qui fiunt in diuersis partib. arteriæ; & vndosus dicitur à translatione ab vndis: Pariter vermiculans est vndosus; sed hæc est differentia, quòd in vndoso, arteria magis eleuatur in magnitudine, & celeriores, pluresq́; habet eleuationes in magnitudine: Vermiculans autem minores, & tardiores habet in magnitudine eleuationes, vt in verme deambulante cernimus, & propterea datur à pulsu vndoso transitus ad vermiculantē, & à vermiculante ad vndosum.

Formicans. Pulsus *formicans* est omnium minimus, & tardissimus per similitudinem ab incessu formicæ.

Caprizans. *Caprizans*, dicitur ad similitudinem illius speciei capræ, quæ *gasella* dicitur: sicut enim capræ mouentur, ita pulsus hic constat ex mediâ quiete, & ex inæquali celeritate.

Serrinus. *Serrinus* dicitur ad similitudinem serræ habentis aliquot dentes sursum, & aliquot deorsum, ita vt pulsus ille habeat pulsationes inæquales.

Spasmosus. *Spasmosus* est ille, qui tanquam refractus, & cõuulsus obseruatur.

Vibratus. Pulsus *vibratus* est, cuius vna pars in altum irruit, & alia quasi in eodem tempore deorsum tēdit.

Tremens. *Tremens* est pulsus palpitās ad modum palpitationis cordis.

Strepens. *Strepens* est, qui fit cum sonitu, & strepitu arteriæ.

Hecticus. *Hecticus* dicitur, qui seruat sēper illas inęqualitates, quas ab initio morbi habitualis acquisiuit.

DE SIGNIS PVLSVVM.

SEquitur pars diagnostica de cognoscendis pulsibus, quę cognitio est difficilior priore: Nam differentiæ pulsuum sensu satis cognoscuntur, sed differentiarum naturam, & essentiam cognoscere, hoc nisi per demonstrationem haberi potest. Vt ergo essentias pul-

suum demonstremus, oportet axiomata quędam pręsupponere, quę ad summum quinque sunt.

Prima suppositio. Prima suppositio est, non posse Medicum naturas pulsuum dignoscere, nisi facta collatione ad pulsum naturalem, qui consistit in medietate, ita vt sit mediocris, & medius inter pulsum fortē, & debilē.

Secūdū axioma. Secūdum axioma est, medicum non solum per pulsum cognoscere ictum simpliciter arterię, sed depressionem, & eleuationem, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ita vt trina ipsa dimensio necessariò in ipsis pulsibus obseruari debeat.

Tertiū axioma. Tertium axioma est aduersus empiricos opinantes, contractionē arterię non sentiri, sed solum dilatationem, hoc antē est falsum, quoniam vterque motus, & dilatationis, & constrictionis percipitur.

Quarta suppositio. Quarta suppositio est, finem cōtractionis, & principium dilatationis non sentiri à Medico, quia si leuiter tangamus pulsum, externā tantùm quietem percipiemus; & si fortè tangamus vniuersum, arterię motum occultabimus.

Quintū axioma. Quinta est, dari quietem inter duos motus oppositos, qui cùm nō possint esse continui, propterea media quiete interpolātur: & cùm sit motus dilatationis, atque constrictionis, duplex etiam est quies, interna, & externa: quies externa obseruatur leui manus applicatione; quies verò interna, quæ est post finem contractionis, nequaquam à tactu Medici persentiri potest.

De cognitione pulsus magni, & parui.

PRima differentia pulsuum erat pulsus magnus, & paruus, quę differentia, vt intrinsecè cognoscatur, sciendum est, magnitudinē, & paruitatem esse duplicem: propriam, & impropriam.

Magnitudo propria. Magnitudo pulsus propria est duplex; prima est respectu dilatationis arteriæ; secunda est respectu constrictionis.

Impropria. Impropria est respectu magni corporis arteriæ. Magnus ergo hic pulsus manu comprimente cognoscitur, quatenus magna dilatatio repellit digitum, & quatenus arteria in corpore facit foueam.

Paruitas pulsus pariter est duplex, propria, & impropria.

Paruitas propria. Propria paruitas pulsus est respectu paruę dilatationis arteriæ.

Impropria. Impropria autem est respectu corporis arteriosi, & vtraq; paruitas, sicuti magnitudo, percipitur.

De cognitione pulsus celeris, & tardi.

TArditas, & celeritas pulsus duplici methodo potest cognosci, vel methodo intellectiua, vel inductiua, id est, sensu. Hinc duplex est cognitio, altera philosophica, altera medica.

Cognitio celeris tardi. Philosophica cognitio pulsus celeris, & tardi, nascitur ex comparatione talis pulsus ad tempus, quod in motu alicuius spatij transeundi consumitur, cuius causa celer dicitur pulsus, quia pauco tempore

pore fit, & tardus, quia multo tempore absoluitur.

Cognitio medica. Cognitio medica nō est per intellectum, sed per sensum, qui non solum considerat tempus, verùm etiam considerat spatij magnitudinem, per quod fit motus, ita vt *Celeris tardi.* pulsus celer, & tardus non fit ratione temporis tantùm quod intelligitur, sed etiam ratione spatij, quod sentitur, & quantum ad cognitionem medicam. pulsus celer, manu comprimente, est tangēdus, tardus verò, manu suspensa, est palpandus.

De cognitione pulsus crebri, & rari.

PVlsus celer, siue frequēs, & rarus erant differentię desumptę à quiete: quies autem est duplex, interna, & externa.

In quiete externa post dilatationem, pulsus creber dicitur, si pauco tempore quiescat, rarus si multo tempore quiescat; quamobrem duplex frequentia, & raritas, vna interna, alia externa, ratione quietis, vel internę, vel externę.

De cognitione pulsus vehementis, & debilis.

HÆc differentia pulsus desumebatur à facultate vitali, quæ robusta, parit pulsum vehementem, & debilis, debilem. Vehemens ergo pulsus est, qui vehe- *Cognitio pulsus vehementis.* menter digitum propellit: Debilis, qui faciliter tactu superatur.

De cognitione pulsus mollis, & duri.

HÆc differentia multipliciter cognoscitur, vno modo ex arterię humiditate, vel carnis superiacentis; Si enim arteria, & caro *Cognitio duri.* fit mollis, pulsus pariter erunt molles: quòd si arteria, & caro sicca fit, qui est secundus modus cognitionis, pulsus erūt duri: Ex quo pulsus mollis manu palpari debet; *Mollis.* durus verò comprimi.

De cognitione differentiarum pulsus relatiuarum.

DIfferentię relatiuę tactu pariter dignoscuntur; Nam pulsus ordinatus tunc cognoscetur, *Cognitio ordinati.* quando pulsationes erunt sibi ipsis ordinatæ; quòd si inordinatę fue- *Inordinati.* rint pulsationes, pulsus dicetur inordinatus.

Pulsus ęqualis eodem tactu per- *Æqualis.* cipietur, sicut & pulsus inęqualis, tam singularis in vna pulsatione, *Inæqualis.* quàm collectiuus in pluribus, ita vt omnes isti pulsus, non alio modo cognoscantur, nisi per tactum, & sensus iudicium.

DE CAVSIS PVLSVVM.

SEquitur theoria causarum pulsuū, quę duplex est: Nam aliæ sunt causę, alię sunt concausæ.

Causę sunt in duplici discrimine: Nam aliæ primariæ, quæ continentes, & coniunctæ dicūtur à medicis, & immediatę à philosophis.

Se-

Secundæ verò procatarcticę dicuntur, idest externæ.

Causæ primariæ sunt illæ, quæ generant, & alterant pulsum; secundariæ sunt illæ, quæ tantum alterant pulsum, sed non generant.

Causæ primariæ. Causæ primariæ generantes, & alterantes pulsum, sunt triplices, facultas, instrumentum, & vsus.

Facultas est facultas vitalis; *Instrumentum* est arteria; *vsus* verò triplex est, primò vt refrigeretur calor; secundò, vt expellantur fuligines; tertiò, vt generentur spiritus.

Causæ secundariæ. Causæ secundariæ sunt triplices, naturales, præter naturam, & neutrales.

Naturales. Naturales sunt tres; temperamentum, ætas, & sexus.

Præter naturā. Præter naturam suut tres, morbus, morbi causa, & symptoma.

Neutrales. Causæ verò neutrales sunt sex; aer, cibus, & potus; somnus, & vigilia; Inanitio, & repletio; Motus, & quies; & animi accidentia.

Insuper, cū causæ primariæ sint tres, generantes, & pulsum alterantes, de his sigillatim dicendum est.

Facultas quæ est primaria causa pulsus, vel est vehemens, vel moderata, vel debilis; pariter instrumentum, quod est causa pulsus, vel est molle, vel durū, vel mediocre; finis, qui & ipse est causa primaria pulsus, vel est auctus, vel diminutus, vel mediocris.

Causæ pulsuū à facultate vehement. Languid. Mediocris. Quantum ad facultatem dico, propositionem esse conuertibilē, facultas est vehemens, ergo pulsus est vehemens; pulsus est vehemēs, ergo & facultas est vehemens. Cōsimiliter facultas est languida, Ergo & pulsus est languidus, & è contra. Pariter facultas est media inter vehementem, & debilem, medium quoque habebit pulsum. Eadem conuersio est de instrumento, idest, arteria; Nam mollis arteria habet pulsum mollem; dura durū; medioccris mediocrem, & è conuerso.

Causa pulsuū ab vsu. Quantum ad vsum, calor cordis indiget refrigerio, quoniam est auctus: potest autem augeri dupliciter, vel secundum naturam, vel præter naturam, & vterque calor cordis eget refrigerio, vt si sit auctus secundum naturam, egeat magna dilatatione, & parua constrictione; Sed si auctus sit præter naturam, eget magna dilatatione, & constrictione, tam pro attrahēdo aere, quàm pro expellendis fuliginibus. Pulsus ergo, qui satisfacit fini, & vsui aucto dicitur pulsus magnus, & si vsus erit magis auctus, pulsus, nedum erit magnus, verū etiam celer, creber, & intensus; & è conuerso, si vsus refrigerandi caloris erit imminutus, habebit contrarias differentias, & mediocris, mediocres. *Magn. Celer. Creber.*

De causis pulsuum simplicium.

Pulsuū cōcausa. HActenus egimus de causis pulsuum coniunctis, sequitur modò vt de cōcausis agamus, quę sunt quinq;, *crassities* corporie, *gracilitas, locus circa arteriā vacuus, grauitas superadiacentiū corporum, & formalis proprietas.* A quibus concausis oriuntur istę pulsuum differentię.

Breuis, & longus.

Par-

Paruus, & magnus.
Latus, & strictus.
Humilis, & altus.
Celer, & tardus.
Creber, & rarus.
Vehemens, & languidus.
Mollis, & durus.
Et pulsus turgidus.

Istæ omnes differentiæ non solum referuntur in prędictas causas superius declaratas, facultatem, instrumentum, & vsum; verùm etiã referuntur in prędictas concausas, quæ differentiæ, cùm superius fuerint declaratæ, & tactu cognoscãtur, propterea non est, quòd repetamus; Restat tantummodo pulsus *turgidus*, qui hactenus nõ fuit enucleatus. *Turgidus* ergo pulsus pẽdet à triplici concausa; primò à *formatrice arteriæ*, quæ si gibbosa est, efficit pulsum gibbum, & turgidum; Secundò à *crassitie* corporis arteriosi; Si enim arteria fuerit crassa circa corpus ipsum, præ crassitie turgebit pulsus; Tertiò pendet à *necessitate* caloris euentãdi; vbi namque insignis est necessitas, vt calor cordis refrigeretur, ibi mouetur arteria tali dilatatione, vt videatur gibbositatem quandam, & turgescentiam efficere. *Pulsus turgidus.*

De causis pulsuum respectiuorum ordinati, & inordinati; æqualis, & inæqualis.

CVm inter differentias respectiuas pulsuum, pulsus ordinatus, & inordinatus: æqualis, & inæqualis reponatur, idcirco istorum pulsuum causas exsculpere oportet.

Pulsus ergo *ordinatus*, cùm stabilis sit, ac fixus, ideo pendet à causis fixis, & stabilibus: *Inordinatus* autem à contrarijs causis; contrariorum enim pulsuum, contrariæ sunt causæ. *Causæ pulsus ordinati. Inordinati.*

Pulsus *æqualis* causæ sunt, fortitudo virtutis, obediẽtia instrumẽti, & vsus calorem naturalem euẽtandi moderatus; vbi enim hæ tres primariæ causæ inuicem concurrunt, de necessitate semper concurrunt pulsus æquales; Quòd si tales causæ sint præter naturam constitutæ, vel coniunctim, vel diuisim, redditur *inæqualis*. *Causæ pulsus æqualis. Inæqualis.*

De causis inæqualitatis simplicis secundum vnam partem arteriæ.

IN initio constitutum fuit, inæqualitatem duplicem esse, singularem, & collectiuam. Dicamus primò de singulari, id est simplici, quæ duplex est; Altera fit in vna parte arteriæ, sub vno digito: Altera verò in pluribus partibus arteriæ, & sub pluribus digitis.

Causæ igitur horum pulsuum fiunt, & sunt facultas vitalis, vel vitiata, vel aggrauata, vel resoluta, vel distracta; Est & instrumentũ ineptum ad motum, vel quia est plenum, vel obstructum, vel compressum. Verum quia differentię inęqualitatis singularis sub vno digito erant tres, Intermittens, imparcitatus; & dicrotus; propterea causa pulsus *intermittentis* est facultas debilis, quæ mouens arteriam, fatigatur, cùm sit debilis, ideoque per tempus quiescit, &

de-

denuo tentat mouere, & sic pulsus fit inæqualis intermittens, quæ intermittentia etiam potest pendere ab instrumento non rectè dispo. sito, vel pleno, vel compresso, vel obstructo. Si enim sit plenum, facultas expellit, quod nocuum est, quare in illa expulsione, longa immoratur quiete, & denuò insurgit, & sic pulsus inæqualis intermittēs, ratione instrumenti pleni.

Causa imparcitati. Causa pulsus *imparcitati* est facultas aggrauata, quæ tentans ex pellere, quod nocuum est, in principio efficit pulsum celerem, in fine tamen fessa, & laxa, parit pulsum tardum, non tamen quiescit, vt in intermittente; quoniam in intermittente facultas debilis est, per resolutionem, & ideò in motu quiescit, sed in imparcitato facultas est debilis per aggrauationē, & ideo in fine motus laxatur quidem, sed non deficit; Et quoniam facultas est aggrauata, aggrauabitur à materia, instrumentum, vel obstruente, vel replente, vel comprimente.

Imbecillitas per aggrauationē, & per resolutionē quomodo cognoscatur.

Causa dicroti. Causa pulsus *dicroti*, id est bis pulsantis, est facultas viciata, & inæqualis reddita. Facultas.n. viciata, postquam motum incepit, à cōtraria causa intercipitur, in medio motus, ita vt cogatur contrarium motum efficere. Vt autem hoc intelligatis, sciendum est, cor habere partes dextras, & sinistras: Partes dextrę sunt calidiores, frigidiores autem sinistræ. Dum igitur cor, vt refrigeretur, dilatatur, in medio motu dilatationis, propter necessitatē expellendi fuligines, constringitur, & in media constrictione iterum dilatatur, ita vt fiat pugna quædam inter dilatationem, & constrictionem, vt vterque motus in medio intercipiatur: Et sic pulsus duplici dilatatione, & duplici constrictione, in vnica dilatatione, & constrictione, mouetur.

De causis inæqualitatis singularis secundum omnes digitos.

SEcunda species inæqualitatis singularis erat inæqualitas secundum diuersas partes arteriæ, qui pulsus *myuri* appellabantur, qui duplices erāt; Inæquales æqualiter, & inæquales inæqualiter.

Causa igitur myurorum æqualiter inæqualium est facultas vitalis debilis per essentiam, id est, per resolutionem; Cùm languida enim sit, propè cor satis fortiter mouet, recedens autem à corde, debilitatur, & sic pulsus redditur myurus, qui duplex est: Deficiens, & reciprocus. *Causa myuri æqualiter inæqualis.*

Deficiens est, qui ad immobilitatem peruenit.

Reciprocus est quando facultas est potius aggrauata, quàm resoluta; impedita enim iterum insurgit ad eleuandum pulsum.

Causa huius pulsus solet esse aliquando constitutio arteriæ, quæ cùm habeat aliquas partes molles, & aliquas asperas, propterea inæqualiter mouetur. *Causa pulsus reciproci.*

Myurus *inæqualiter inæqualis* dicitur talis, quoniam habet motum intercisum; Interciditur autē motus, quia in vna parte arteriæ eminet, & in altera deprimitur; Et cau-

causa huius pulsus est facultas imbecilla, quæ æqualiter non potest mouere omnes partes arteriç; potest etiam pendere hic pulsus à situ naturali arteriæ, vt in extremis partibus sit depressa, & in medio eleuata.

Et hæc de pulsuum inæqualitatis singularis causis.

De causis inæqualitatis compositæ.

INæqualitas composita dicitur à Doctoribus systematica, & collectiua. Cuius causæ sunt duç, ineptitudo instrumenti, & debilis facultas.

Instrumentum tripliciter redditur ineptum, vel per *compressionem*, vel per *obstructionem*, vel per *repletionem*.

Compressio arteria. *Comprimitur* arteria, vel ab aliquo tumore præter naturam, vel à plenitudine venarum, arterias cõprimentium: Nam istæ causæ non permittunt dilatationem arteriæ, & cùm dilatatio sit facultatis opus, mouet ad expellendum diuersis motibus.

Obstructio arteria. *Obstruitur* arteria à materia viscida, & crassa, præsertim in ore arteriarum propè cor, ideoq; impeditur transitus spirituum, & actio facultatis; quæ cùm velit vltrò progredi, à causa morbifica obstruente impeditur, & sic fit pugna quædam inter facultatem, & causam morbificam, ex qua pulsus sequitur inæqualis.

Repletio arteria. *Repletur arteria*, siue vt melius dicam, ex repletione venarum, comprimuntur arteriæ, & pulsus fit systematicus, & ideo pulsus sic redduntur inæquales ratione instrumenti, & mobilis inepti; Sed præter instrumenti inabilitatem, est causa huius inæqualitatis, etiam ipsa facultas debilis, quæ tripliciter debilitari solet, vel per *aggrauationem*, vel per *distractionem*, vel per *irritationem*.

Aggrauatur facultas à nimio onere, vel plenitudinis, vel cacochymiæ. *Aggrauatio facultatis vnde.*

Distrabitur in medio itineris quando facultas vult satisfacere diuersis necessitatibus, modò dilatando, modò constringendo, eò enim quia facultas distrahitur à diuersis vsibus, propterea pulsus fit inæqualis, vt in dicroto pulsu diximus. *Distractio vnde.*

Debilitatur, & facultas propter irritationem, quando scilicet, ab aliqua causa acri, & mordenti facultas irritatur, vt à vaporibus acribus, & malignis; Tunc enim supra vires suas cogitur, & sic irritata debilitatur, & debilitata inæqualiter operatur. *Irritatio facultatis vnde.*

De causis pulsuum inæqualium complicatorum.

DVodecim sunt pulsus inçquales complicati:

Contortus.
Vndosus.
Vermiculans.
Formicans.
Caprizans.
Serrinus.
Spasmosus.
Vibratus.

Palpitans.
Tremens.
Hecticus.
Strepens.

Causa contorti. Causa pulsus *contorti* est violẽta attractio partium arteriæ, propter aliquem tremorem prȩter naturam, qui extendens tunicas, & cartilagines, per consensum contrahuntur, & contorquenter arteriæ, cùm sint cartilaginosæ.

Vndosi. Pulsus *vndosi* causa est triplex; virtus languida per aggrauationem; humorum plenitudo, & mollities arteriæ, quæ potissimum in mulieribus, & hydropicis obseruatur.

Vermiculãtis. *Vermiculantis* causæ sunt ferè eædem, quæ vndosi; datur enim facilis transitus à vermiculante ad vndosum, & vice versa.

Formicantis. *Formicãtis* causa est virtus debilis propter resolutionem; vnde fit transitus à vermiculante ad formicãtem, vt in febribus malignis.

Caprizantis. *Caprizantis* causa, qui in vna eleuatione bis ferit, causa inquam est facultas in se quidem valida, sed per aggrauationem reddita imbecillis.

Serrini. *Serrini*, qui inæqualis, & durus est, ad similitudinem serræ, causa est facultas valida cum necessitate attrahendi aerem, & expellendi fuligines, & *durities instrumenti*: Facultas enim valida irritata ab vsu aucto, nõ potest æqualiter mouere arteriam, propter illius duritiem; *Durities in arteria vnde.* dura autem fit arteria, quia partes neruosæ inflammatæ contrahuntur, & ad cõtractionem per consensum arteriæ tenduntur, & tensæ indurantur, & hoc potissimum contingit in pleuritide.

Spasmosi pulsus causa est partium neruosarum conuulsio, à quibus per consensum conuelluntur, & contrahuntur arteriæ. *Causa pulsus spasmosi.*

Vibrati pulsus causa est triplex, vsus auctus, durities arteriæ, & robur facultatis, quibus additur eõ causa, videlicet intemperies cordis inæqualis. *Vibrati.*

Palpitantis causa, est cordis, & arteriarum flatulẽta repletio, qui flatus exitum quærentes, efficiunt pulsum palpitantem. *Palpitãtis.*

Trementis pulsus causa est, non ratione arterię, quia tremor ẽ motus neruorum: & ideo si arteria tremit, hoc est ratione neruorum affectorum, vt in febribus malignis, in quibus excitatur tremor à vapore mordaci vellicante neruos. *Trementis.*

Hectici causa est læsio fixa in partibus solidis, vt vlcus in pulmone. *Hectici.*

Strepentis tandem causæ sunt, durities arteriæ, facultas valida, & spatium arteriæ aere plenum, sed reuera hic pulsus, nunquam à me fuit obseruatus. *Strepentis.*

De causis secundarijs.

Causæ secundariæ dicuntur secundariæ, quia non generant pulsum, sed tantum alterant, & sunt in triplici discrimine. Aliæ sunt naturales, aliæ præter naturam, aliæ verò nonnaturales. *Causæ secundariæ naturales.*

Naturales sunt *sexus*, vel ratione fæminæ, vel ratione viri: *Aetas*, vel ratione pueri, senum, vel iuuenum, vel ætatis consistentis; vel ratione temperamenti calidi, frigidi,

di, humidi, vel sicci. Ob has enim causas naturales mutantur pulsus in sexu, ætate, vel temperamento.

Præter naturã. Causæ præter naturã sunt *morbus, causa morbi, & symptoma*, quę quomodo alterent pulsum, in tractatu morborum vniuersalium, & particularium perspicuè videbimus.

Nõ naturales. Causæ non naturales sunt, *anni tempus, regio, aer, cibus, potus*; &c. quarum causarum alterationes, cũ omnibus sint manifestę, non est, quòd vos morer, conteramq; tempus. Et hæc de causis.

DE PROGNOSTICIS PVLSVVM.

PArs prognostica pulsuum, & dignitate, & necessitate excedit duos superiores tractatus, ob quam Medicus ad diuinitatem accedit, ex Galeno de pręs. ex pulsibus passim.

Per pulsum quatuor præcognoscere possumus; primò *causas immediatas* differentiarum, id est, vtilitatem, & damnum, quod singulæ causæ afferre possunt. Secundò possumus præsagire *morbum* aliquem futurum. Tertiò præsentem exactè cognoscere, & locorum affectorum cognitionem, tanquam per demonstrationem habere.

Incipiamus igitur à pulsibus simplicibus, qui erant, magnus, & paruus; rarus, & creber; celer, & tardus, vehemens, &c.

Præsagiũ pulsus magni. Pulsus *magnus* præsagit facultatem robustam, instrumentum molle, & vsum auctum, id est vrgẽtiam attrahendi aerem, & expellẽdi fuligines, quę causæ possunt simul concurrere, & diuisim stare; Nã si pulsus erit magnus simplex, signum est facultatis magnæ; si pulsus erit magnus, cum arteriæ mollitie, præsagium est instrumenti mollis; quòd si neque mollities arteriæ, neque magnitudo facultatis, præsagium est vsus vrgentis cordis refrigerationem.

Præsagiũ pulsus parui. Pulsus *paruus* ex aduerso præsagit cõtrarias causas, facultatem nempe debilem, arteriam duram, & vsum diminutum; Etenim si pulsus sit simpliciter paruus, erit à facultate debili; Si verò paruus, & durus, erit ab instrumento, quod cùm durum sit, à facultate distendi non potest; Si non adsit arteriæ durities, nec imbecillitas facultatis, tũc pulsus erit paruus, propter vsum diminutum, eo quòd nõ adsit necessitas attrahendi aerem, & expellendi fuligines.

Præsagiũ pulsus celeris. Pulsus *celer* triplicem causam præsagit, facultatem validam, instrumentum obediens, & vsum auctum, vel omnia simul, vel seorsim; quare si pulsus sit simpliciter celer, erit præsagium facultatis robustæ; Si verò sit celer, & mollis, præsagium erit instrumenti obedientis, & mollis. Vsus verò auctus per se solum non facit pulsum celerem; requirit enim facultatem robustam, & instrumentum obediens, quod enim natura non potest pulsu magno, vt vsui aucto satisfaciat, efficit pulsus celeritate; & quod non potest per pulsum celerem, efficit crebritate, & pro-

pterea pulsus celer semper est magnus, & nunquam paruus.

Præsagium tardi. Pulsus *tardus* dat præsagium totum cōtrarium prognostico celeris; præsagit enim facultatem diminutam, & instrumentum languidum, & vsum diminutum.

Crebri. Pulsus *creber* facultatem lāguidam, instrumētum durum, & vsum auctum pronunciat: Quòd si fit solùm auctus vsus refrigerandi cor, cognoscetis ex eo, quòd facultas non est languida, neq; arteria dura est, & tamē pulsus creber; Quòd si sit durus, & creber, præsagium erit arteriæ duræ; & si sit debilis, & creber, præsagium erit facultatis debilis, quòd non possit dilatare arteriam vnico motu, & sæpius regrediatur, & pulsus fiat creber.

Rari. Pulsus *rarus* contrarias causas pronuntiat, & prognosticat.

Vehementis. Pulsus *vehemens* semper arguit robur facultatis, dummodo nō excedat latitudinem sanitatis, quia tunc signum est facultatis irritatæ à materia morbifica.

Præsagium languidi pulsus. *Languidus* pulsus facultatem semper imbecillem attestatur.

Mollis. Pulsus *mollis* humiditatem arteriæ arguit in statu naturali, quādo potu immodico, vel cibis humidis, vel balneo, vel otio vtimur: In statu autem præter naturam indicat humidum corporis habitum, vt in hydrope, somnum profundum, & omninò omnes morbos frigidos, & humidos, qui arteriam possunt humectare.

Duri. Pulsus *durus* præsagit siccitatem corporis, & arteriarum, vt in febribus hecticis, vel congelationem, vel tēsionem partium neruosarum, vt in spasmo per inanitionem facto, & in affectibus inflammatorijs.

De prognosticis pulsuum cum ordine, & sine ordine.

Præsagiū ordinati. PVlsus *ordinatus* in statu naturali semper bonum arguit: Si consideretur in morbis, ex Galeno 2. de causis pulſ. cap. 24 pulsus ordinatus non est simpliciter malus, quia naturæ prædominiū testatur.

Inordinati. Pulsus verò *inordinatus* semper arguit morbum, vel causam aliquam non naturalem: & obseruate, quòd pulsus inordinatus, quatenus inordinatus, ex se non indicat salutem, neque mortem; Ex eo quidem sumitur indicium longitudinis, & breuitatis, non autem salutis, aut mortis.

De prognosticis pulsuum inæqualitatis singularis.

PVlsus *æqualis* in statu naturali semper indicat bonum, inæqualis verò malum: Et quoniam inæqualis est duplex; Singularis, & Collectiuus, sciendum est, quòd *singularis inæqualitas*, siue in vna parte arteriæ, siue in pluribus, est deterior inæqualitate collectiua, quoniam grauior est causa, quę vnicam pulsationem vitiat, quàm quæ aliquas, & non omnes, vnde Gal. 2. de præſ. ex pul. cap. 4. vult *intermittentem in vno pulsu* esse deteriorem intermittente in pluribus, dummodo pendeant ambo à facultate languida.

Pulsus ergo intermittēs imparcitatus,

Præsagiũ pulsuũ inæqualiũ singularium. citatus, dicrotus, & myuri, quæ sunt differentiæ inæqualitatis singularis, omnes malę, & perniciosę sunt, quia denotant, vel facultatem extremè debilem, vel instrumentum valde obsessum.

De prognosticis inæqualitatis systematicæ.

Præsagiũ pulsuũ inæqualium. PVlsus inæqualiter inæquales, & æqualiter inæquales omnes sunt pessimi, & præsagiunt, vel vitium instrumẽti, vel facultatis, vel vtriusque, tamen deterior est inæqualitas æqualiter facta, quàm inæqualitas inæqualiter; & ratio est, quia inæqualiter inæqualis pulsus ostendit arterię ineptitudinẽ, & impedimentum: At inęqualis ęqualiter ostendit simpliciter defectum in facultate, & propterea est debilior.

De præsagijs pulsuũ compositorũ.

Præsagiũ vndosi. PVlsus vndosus quandoq; est bonus, quandoq́ malus; Bonus vt in febribus, apparẽtibus signis coctionis, quia solet pronuntiare futurum sudorem. Malus autem, vt in hydrope, & in inflammatorijs affectibus, vbi facultas onere oppressa succumbit; Et quia vndosus terminatur in vermiculãtem, propterea vermiculans est peior vndoso, quia non solũ concurrit mollities instrumenti, vt in vndoso, sed etiam imbecillitas virtutis, quę in vndoso robusta est; & hic pulsus solet obseruari in immodicis inedijs & euacuationibus, in quibus deficere solent partes solidę: Et quandoque ex vermiculante fit formicans, ideo formicans est pessimus, & significat mortem. *Vermiculãtis.* *Formicantis.*

Caprizans est bonus pulsus; indicat enim facultatẽ validam morbo prædominantem, cui si vrina coniungatùr cum bonis signis coctionis, futuram crisin prędnunciat. *Caprizantis.*

Serrinus pulsus arguit semper malum, quia denotat internam inflammationem, & nisi facultas sit robusta, mortem portendit. *Serrini.*

Pulsus *conuulsiuus* est bonus, & malus; Bonus à morbi principio, & denotat repletionem humorum arterias distendentem: Malus autẽ est post ipsum morbum, quia denotat calorem, & à calore siccitatem. *Conuulsiui.*

Tremulus pulsus semper est prauus, mortéq; semper prędicit; Cũ .n. fiat tremor à corde, ita vt per consensum contrement arterię, est certum mortis prçludium, soletq́; pulsus denotare pręsertim inflammationes cerebri; Et hoc dicitur ad differentiã illius pulsus tremuli, qui obseruatur in tremore ex musculorũ motione, qui solet potius ostendere longitudinẽ morbi. *Præsagiũ tremuli.*

Palpitans non est omnino periculosus, nec omninò periculo vacat, quia ostendit causam non admodũ persistentẽ, quia sunt flatus, qui citò fiunt, citoq; dissipantur: Quòd si pulsus palpitet, palpitãte corde, & arterijs, tunc significat multam aquam inexistere capsulę cordis; Si verò palpitet, palpitante solo corde, denotat potius euaporationes, ab aliqua partẽ determinata ad ipsum cor. *Palpitãtis.*

Pulsus *strepens* arguit arteriam spiritibus vacuam, & aere plenam, qui pulsus obseruatur prçser- *Strepentis.*

tim

tim in febribus fenum, & qui forti conuulfione corripiuntur.

Hecticus tandem prædicit affe. ctum diuturnum in aliquo vifcere principali, vt corde, cerebro, pulmonibus, & iecore.

Et hæc de pulfibus dicta fufficiant.

His non adiungo tractatum de pulfibus fecundum Hermeticos, quia tam futilia proponuntur, vt nil ferè vtilis colligi poffit; ficut eft videre in tomo quinto Principis Hermeticorum.

DE SYSTOLE, ET DYASTOLE Auricularum cordis.

ARterias ad cordis cõtractionem, & dilatationem confecutiuè moueri, fenfu, & ratione ita confirmatum eft, vt nullum extet, ac relinquatur dubium; verum, an cordis auriculæ, eodem cordis, & arteriarum motu moueantur, videtur ab aliquibus in dubium re uocari; quæ controuerfia, cum à nullò formaliter proponatur, iccirco, poft pulfuum theoriam, vt aliquibus amicis belgicis fatisfaciam, digreffionis ratione, cogitaui, controuerfiam hanc breuibus enodare, an fcilicet fyftole, & dyaftole auricularum cordis fit eiufdem naturæ cum fyftole, & dyaftole cordis, & arteriarum: in cuius enodatione breuiter aliorum opi niones proponam, poftmodũ quid pro virili fentio, fubiungam.

Opinio Varolij. Varolius lib. fecundo, cap. 1. de refolutione corporis humani exiftimauit, vfum principalem auricularum effe, vt eo tempore, quo vẽtriculi cordis attrahunt fanguinẽ, cum eodem tempore, eodemque motu nõ poffint attrahere aerem, auriculæ proprio motu ipfum aerem attrahant, ad fpirituum reftaurationem, & caloris euentationem; hinc propterea fequi, ventriculorum cordis, & arteriarum motum, ab auricularum motu effe diuerfum, quia cor, dum dilatatur, repletur; aures vero, quia implentur, dilatantur: ficut dixit Hipp. in libello de corde, afferens *cor tota fua natura agitari, aures vero pri uatim, tum intumefcere, tum concidere:* quod experientia confirmatur, fi enim in viua canis fectione, cordis motum ftudiosè explorabis, clarè quatuor motus loco, & tempore diftinctos obferuabis, duos auricularũ proprios, & duos ventriculorum, & arteriarum cordis.

Opinio Laurentij. Laurentius de corde, non equidem folitarios auricularum motus negat; fed negat, aerem, & fanguinem in auriculis cordis pro fpirituum vitalium difpofita materia præparari; eofque tantum vult effe earum vfus, vt fint tamquam cordis promptuaria, ne fubita cõtractione cor fuffocetur, fintque ad venæ cauæ, & arteriæ venofæ robur, & vt follium inftar, cor refrigerent.

Verum recipientes tales vfus, nobis tantum in præfentia impendet penfum declarare, an re vera cordis auriculæ proprijs motib. moueantur à corde, & arterijs diuerfis:

uersis: & si sint proprij motus, qua ratione fieri contingant. Quo ad primum, prima facie non videntur cordis aures diuerso posse moueri motu; cum, sicut arteriæ, sint quædam cordis partes, & appendices, quæ idcirco, sequellæ ratione, eodem debeant moueri motu: tamen Hipp. dictum instat, & experiētia, diuerso scilicet tempore, & motu moueri, quia cor, quatenus distenditur, eatenus repletur, auriculæ autem, eatenus distendantur, quatenus replentur; vnde pro secundo quærenda est ratio: Laurentij responsio non videtur sufficiens, dicens, diuerso moueri motu, quia cor, vt distenditur, repletur, & auriculæ, vt replentur, distenduntur; hæc enim ratio, ostendit quidem, cor moueri, & distendi per se, cum propria vi contractionis motiua repleatur, aures verò per accidēs moueri, quia nulla vi propria motiua, eatenus distenduntur, quatenus replentur; sed hæc ratio quæsitui non respondet, cur scilicet diuerso tempore aures moueantur, quam cor, & arteriæ, itaut sit tempore prius inspicere aures attolli, & deprimi, quam cor, & arterias; satisfacit enim illi parti, qua dicitur, aures diuerso motu à corde, & arterijs moueri, quia cor distenditur per se, & auriculæ per accidēs, sed non illi satisfacit parti, cur sub diuerso tempore; nam & in ratione diuersi motus per se, & per accidens, dicemus etiā, arterias moueri per accidens ad motum cordis per se: oportet igitur assignare rationem prioritatis, & posterioritatis temporis, quo secundum prius, & posterius mensuratur cor dis, & auricularum motus. Ratio Varolij, nec videtur in proposito, cum duo supponat falsa: primum eodem tempore nō posse ferri aeream, & sanguineam substantiam per idem vas, arteriam scilicet venosam, in cor, quod non implicat, cum potius sanguini commixtus aer, eum facilius in sinistrum cordis ventriculum adferat, vt abbundè in cordis tractatu cum Arantio probabimus: secundum falsum suppositum à Variolio est, auriculas per se attrahere aerem, dum per vasa diuersa sanguis attrahitur, cum constet, per se cordis auriculas, nullam, nec aeris, nec sanguinis, vim attractiuam habere: præterea, nulla ratione aerem ad aurem sinixtram peruenire posse, nisi per arteriam venosam; & hæc opinio eo magis redditur falsa, cū supponat, dexteram auriculam attrahere aerem, cum cōstet, aerem solum sinixtrum attingere ventriculum. Dicendum igitur est, mea sanè sententia, auriculas citius, quam cor distēdi, & deprimi, quia citius etiam replentur, & euacuātur, quam cor; citius autem repleri, & euacuari, quia sanguis, & aer, citius ad eas, quam ad cordis ventriculos perueniunt: nam cum auricula dextera exortui venæ cauæ, secundum eius longitudinem, obducatur, vt dicit Vesalius, lib. 6. cap. 14. & consequenter orificio venæ cauę prçexistat, vt subiungit Laurentius; pariter, & sinixtra orificio arterię venosę, propterea hinc fit, quòd vtraque substantia, sāguis scilicet, & aer, ad vtriusque

Sententia propria.

Laurētij responsio refutatur.

Varolij refutatur.

que vasis orificia delatus, prius aures attingẽs, quam valuulas, prius tempore aures repleat, quam ipsos cordis ventriculos, vt ideirco prius tempore aures turgidę appareant, & distentæ, quam ventriculi cordis; postquam auricularũ distensionem, sanguine, & aere ad valuulas perueniente, cor distenditur, vt eo repleatur, & hæc est ratio, cur dyastole auricularum per accidens, tempore, quamquam exiguo, vẽtriculorum cordis dyastolem essentialẽ pręcellat; & quia contrariorum motuum contrarię sunt rationes, ideo sicut auricularum distẽtio, cordis distentionem pręcedit, quia citius aere, & sanguine replentur, ita earundem depressio, & systole, cordis systolẽ anteit, quia citius euacuantur, citius enim sanguis ex dextera auricula, in cauam effunditur, aut in dexterum cordis ventriculum, quam sanguis, ex eodem ventriculo dextero, vel in cauam, vel in venam arterialem, tum ratione minoris spatij, quod est ab auricula dextera ad venam cauam, quam ab eodem ad eandem cauam, vel venam arterialem, tum ratione perfectionis, quam sanguis debet in eodem ventriculo adipisci, antequam foris emittatur: pariter citius aer ex sinixtra auricula in arteriam venalem, vel cordis sinixtrum vẽtriculum emittitur, quam ab eodem ventriculo, vel in arteriam venosam, vel in aortam sanguis arteriosus eijciatur, tum ratione minoris spatij, quod est ab auricula sinixtra ad arteriam venosam, quam ab eodem ventriculo ad aortam; tum ratione confecti spiritus, elaboratiq; sanguinis, qui prius confici debet, antequam in vtrumq; dimittatur vas; pro vt ergo citius replentur, & euacuantur, citius etiam propria systole, & dyastole accidentali auriculę mouentur, quam cor ipsum.

Hęc igitur sunt, quę circa systolem, & dyastolem auricularum cordis breuiter dixisse potui.

DE VRINIS
Secundum Dogmaticos.

Definitio vrinæ quidditatiua.

VRina est *excrementum serosum iecoris ex aquro aliquid bilis adepto, & alimento cõcoctionem renuente, pro sanguinis rectificatione, & distributione*. Dicitur *iecoris*, ex Galeno, 9 de facult. natural. Nam sicut stercus hominum est gratum canibus, ita excremẽtum iecoris, id est, *serosum*, est gratum renibus; Ex quo apparet, vrinam esse excrementum iecoris: per iecur autem per se primò intelligitur *caro*; Secundò autem intelligũtur venæ intra iecur, ex Gal. 3. de simpl. medica. facult. cap. 2. dicente, triplex esse venarũ excrementum, *biliosum melancholicum*, & *serosum*, vnde per venas intelligit venas intra iecur.

Dubitatio I.

VIdetur vrina esse excrementum vesicæ, ex Gal. 2. de vsu part.

part. affirmante, vrinam esse excrementum vesicæ proprium.

Respondetur, vrinam esse proprium excrementum vesicæ, ratione familiaritatis, ratione cuius vrinam sibi cognatam attrahit, nō est autem excremētum proprium ratione generationis.

Dubitatio II.

SIngulæ coctionis duo sunt excrementa, tenue, id est, ichor; crassum, id est, sordes, ex Galeno, 3. meth. cap. 3. Sed si vrina esset excrementum iecoris, iam vnius coctionis, quatuor essent excrementa, melancholicum, biliosum, serósum, & cōtentum, quod est impossibile. Respondetur, quòd per *tenue, & crassum*, genus excremen- intelligit, sub quo tamen possunt militare plures species; possunt enim esse vnius, & eiusdem coctionis plura excrementa tenuia, & plura crassa, quæ tamen genericè reducūtur ad crassum, & tenue.

Dicitur vrina excrementum ex *aqueo genitum*, id est, ex materia aquosa potus, & cibi, qui in serum mutari potest, & *liquor vrinæ* dicitur, vnde existit sententia Gal. Eadem, est materia sudoris, & vrinæ.

Liquor vrinæ.

Dicitur ex *aqueo bili admixto*; nam bilis excremētitia tenuior ex Gal. 5. de vsu part. 5. necessariò liquori vrinæ permiscetur, vt tale excrementum partibus attrahentibus familiarius fiat, & vt vrina coloretur; Nisi enim bilis ei permisceretur, nullum referret colorem.

Color vrinæ est à bile.

Dicitur fieri *ex alimento coctionem renuente*, vt contentum vrinæ specificetur, quod stat loco excrementi crassi, & nihil est aliud, quàm portio chyli crudi, quæ nec in sanguinem, nec in serum vertitur, ex Gal. 1. de cris. cap. 12.

Contentū vrinæ q

Dicitur pro *sanguinis depuratione* per se primò, quæ *depuratio* tum in gibba iecoris, tum in renibus celebratur; Secundariò autem pro *distributione* sanguinis per venas, ex Gal. 4. de vsu part. cap. 6. Et hic notandum quòd ichores non sunt vehiculum sanguinis, quia sunt præternaturales, ex Galeno, 2. Epid. 2. & 3. vocante sanguinem ichorosum, malum; sunt autē præter naturam, quia indicant calorē, & disponunt humores ad putredinem. Et hæc de definitione vrinæ.

Sanguinis depuratio.

Distributio.

Ichores sunt præter naturam

De colore.

CVm tres sint partes vrinę, *substantia, contentum,* & *color*; de colore prius agendum, & primò quidem in genere.

Color definitur ab Arist. lib. de sensu, & sensili, cap. 3. quòd sit *superficies diaphani terminati ab opaco.* Diaphaneitas consistit in raritate, & puritate: opacitas in densitate, & impuritate: Diaphana sunt aer, & aqua; terra autem est opaca; sed præter diaphaneitatē, & opacitatem, requiritur *lumen* ex igne interno, quod, vt agens luminosum, efficit colorem in perspicuo terminato in superficie corporis: ad colorem igitur requiruntur tria, lumen, diaphaneitas, & opacitas.

De differentijs colorum in genere.

Colorũ species ex lumine.

DIfferentię colorum desumuntur ex lumine, diaphaneitate, & opacitate.

Ignis luminosus est triplex, clarus, tenebricosus, & medius; Ex lumine clariori albus color fit; ex tenebricoso niger; ex medio autem rubeus.

Ex diaphano aere præualente fit magis albus color, quàm ex aqueo: Ex opaco autem fit niger, & ex his medijs per participationem extremorum, fiunt medij colores.

Temperatura colorum.

COlores dupliciter possunt cōsiderari, aut ratione luminis, & sic alba sunt minus calida nigris & rubeis; aut ratione diaphani, & sic alba aerea sunt aqueis calidiora; Alba in eodem genere frigidi sunt rubeis frigidiora, quia minus de igne participant: Alba verò calida in eodem genere sunt rubeis minus calida, quia minus de igne participant; vnde album simpliciter non est dicendum frigidum, quia Arsenicus est albus, & tamen est calidus; nec rubeum simpliciter est calidum, quia santali sunt rubei, & tamen sunt frigidi, ex Gal. 2. de simp. med. facult. cap. 3. Et hæc de coloribus in genere.

Temperie, albi & rubei.

De coloribus vrinarum sanarum.

Color vrinæ à bile.

COlor in vrinis fit per admixtionem bilis excrementitiæ, tenuioris, tanquam ab igne; Bilis autem naturalis est triplex; pallida, ruffa, & flaua. Pallida si misceatur vrinæ in copia, fit vrina *subrubra*; In minori autem *spicea*, & *subspicea*. Ruffa bilis intensè facit *ruffam*; remissè verò *subruffam* nonnaturalem.

Vrina subrubra. Subspicea, &c.

Subruffa indicat deficientem calorem, ruffa temperatum; Subflaua, aliquantulum excedentem; flaua est nonnaturalis, vnde ruffus color est præcisè naturalis.

Color vrinæ naturalis.

De contentis vrinarum sanarum.

Contentũ vrinæ cur album.

COntentum est portio chyli incocta, & est album, primò ratione partis solidæ, ventriculi scilicet, 1. de crisib. 12. & est album secundò, ratione chyli albicantis.

Contentum est triplex, ex Galeno, de tuend. san. cap. 4. scilicet,

- Hypostasis, quæ subsidet.
- Suspensum, quod in medio libratur.
- Nubecula, quæ in superficie vrinæ, ad modum pinguedinis in iusculo refrigerato, supernatat.

Requisita contentorum sunt, vt

- Læuia.
- Alba, &
- Aequalia sint.

Nec simul sit hypostasis, & suspensum, quia calor naturaliter agit in partes contenti æqualiter.

De substantia naturali Vrinæ.

SVbstantia vrinarum fit à facultate iecoris mediante proprietate cordis, & temperatura iecoris:

Substantia vrinæ naturalis. ris: Substantia naturalis est media inter tenuem, & crassam; Tenuis autem est cruda; crassa verò dicitur subiugalis: Itaque summa vrinarum sanarum est, vt locium sit in substantia mediocre, in colore à subruffo ad subflauum, in contentis, album, læue, & æquale.

De vrina ægrotantium simili.

VRina nonnaturalis similis est naturali potissimum in cõtentis. Contentum lotij non sani est materiæ morbificæ, non autem aliměti, 1. de crisibus cap. 12. docet enim Galenus, in febribus pituitosis, ex repletione, contentũ esse copiosum; In biliosis autem paucũ: Et ex Hipp. 1. Epid. 2. multi reuertebantur ad sanitatem, quia cum lotio multum contentum excernebant.

Comparantur contēta materię morbificæ, & alimētaris in ęgro tenuiter viuēte. Contentum verò materię morbificæ, ægri tenuiter viuentis, est sedimentum.

Contentũ verò alimentare ęgri tenuiter viuentis est suspensum, quorum contentorum si digestio fiat eodem tempore, suspensum alimentaris materiæ vincitur ab alimento materiæ morbificæ: Si verò diuerso tempore procedat coctio, in principio morbi digestio materiæ alimentaris præcedit, vnde cõtentum est suspensum; in alijs verò temporibus sedimentum materiæ morbificæ.

Verùm si materia alimentalis sit cruda, morbifica autem sit cocta, materia alimentaris non erit suspensum, sed sediměntum, & morbifica non erit sedimentum, sed suspensum: Cognoscitur autem quia si cõtentum materiæ morbificæ sit suspensum, id non erit album, sed coloratum, vt puta biliosum, & si fuerit pituitosum, & consequenter album, tunc non erit læue, & ęquale, cum suspendatur à flatibus, ex Galeno, 1. de cris. 12. & 1. Epid. sect. 3. comm. 33. qui ait, suspensum pituitosum fieri propter flatus. *Contentum materiæ morbificæ, vt contra distinguatur à contento materiæ alimentaris.*

Enim verò, si contentum materiæ alimentalis sit ægroti largè viuentis, illud erit sedimentum, & contentum morbificũ erit suspensum: quorum digestio si fiat tempore diuerso, in principio morbi erit sedimentum alimentale bonum; In alijs autem temporibus erit suspensum morbificum coloratum, vel flatulentum: Si verò in eodem tempore contentorum cõcoctio celebretur, dum miscentur, sedimentum alimentale trahit ad se suspensum materiæ morbificæ, hocque sedimentum, suspenso admixtum, cognoscitur, quia nec album, nec læue, nec æquale, sed est adulteratum, in qua digestione materiæ morbificæ suspensum coloratum, vel flatulentum, superius eleuatur, quod est optimum signũ concoctionis: Et hæc de contentis vrinæ sanorum similibus.

De vrina ægrotorum dissimili.

VRina ægrorum est dissimilis in substantia, colore, & contẽtis; dicemus primò de substãtia.

Vrina igitur in substantia, vel est tenuis, vel crassa: Vrina *tenuis* est cruda, & fit, vel ex intemperie, vel obstructiones, Intemperies au- *Vrina tenuis.*

tem, vel est summa, vel remissa; remissa reddit lotium tenuissimum instar aquæ, 1. de crisib. c. 12. summa caliditas potest vrinam attenuare propter colliquationem, & tenuem incrassare propter assationem.

Ex obstructione. Obstructio facit vrinam tenuē, eo quia permeant partes tenues, & remanent crassæ, quare vrina tenuis, vel obstructionem, vel intemperiem indicat.

De vrina crassa.

Incrassatio. Coagulatio. Vrina crassa quotuplex. VRina crassa *incrassatur* ab interno, agente, *coagulatur* autem ab ambiente ex Arist. 1. me theor. cap. 7. Vrina crassa est duplex, *turbulenta*, & non *turbulenta*: Non turbulenta, vel est oleaginosa, vel non: oleaginosa est pinguis, ratione contenti supernatantis, quod nebula dicitur, & hæc fit per colliquationem, 3. Epid. sect. 3.

Oleaginosa n͂ pinguis. Oleaginosa verò nō pinguis fit non per colliquationem, sed per admixtionem pituitæ crudioris: Vrina verò crassa, nec turbulenta, nec oleaginosa, est quadruplex iuxta quatuor humores, quatenus per calorem assantur, & incrassantur, ex Gal. lib. de vrinis.

Vrina turbulenta. Vrina crassa turbulēta est crassa, quia turbulenta. est verò turbulenta; ratione spiritus flatuosi, ex 1. de crisib. c. 12. ad modum enim terræ fermentatæ ab aceto spiritus flatuosus eleuat materias humorales crassas, & hæc vrina subiugalis, seu fermentata dicitur à Galeno, 2. prorhet. comm 4.

Vrina autē turbida, est triplex:

Quę turbida mingitur, & postea clarescit.

Quæ clara mingitur, & postea turbatur.

Quæ semper turbida est, ex 1. de crisib. cap. 12.

Melior est quæ clarescit, peior quę inturbidatur; pessima quę semper est turbida, ex eodem, ibidem.

In principio morbi mingitur clara, & fit turbida, quia non adsunt multi flatus.

In progressu morbi mingitur turbida, & clarescit, quia adsunt plures flatus.

Vrina tandem semper turbata fit propter copiam flatuum substātiæ vrinæ magis permixtorum; & hæ sunt vrinæ turbidæ ab agente interno.

Vrina verò ex ambiente fit turbida propter priuationem caloris, qui non potest heterogenea segregare, & homogenea congregare. *Coagulatio vrinæ vnde.*

De Vrina ægrorum dissimili in colore.

VRina coloratur, aut in corpore, aut extra corpus; In corpore à bile; extra corpus à potu, ex Hipp & Gal. 6. Epid. sect. 3. comm. 15. Vrina autem recedit à colore sano dupliciter, per defectum, & per excessum. Color deficiens est albus, & spiceus, & intensè, & remissè.

Vrina alba est duplex, tenuis, & crassa; tenuis, quando bilis non miscetur serositati, aut quia non generatur, propter calorem imbecillem, & hæc indicat cruditatem, & lon-

longitudinem morbi, ex Hipp. & Gal. 1. Epid. sect. 3. comm. 21. Aut quia bilis genita non tingit, quia lotium non detinetur, sicut patet in sanis bibacibus; aut quia bilis aliò transfertur, vt in dysenteria, quia bilis vergit ad intestina, ex 1. Epid. sect. 2. comm. 21. ita etiam in delirantibus lotium fit album ex couersione bilis ad caput, ex Hipp. 4. aphor. 72. Et hæc est vrina alba tenuis.

Vrina alba crassa datur, ex Gal. 1. prorhet. 10. dicente, vrinas crassas subiugales esse pessimas, nisi sint albæ; Est autem hæc vrina alba crassa, propter pituitam crassam, ex Gal. 4. apho. qui dicit abscessus articulorum solui, si vrina mingatur alba crassa; & hæc vrina indicat longitudinem morbi.

Pituita admodum compacta facit vrinam albam *crystallinā*; minus compacta albam *niueam*; & adhuc minus compacta albam *lacteam*.

Vrina autem subalba, 1. de cris. cap. 12. fit ex commixtione modicæ bilis; & est duplex: Tenuis per solam admixtionem bilis, & crassior propter bilem, & pituitā; hinc *subalba niuea*, *subcrystallina*, & *sublactea*. & hæc de vrina alba.

Vrina *spicea, et subspicea* ex maiori fit quantitate bilis, quàm alba, & subalba; ex minori autem quàm ruffa, & subruffa: Et hæc vrina spicea, si fiat ex bile flaua, *splendens* est; Si verò ex pallida & ruffa, nequaquam splendescit. Et hæ sunt vrinæ recedentes à sano colore per defectum.

De Vrina excedente in colore.

VRinæ excedentes in colore sunt,

Flaua.
Rubra.
Viridis.
Liuida.
Et Nigra.

Flaua fit per admixtionem flauæ bilis, ruffæ, & vitellinæ, 1. de cris. cap. 12. Ruffa bilis copiosa facit vrinam flauam, crassam sine splendore. Flaua bilis in minori copia reddit vrinam flauam minus crassam, & cum splendore.

Bilis vitellina in minori copia facit vrinam flauam sine splendore. & harum vrinarum melior est, quæ fit à ruffa; peior si à flaua; pessima si à vitellina.

Vrina *rubra* vergit magis ad nigrum, quàm ad album, fitque, vel per admixtionem sanguinis flauescentis, vel per admixtionem bilis flauæ rubescentis, per vlteriorem assationem, 1. de *crisib* c. 12. Si fiat per admixtionem sanguinis, est magis rubea, & opaca, sed magis splendida.

Vrina autem rubea à sanguine est duplex, *Cruenta* ex bona sanguinis substantia venas egressa, vt in calculo renum contingit, 2. prorhetic. 31. Alia est vrina *cruenta* per admixtionem sanguinis putrefacti pendentis à toto corporis habitu, iuxta Gal. 1. Epid. 2. 42. Datur enim vrina rubea per admixtionem sanguinis serosi, crudi ex calore imbecilli. Gal. 3. Epid. 1. comm. 1. Et hæc vrina indicat lōgitudinem morbi, sed sanitatem

tandem, ex Hippoc. 2. prognost. 22. datur vrina rubra vitiosa, ex Galen. 1. prognost. 2. comm. 21. fitque ex assatione, & vergit magis ad atrum, & est lethalis.

De vrina viridi.

Viridis color sumitur pro pauido, & pro viridi porraceo 6. Epid. 2. 16. Hic autem accipitur pro viridi porraceo, qui vergit ad atrum: est principium nigræ, & finis rubræ, 1. de cris. 12. Vrina viridis si fit principium nigræ fit à calore exurente 1. prognost. 7. sin verò principium fit liuidæ, fit à frigore, & si hæc vrina viridis immediatè fiat nigra, calorem exurentem attestatur; Si verò transeat per liuidam, fit à frigore, id est, à calore debili, vtraque tamen vrina pessima est, & dignoscuntur ex signis caloris, & frigoris. *Vrina viridis vnde.*

De Vrina liuida.

Vrina liuida plumbea proxima nigræ sine splendore fit à frigore, id est, ex defectu caloris ingeniti 1. de cris. 12. & pessima est. *Liuida.*

De Vrina nigra.

Vrina nigra fit per admixtionem sanguinis, bilis, melancholiæ, & atræ bilis. Sanguis vrinã tingens est sanguis impurus melãcholicus, ex Gal. 3. epid. comm. 82. dicente, mulierem superstitem extitisse, quia sanguis menstruus retentus, per vrinam excernebatur, & Auicenna dicit, mulierem vtero gerentem vrinam mingere veluti vinum corruptum, retentis menstruis. *Vrina nigra cũ sanguine impuro.*

Bilis nigra tingens est assata, & exusta, & consequenter æruginosa, 1. Epid. 2. comm. 72. & hanc vrinã vocat Hipp. tenuem, id est, minus crassam, quàm quæ à melancholia. *Nigra ex bile æruginosa.*

Melancholia facit vrinam nigram, ichor scilicet, melancholiæ, vt patet in historia Erophôtis lienosi 1. prorhet. 4. Et hęc non fit per caloris exustionem, nec per extinctionem, neq; praua est, vt in quartana, & in melancholia. *Nigra ex ichore melancholiæ.*

Vrina nigra ex atra bile, fit aut propter sanguinem crassiorem putrefactum, aut propter bilem assatam, estq; vrina praua ex immodico calore, & si vrina fœtida sit, signum est caloris assantis, non fœtida autem, caloris imbecillis, & vtraq; vrina est lethalis. *Nigra ex atra bile.*

De Vrina ægrotorum dissimili in contentis.

Colores contenti praui, sunt quatuor:

Albus.
Citrinus.
Rubeus.
Et Niger.

Contentum album est duplex, magis album naturali, & minus album.

Minus album ex Hipp. 4. aphor. 69. est, quando in principio morbi mingitur vrina crassa, & tandẽ fit sedimentum, quod non ratione coctionis fit, sed ratione grauedinis materiæ; Id enim quod coctione fit, primum est sedimentum, po- *Contentum minus album.*

ftea aſcendit, tandem coctum deſcendit.

Contentū magis album. Contentum magis album naturali, fit ratione pituitæ flatib. mixtæ ſubſidentis, ex Hipp. 2. progn. 27. & quamquam ſit flatuoſum, non eſt tamē ſuſpenſum, quia grauedo materiæ ſuperat leuitatem ipſorum flatuum.

De contento citrino.

Citrinū. Contentum citrinum eſt duplex: Ruffum, & ſubruffum, & indicat calorem intenſum.

De contento rubro.

Rubrū. Contentum rubrum fit ex ſanguine, & ex illius ſeroſitate. ex Hippoc. 2 prognoſt. 21. quòd ſi fiat ex ſanguine cocto aſſato, prauum eſt; Si verò ex ſanguine cocto tantummodò, eſt bonum, ex Galeno, 1. aphor. 71. dicente, quòd ſi contentum in quarto die ſubrubrum appareat, in ſeptima ſigna ſalutis apparent: Et Hipp. 1. Epid. 3. habet, contentum rubrum in octauo die, eſſe ſalubre, & vrinam cum contento rubro indicare ſecuritatem morbi, ſed longitudinem, 2. prognoſt 26.

De contento nigro.

Nigricans. Contētum nigricans fit ex melancholia, quod apparet in fine quartanæ, & delirij melancholici, ex Auicenna, & Aetio, verùm ſi fiat ex atra bile prauum eſt, & lethale.

Obſeruandum quòd in contentis præter naturam melius eſt, ſi prius fiat nubecula, deinde ſuſpenſum, tādem hypoſtaſis, 1. de criſib. 12. & ratio eſt, quia in principio morbi dum contentum deſcendit, ſignum eſt vehementis caloris; & hæc de contentis prauis. *Ordo cōtentorū præter naturā.*

De contento prauiſſimo.

Contenta prauiſſima ſunt, nigrum, viride, liuidum, ſolidū, 1. de criſib cap 12.

Nigrum fit, vel ob inſignē aduſtionem, vel ob extinctionem calidi innati, & viride eſt minus prauum liuido, & nigro; liuidum autem, eſt minus prauum nigro. *Nigrū. Viride. Liuidū.*

Contenta ſolida ſunt tredecim.

- Spumoſum.
- Pingue.
- Purulentum.
- Orobaceum.
- Farinaceum.
- Squammoſum.
- Furfuraceum.
- Carnoſum.
- Piloſum.
- Arenoſum.
- Calculoſum, &
- Contentum Gonorrheæ.

Spumoſum fit ex materia vaporoſa aerea, mixta materiæ corpulentæ humidæ à calore, ex Galeno 2. progn. 31. Quòd ſi diſſipetur aer vaporoſus, eſt purus; Si verò non diſſipetur, craſſus. *Spumoſum.*

Spumoſa vrina indicat affectum renum à calore proprio, niſi ſit pinguis; Si enim ſit pinguis, indicat affectum calidūm.

Contentum pingue eſt nubecula ſupernatans ad modum pinguedinis,

dinis, & fit ex colliquatione pinguedinis per calorem, aut renum, aut totius, ex Hipp. 2.aphor.34.& ex Gal.3. Epid.3.72. Et cognoscitur, quia si colliquatio fit pinguedinis renum, semper in vrina apparet: Totius verò si fit, non semper apparet: Et obserua hoc contentum nunquam descendere, quia pinguedo est portio aerea.

Purulentum. Contentum *purulentum* fit ratione abscessus, aut vlceris, 2.prog. 2.& 4.aphor.75. Est duplex, proprium, & improprium, ex Gal.3. prorhet.comm.20.

Proprium fit, ratione veri puris vesicæ, renum, & partium supra renes.

Cognitio contenti purulenti. *Improprium* verò, ratione pituitæ crassæ, quæ ex mora quandoq; in vesica putrescit, ac fœtet, cognoscitur autem: Si enim dissoluatur in aqua calida, est purulentum; Si verò non dissoluatur, est contentum improprium.

Orobaceum. Contentum *orobaceum*, est sedimentum carneum, fitq; ex insigni colliquatione, diciturq; vrina *syntectica* à Galeno 7 Epid.3.72.

Si colliquatio fit carnis renum, contentum est sub forma arenularum rubearum, Si lienis, nigricãs; Si hepatis, rubrum, Sub forma sandarachæ rubræ, ideo Galenus vocabat istas vrinas *sandarachas*: Tandem si fit partium aliarum corporis, erit non album, sed pallidum sub colore orobi.

Farinaceum. Contentum *farinaceum* est sedimentum simile farinæ non benè tritæ, fitque ex sanguine exusto, carne, & pinguedine exusta, 1.de crisib.12.& 4.aphor.71. Contentũ hoc ex sanguine est nigricans; ex pinguedine est albicans; ex carne subrubrum, quod nõ ex solidis colliquatis, sicut voluit Aetius fit.

Squammosum. *Squammosum* hoc est simile squammis latioribus furfurum, fitq; ex abrasione solidorum secũdum superficiem per colliquationem, 1. de cris.12. & 7. progn.28. & nedum in venis, sed etiam in vesica fit 4.aphor.80.

Furfuraceũ. *Furfuraceum* sedimentum est squamoso crassius, instar furfurum crassorum, 1.de crisib.12.& 4.aph. 77. & fit ex abrasione solidorum secundũ substãtiam, & est triplex:

Primum fit ex abrasione corporis vesicæ.

Secundum ex totius colliquatione.

Tertiũ ex sanguine retorrido.

Si ex sanguine, erit furfuraceũ nigricans propter adustionem, 4. aphor.77. Si ex solidis vesicæ, vrina erit crassa, sedimentum furfuraceum albicans, & dolor iuxta vesicam.

Si ex totius solidis, vrina erit tenuis, totiusq; erit laxitudo, quę cõtenta, si inuicem comparentur, farinaceum est melius squammoso, & squammosum furfuraceo, ex Hipp.2. progn. 28. quia maiorem præ se fert colliquationem.

Carnosum. Contentum *carnosum* fit ex caruncul is in vrina apparentibus, ex Galeno 4 aphor.76. & 77. differtq; ab orobaceo, quia istæ sunt verè carunculæ, quæ potissimum in magnis renum vlceribus apparere solent, 9.de loc.aff.cap.1.

Capillatum. Contentum *capillatum* ad instar capillorum est, fitque non ex

sub-

substantia renum, sed ex pituita viscida in renibus, & venis sic formata ex Gal. 6. de loc. aff cap. 2. dicente si vrina sit crassa, & cocta cum contento ad formam capillorum, renes vlcere laborant, ad differentiam vesicæ, ex Hipp. 4. aph. 6 & 77. Et hoc cõtentum si totum albicet, ex sola pituita gignitur; si nigricet, ex permixtione melancholiæ formatæ instar pilorum pudendorum.

Filata. Contentum filatum apparere solet post vsum venereum, si semen pituitosum sit.

Atomi in vrina quid. Atomi in vrina apparent in vigore exustionis, & post, suntq; corpuscula nigricantia, vt in febribus ardentibus, quæ Alcolæ dicuntur ab Hermeticis.

In vrina tandem aliena substãtia aliquando apparet, vt semen in gonorrhæa, & materia arenosa, vel calculosa in lapide renũ, vel vesicę. Et hic pro coronide notandum, ex Galeno, 2. progn. 37. difficile iudicium fieri de affectibus venarum ex vrinis, si renes, & vesica laborẽt. Et hæc de vrinis secundum Dogmaticos.

DE VRINIS SECVNDVM Hermeticos. Cap. I.

Quid vrina. Vrina est *vnum ex tribus excrementis à natura reiectis*: *Quotuplex.* Estq; triplex; *Externa, cruor, permixta*.

Externa. Externa fit ex nutrimentis, & hæc non indicat, nisi quæ ad stomachum, hepar, & renes.

Cruor. Cruor est ex ipsis mineralibus, & verè indicat morbos.

Permixta. Permixta est ex duabus dictis conflata.

De vrina externa. Cap. II.

Externa duplex est; *sana, & non sana*.

De vrina sana.

Color hypostasis. Color est ex sulphure. Hypostasis ex sale.

Fũdus. Fundus ex Mercurio.

Quid indicet color. Color topacio similis, & colophoniæ spissitudine, declarat Archeitatem ventriculi naturalem, idest constitutionem.

In contento.

Conditiones hypostasis. Contentum est hypostasis, *diaphana à fundo discreta, radios in altum transfundens*.

Fundi liquoris. Si fundus sit *lucidus*, eiusq; radij appareant, & si vrina *radios in medium transfusos reflectat*, Archeitatem hepatis indicat naturalem.

In consistentia.

Consistentia contẽti? Consistentia contentorum declarat habitum renum naturalem, & vesicæ.

Si vrina agitata seruet suam luciditatem.

Hypostasis commota non dissoluatur.

Et fundus non distrahatur in partes.

De vrina externa non sana.
Cap. III.

Vrina tartari. Rubini.

VRina externa non sana duplex; *tartari*, id est excrementi coagulati; Et *rubini*, id est, alimenti.

Vrina tartari triplex, *Alcolita, scatea, tremula*.

De Alcolita secundum contenta.

Alcolita quid indicet.

ALcolita indicat *congelationē*, siue *bolum*. Fit ex excremento coagulato, cuius signum est. Alcohol, id est, tartarum resolutum in minimas partes.

De Hypostasi.

Quid Alcola. Hypostasi cum alcola quid indicet.

HYpostasis in vnico loco perforata, in cuius foraminibus videtur *Alcola*, id est, linamentum instar carptæ laneæ.

Indicat tartarum ventriculi, & morbos,

Orexin.

Arsuram.

Compressionem in furcula pectorali.

Diuulsio.

Hypostasis cadentis quid indicet.

DIuulsio hypostasis frustulatim cadentis hinc inde,

Signum est tartari hepatis, & ostendit.

Compunctionem in latere dextero.

Sitim, aut manuum frigiditatem.

Compressuram eiusdem lateris ex tartaro eodem.

De sedimento.

Residentia alcolæ quid inducet.

SI residet Alcola, prædicit tartarum renum.

Arenam.

Calculum.

De Alcolita secundum formam.

Alcola resoluta.

FOrma triplex, *resoluta, arenosa, mucilaginosa*.

Resoluta est alcola alba lactea.

Significat calculum ex lapillis.

Arenosa.

Arenosa alba, vt farina, & furfures, calculum ex lapillis, & bolo.

Arenosa concolor indicat materiam, & formam quam refert.

Mucilaginosa.

Mucilaginosa, bituminosa, & viscosa,

Indicat tartarum non benè coagulatum.

Secundum accidentia.

Alcolita cū sanguine.

SI cum vrina Alcolita adsit sanguis,

Signum læsionis venarum ex tartaro:

Cum pure.

Si pus, exulcerationem secundùm partem indicat.

Cum sanie.

Si sanies, putrefactionem.

Si restrictio, suppressionem ex tartaro.

Secundum signa externa.

SI emissio fiat Alcolitæ vrinę inuoluntaria,

Signum tartari ęgressus.

Si ardor guttatus, stranguria,

Signum tartari acuitatis.

Secundum experientiam.

EXperientia de vrina Alcolæ duplex; de *spiritu vrinæ*. & *de sale*.

Experimenta de spiritu vrinæ. Spiritus vrinæ est, quando mingitur sine alcola pulchra, & patiēs tamen calculo laborat.

Dignoscitur, si destillata, & in frigida posita, faciat alcolam, ad modum salis petræ in fundo.

Experimentum salis vrinæ. Sal vrinæ est, cum stet per tres dies, & faciat tartarum, ad modū nitri circum circa in macula.

De vrina tartari sfeatea.
Cap. IV.

Quid vrina sfeatea. VRina *sfeatea* est fętens, & indicat putrefactionem, aut nutrimenti, aut corporis.

Vrina alba fætens indicat putrefactionem alimenti.

Pallida non lactea, putrefactionem stomachi.

Rubea, hepatis.

Crocea, renum.

Turbida verò, nullum horum colorum seorsim ostendens, trium simul viscerum putredinem indicat.

Fętor vrinæ prouenit ex tribus, *ex Sulphure fætor.* sulphure, mercurio, sale.

Ex sulphure prodit fætor similis pici sutoriæ, dum comburitur.

Oleo dum accenditur.

Et stercori.

ex Mercurio. Ex mercurio fætor similis ireos odori.

Iuri carnium.

Herbarum dū introducitur fænum, & accenduntur prata.

ex Sale. Ex sale fætor odori fumi salis crudi similis,

Arsenico, dum exhalat, similis sapori cæparum.

Spiritibus, id est fætori fumi chalcanthi accensi.

De Vrina alcolita tremula.
Cap. V.

Quid vrina tremula. TRemula vrina est, quando loco etiam quiescente mouetur, & indicat oppilationem, & est absq; contentis.

Pallida. Si pallida diaphana, stomachi oppilationem.

Rubra, Si rubea, hepatis.

Crocea. Si crocea, renum.

De vrina externa secundum rubinum, idest, alimentum.
Caput VI.

DVplex vrina rubini; formula, fæcula.

Formula quid indicet. Formula significat rubini exitum, etiam similis carni in colore, & ferè in substantia.

Hinc sequitur dysenteria, diarrhæa, vt plurimum.

Fæcula quid ostēdat. Fæcula similis carni turbifactę. Phthisin, & hecticam indicat sępius.

De vrina cruoris mineralium.
Cap. VII.

VRina cruoris non est excrementi, sed mineralium.

Hæc verè indicat morbos.

Colore, substantia, contentis.

Color talis est qualis

Partium dissimilarium.

Partium similarium,
Et excrementorum.

Substantia qualis mineralium natura, & substantia, triplex est, spissa, lucida, diaphana.

Spissa. Spissa, cùm non potest per vrinam videri.

Lucida. Lucida ad manum clara.

Diaphana. Diaphana, per quam panis etiã visitur.

Contenta vrinæ cruoris continentur super vrinam, & sunt tres; spuma, bulla, circulus.

Bulla. Bulla ex sale.

Spuma. Spuma ex Mercurio.

Circulus. Circulus ex sulphure.

Bulla est ampulla non adhærens vitro, sed supernatans vrinæ.

Spuma vbique vitro adhæret.

Circulus est materia concolor adhærens vitro, secundum superficiem vrinæ in forma circulari.

Prognostica de Bulla.

BVlla portendit flatulentiam, & colicam,
Si viridis, caducum.
Si rubra, causonem.
Si crocea, icteritiam.
Si lazuria, lepram.

Si multæ bullæ magnę, & paucæ, dolorem capitis fixum.

Prognostica de spuma cum minutis granulis.

SPuma alba cum minutis ampullis, paralysin futuram monstrat.

Si granula, idest ampullæ descẽdant infra circulum vrinæ, paralysin.

Si spuma per horas duret, vitium pulmonis ex phlegmate.

Si spuma ex se infra det duos circulos, signum apoplexiæ.

De spuma cum magnis ampullis.

SPuma hęc ostendit plethoram.
Spuma cum bulla, phthisin.
Spuma colorata, icteritiam.
Spuma alba innatans circulo, illumq́; nigrum faciens, signum mortis.
Spuma petens fundum, & residens, tremorem cordis, & incubũ.

De circulo.

CIrculus cum Alcola, denotat morbum chronicum. In mulieribus signum imprægnationis, aut molæ.

Circulus, vt Iris, signum caduci.

Circulus latus cum paucis ampullis paruis, signum apoplexiæ.

Circulus dimidiatus, signum paralysis ex vno latere.

De vrina permixta. Cap. VIII.

VRina permixta est illa, quæ ex duabus alijs componitur.

Cognoscitur ex permixtione contentorum diuersorum vtriusque, & ex modo colligendi.

De modo colligendi vrinas secundum Hermeticos.

VRina exterior à prandio, prima non indicat, nec secunda, nec tertia. *Quæ bibenda debeat*

Quar-

colligi vrina. Exterior. Quarta debet colligi sub hora vespertina.

Sic de nocte, nec prima, nec secunda, nec tertia, sed quarta, hora matutina.

Et si semel mingat sub sero, sub matutino; illa valet.

Sic permixta colligitur.

Vrina cruoris quomodo colligenda. Vrina cruoris colligitur post mediam noctem, quoties patiens nil bibat, nec manducet de elixis, sed de assatis.

Si color diiudicetur, hoc iudicium in pluribus matulis fieri debet. *Iudiciū coloris.*

Si contenta, in vnico vitro secūdum Anicennam. *Contēti.*

Debet inspici versus parietem sub vmbra aliquantulum, aut sub vmbra, lumine opposito. *Quomodo inspicienda vrina.*

Et hæc de Vrinis secundum Hermeticos, & omninò de Simiotica necessaria.

SIMIOTICAE FINIS.

AD TYRONES.

Pro Introductione ad Therapeuticam.

IN hac postrema parte docentur Tyrones methodum medendi esse methodum demonstratiuam, ex quo, testimonio librorum Methodi medendi Galeni, noua methodus Therapeutica hactenns à nullo proposita, & a Capiuaccica omninò diuersa, Tyronum ingenijs proponitur, vt Medicinæ Theoriam fundamentaliter, & Scholasticè addiscant.

THERAPEVTICA DEMONSTRATIVA GALENI, SEV METHODVS MEDENDI.

PARS QVINTA. ENCYCLOPEDIAE HERMETICO MEDICAE.



Scribendi Intentio, & causa intentionis. Cap. I.

Intētio. 

CVM Medicus, eatenus sciētificus, & rationalis sit, quatenus est methodicus: Methodi autē principales Medicinæ, cùm Hipp. tùm Galeni, cùm tres sint; Physiologia, Pathologia, & Therapeutica, tali ordine inuicem subalternatæ, vt ex Physiologia fiat Pathologia, & ex Pathologia, Therapeutica: Cōsimiliter, cùm tres sint methodi diuersæ, in libris poster. ab Aristot. propositæ, resolutiua, definitiua, & demōstratiua, tali ordine inuicem classificatæ, vt ex resolutiua oriatur definitiua; & ex definitiua, demonstratiua methodus originetur: Idcirco excogitanti mihi, methodos Aristotelis, & methodos Galeni, indiuisibili quodam nexu reciprocè sororiare, ita, vt Physiologia Galeni sit formaliter resolutiua Aristotelis; Pathologia Galeni, definitiua Aristotelis; Therapeutica Galeni, demonstratiua Aristotelis; propterea operæ preciū esse existimaui, has methodos inuicem coniungere, illarumq́ue nexum indissolubilem patefacere, arcanum, vt conijcere possum, hucusq; in penetralibus Aristotelis, & Galeni sepultū: Quod si per necessariam illationem inuicem cōiungere methodos segregatas, est realis, & scientifica methodus, noua forsan erit hęc methodus hactenus à nullo excogitata, quam vo-

Concursus methodorū Galeni, & Aristot.

Noua methodus.

vobis Medicinæ studiosis propono contemplandam: Hac enim, tanquam vnica fidelia, breuiter, & faciliter Logici, & Medici fietis, eoque magis vestri voti compotes, quia non modò Logicas, ac methodos medicas simul apponam, verùm etiam simul terminos earundem adnectam: Et hac ratione methodi illæ, quas in libris posterioristicis tradidit Aristoteles, vt cæteris scientijs ancillarentur, methodis Medicis maritatæ, maiorē forsan fidem, maiorem perfectionem, claritatemq; acquirent, & ex his spero liquidò medicos visuros, logicam nedum esse magis necessariam, quàm philosophia, ad medicinam, sed esse simpliciter necessariam.

Causa intentionis.

Logica est simpliciter necessaria ad medicinam.

Cùm hic à nobis interim agatur de methodo medendi; Idcirco hic tractatus erit de methodo demonstratiua: Est enim propositio in primo modo per se, sic enuntiare, methodus medendi, est demonstratio, vt suo loco videbitur.

De alijs methodis alibi agā inuicem coniunctis.

Hanc veritatem cognoscēs Galenus, tanquam legitimus demonstrator, vt veram medendi methodum constitueret, eam super vnica demonstratione exstruxit, nullaque alia ratione antiquiores putatitios methodicos confutauit, nec non empiricos, nisi quia demonstrationem ignorarunt; Nam iactantiam Thessali 1. meth. med. capite secundo, aduersus Hipp. vituperat, ex sola illorum authoritate, qui *demonstrandi methodum sunt meditati*, vt ex Platonis suffragio, quod erat, naturam animæ, & corporis dignosci haud posse, nisi præcognita natura totius? Et ex cætu Peripatetico, qui *Hipp. physiologiæ principia confirmat*. Immò libros Thessali, cap. 3. eiusdem. de duplici morbo, fluxu, & clauso, conculcat, quia *nusquam in vllo operum eius demonstrationem vllam afferre tentauit*: Et paulò infra, Thessalus *Logicæ speculationis rudis*, differentias specierum pro substātia vsurpat; Et infra *Aristotelem, & Platonem in methodis Logicis superasse* se pēsitabat Thessalus; Et infra, *esto verò taceas, qua Logica methodo insistens, hæc inueneris*: Et infra, *omnes in victu morbos esse duos, non methodo, nec demonstratione* probauit Thessalus: Et infra, *inueniendi eius quod quæritur, Logicæ methodi facultatem præstant*: Et paulò infra Thessalum Tyrannum appellat, quia *citra demonstrationem* sic sibi credendum persuadebat: Et omninò Thessali sectatores improbat, quia nec *notionem demōstrationis*, *nec resolutoriam*, nec *logicam vllam speculationem attingerēt*, nimirū; serò *quid sit demonstratio*, postulauerint; Immò quòd Thessalicos, cap. 4. eiusdem, asinos indociles appellat, quia *demonstrationem non intelligunt*: Et infra maiorem medicorum partem redarguit, quia *principia demonstratione non cōfirmant*, sed controuersa sumunt; Et infra ait, hæc omnia errata illis contigisse, quia *nihil prius de demonstratione sunt meditati*: Et infra, *ridiculus est, qui quicquam affirmat, quod demonstrare non potest*: Et infra, sicut in alijs scientijs deuenimus ad quædam principia,

Suffragium Platonis quod.

Peripatetici cōfirmant principia Hip.

Thessali iactātia.

Thessali Tyrannia fide.

Thessalus indocilis cur.

pia, *quæ nō per demonstrationem, sed ex se fidem faciunt, ita in medicina, quæ demonstrantur, ad primas, & indemonstrabiles propositiones sunt* deuenienda, quæ *axiomata* dicuntur: Et paulò infra: Thessalios, ac alios imperitos medicos deridet, quia *principia inuentionis sua, ex principijs indemonstrabilibus non sumunt:* Et infra, aliquos modestos vocat, quia fatentur, *saltem se certo scire, nihil demonstrari posse, nisi logicis principijs fides non sit adhibita:* Et infra, rudes, & amentes appellat illos, qui, *quot, & quæ demōstrationis principia sunt, nec noscere, nec quærere volunt:* Et infra; Hæc si in logicis methodis exercuissent, tales errores non commisissent, neque nugati essent, & eos qui rectè demonstrant, intellexissent: Alibi, 2. lib. meth. c. 5. etiā eos laudat, *qui fide demonstrationis, confirmant, omne corpus pro certo quatuor qualitatum temperamēto opus suum edere:* Et infra, odio prosequitur Dionysiū, & Phalarim, cæterosq; medicinæ Tyrannos, quia *artis Medicæ limites, remediorumq; inuentionem non demonstrant*, sed *iubent actionis causam* quæri non debere: Et infra habet; *Methodus à me proposita, inquirendam esse causam, demonstrat: Sed vos, nec demonstrationē afferre conamini*; Et infra; *qui ex dimidio dogmatizant*, & qui *tenuiter in demonstrandi methodo sunt exercitati, incidunt in empiricorum sententias*: Et infra; *Tyrannorum more imperatis, vti verò demonstratione non vultis*; Et infra, pugnas inter se constituit, ac inter illos, *qui à logicis demonstrationibus digressi sunt:* Et infra, initium diffidij constituit ex illorum dicterijs, qui dicunt, *nihil esse demonstratione confirmatum scire*, & se non intelligere *quid sit hæc demonstratio*; Et infra fine *demonstratione* eos vocat *nugantes*: Et infra, hāc turpitudinem inceptam ab ijs esse, qui *fugiunt demonstrationem:* Et infra; neque enim potest, qui *demonstratiua methodi sit imperitus, eos, qui ipsa vtūtur, intelligere:* Et in calce capitis concludit hac perpulchra sententia, quòd: *sapientiam propter seipsam expetere, est in logica methodo se exercere*, non autem in diuitijs, fama, potentiaq; ciuili, sicut nostræ tempestatis quàm multi sunt, qui magis diuitijs, & ciuilib. consortijs medētur, quàm morbis per veram, genuinamq; methodū: subiungit etiam, c. 6. eiusd. *qui, antequam in methodis logicis se exercent, cum demonstrare aliquid tentant, se ipsos fallunt.*

Ex his igitur colligo, veram methodum medendi à Galeno traditam, nil aliud esse, nisi demonstratiuam methodum Aristotelis, & super hac demonstratione therapeuticam cōstituisse. Enim verò, quòd methodus medendi nil aliud sit, quàm demonstratio, patet ex authoritate Galeni, 1. lib. meth c. 4. quæ à cæteris adhuc non fuit enucleata, & præsertim à Fabio Paccio, in comm. de method. medend. Nam meminit Galenus quorundam suorum commentariorum de demonstratione, sub his verbis;

Et ipse in commentariis de demō stratione, quàm potui, dixi clarissime;& alibi, cap. 5. inter initium, repetit; *Tecum verò omnem deinceps sermonem cōferam, ipsis usus methodis, quas in commentariis de demonstratione dixi:* Et paulò infra: *Verum huius quoque rei methodum in logicis speculationibus tradidi.* Quaro ipse,& quænā hæc commentaria Galeni de demonstratione:& vbi nam Galenus commentatus est demonstrationē Aristotelis?vbi sunt hæc commentaria? Sæpius cogitaui, quæ nam essent hæc commentaria, Tandem inueni in Galeno ipso,talia commentaria de demonstratione, esse commentaria de methodo medendi: Nam habet hæc verba: *Ergo cum ipse de experimentali inuentione alibi egerimus, de logica in his commentariis differere proposuimus:* 2.meth.cap.6. Ecce quòd Galenus eo quòd dicat commentaria de methodo medendi, dicit commentaria de logica, id est de demonstratione: Tantum igitur fuit Galeno consultum agere de medendi methodo, quantum si de demonstratione tractasset.

Nō negamus tamen, Galenū scripsisse eiusmodi commentaria de demonstratione.

De praecognitionibus, & praecognitis methodi medendi. Cap. II.

ARistoteles acturus de demonstratione, prius egit de præcognitis,& præcognitionibus; propterea illud idem faciam,& ipse, agens prius de præcognitis,& prę cognitionibus methodi medendi. Sciendum igitur est, Galenum.1.& 2.meth.med. de talibus præcognitis, atque præcognitionibus egisse, nec non ostendisse, quot, quæ, & quomodo debeamus præcognoscere ante medendi methodum:Nam 2.lib.meth.1. habet hæc verba; *His ita se habentibus, iam de medendi indicationibus est dicendū:* quasi dicat, postquam egimus de iis, quæ præscire necessariò oportet ante medendi methodum; *iam* (ecce illationē manifestam à pręcognitione ad demonstrationem) de medendi indicationibus dicendum est; Sit itaque argumentum: Omnis doctrina, & disciplina discursiua fit ex præexistente cognitione, sed methodus medendi est doctrina,& disciplina discursiua, ergo methodus medēdi fit ex pręexistente cognitione.

Methodus medendi est doctrina discursiua.

Maior propositio inductione ab Aristotele fuit probata: Minor est clara in doctrina Galeni: Methodus enim medendi est demonstratio potissima, quia est illatio Syllogistica habens vim obiectiuam à causa, id est ab indicante ad effectum. id est, ad indicatum, & hæc illatio dicitur Indicatio, quæ cùm sit instrumentum logicū, ac demonstratiuum, fieri non potest citra discursum. Et huc meo iudicio, spectat error Capiuaccei, de meth.medendi,cap.primo, qui asserit, medendi methodum esse viam resolutiuam, eo quia exordiatur à fine,ad id, quod est ad finem,propter finem,id est, ab indicante ad indicationem, cum morbus indicans sit finis methodi medendi: Sed reuera fallitur:Nam si methodus medendi esset resolutiua;

Methodus medēdi est demonstratio.

Indicatio, & illatio.

Confutatio Capiu.

ua; cùm hæc, vel sit inductio, vel demõstratio ab effectu, dubio procul medendi methodus, vel per inductionem, vel per signum haberetur, quòd est falsum, quia habetur per causam, & consequenter à priori, & per consequens est methodus demonstratiua: Et quamquam auferre morbum sit finis methodi medendi, dico tamen, quòd sicut scire, est finis externus demõstrationis, ita mederi, & curare morbum, est finis externus methodi medendi: Et hoc non tollit quin methodus medendi sit demonstratiua, & non resolutiua: verùm medendi methodum non esse resolutiuam per inductionem, patet ex Galeno ad Thrasyb. c. 5. dum ait: *Verùm in libris meis de demonstratione*, id est, de methodo medendi, *probatū est ad demonstrationes*, id est, ad indicationes, *scītiam gignentes, inductiones adhiberi non debere*: Insinuans his verbis, medendi methodum demonstratiuam esse, & quòd propterea sit ex præexistenti cognitione intellectiua, vt ipse docuit ad Thrasyb. 5. sub his verbis; *Inuentionis initium est ante cognoscere* (ecce præcognitionem, quid clarius?) *quidnam est id, quod quæritur*, id est, indicatio fit ex præcognitione illius, quod quęritur. Et alibi, ibid. cap. 11. dicit indicatio est quando *rebus percipiendis*, id est, præcognoscendis, *perceptis*, id est, præcognitis, *simul quod confert percipitur*: Ecce illationem demonstratiuam illius, quod quęritur in medendi methodo: Igitur methodus medendi est doctrina discursiua demonstratiua, quæ fit ex præcognitione intellectiua. Stante ergo hac veritate, duo videnda sunt, occasione huius; quot sint præcognitiones, & quot sint præcognita methodi medendi, cum Galeno, 1. & 2. meth. quę de necessitate pręsciri debent ante medendi methodum.

Methodus medendi est demonstratiua, nō resolutiua.

De præcognitionibus methodi medendi in genere. *Cap. III.*

Quemadmodum cùm Aristotele demonstratum est, in genere quinque esse modos cognoscendi, in respectu verò demonstrationis, tres tãtum esse præcognitiones: Consimiliter cognitiones methodi medendi bifariam considerari possunt, vel in genere, vel in specie, id est, vel extra methodum medendi in methodo morborum; vel intra methodũ medendi; Si considerentur in genere, quinque sunt, nec plures, nec pauciores; *quid nominis, quòd est; quid est; quod est, & propter quid est*. Declaro, instituamus sciẽtiam de febre; primum quod, se offert, est ipsum *quid nominis* febris: per febrem enim præcognoscimus, esse vitium quoddam igneum; Postea quæritur *quòd est* simplex ipsius febris, id est, existentia febris, an existat in corde, vel in toto, vt sit morbus, vel cordis, vel totius: Pręcognito quòd est morbus totius, cum Galeno, lib. de inæq. intemp. cap. 1. de morb. diff. cap. 5. de caus. morb. cap. 2. quæritur, *quid rei sit* febris, quæ est mutatio natiuæ cali-

Quinque sunt modi præcognoscendi in genere methodi med.

liditatis in igneam, 1. aphor. 16. Præcognito quid rei febris, quæritur *quod est* complexum, id est, quodnam sit ptoprium symptoma febris, & necessarium, quod est ita febris, vt non sit aliorum morborum; Vtrum sit mutatio respirationis, propter necessitatem euentandi calorē cordis, vel pulsus crebrior, & frequentior; vel mutatio vrinæ, vel calor mordax tactui obnoxius, lib. de mar. 5. vel tandem læsio actionum naturaliū, quia nullum symptoma est proprium febris, vt febris, nisi læsio actionum naturalium. Cęterorum enim symptomatum nullum cum febre cōuertitur, excepta vnica læsione vniuersali actionum naturalium, id est, attractricis, retentricis, alteratricis, & expultricis; Hoc enim symptoma vniuersaliter primò cū febre reciprocatur, tanquam risibile cum homine in secundò modo dicendi per se; Nam vbi est febris, ibi est læsio vniuersalis omnium actionum naturalium; & vbi est læsio vniuersalis actionum naturalium, ibi est febris; quia febris est intemperies omnium partium similarium & prӕter vnicam febrem, nulla est intemperies vniuersalis partium similarium, & per consequens nulla vniuersalis læsio actionum naturalium, quod non contingit de calore; quoniam omnis febris est quidem calor pręter naturā, sed nō omnis calor pręter naturam est febris: Sic de cæteris symptomatibus. Cognito ergo, quod est complexum febris, id est, proprium symptoma, tandem quæritur, *propter quid est*, id est, propter quid læsio vniuersalis actionum naturalium sit proprium symptoma febris; Est autem hoc propter intemperiem calidam, & siccam partium similarium, lib. de inæq. intemp. cap. 1. Quamobrem quinque in genere sunt modi præcognoscendi ante methodum medēdi in genere; quid nominis morbi; quod est simplex morbi; quid rei est morbus; quod est complexum morbi, id est, symptoma; Et propter quid symptoma inexistat morbo.

Sola læsio actionum naturaliū est proprium symptoma febris.

Prima difficul.

At ex dictis oritur difficultas. Tu posuisti, quòd est simplex morbi, esse præcognitionē, ipsius quid est morbi, id est existentiam morbi esse præcognitionem essentiæ, quod videtur falsum; Nam v.g. antequam constituamus, febrem esse morbum totius corporis, & non cordis, oportet præscire, febrem esse calorem extraneum accensum in corde, per venas, & arterias, in vniuersum procedentem, ex Auicenna, libro 4. can. 1. quamobrem existentia morbi est quærenda per essentiam illius, & sic quod est simplex morbi, non erit pręcognitio illius quid est.

Solutio.

Respondeo, existentiam morbi posse duobus modis considerari, vno modo à priori, & sic morbi existentia demonstratur per illius essentiam, tanquam per causam, & sic essentia morbi est præcognitio existentiæ, vt existentia caloris febrilis in toto, per essentiam caloris accensi in corde; Altero modo potest considerari à posteriori, id est, per sensum, & per inductionem; & sic existentia morbi est

præ-

præcognitio essentiæ, nam sensui prius occurrit existentia caloris febrilis in toto, antequam illius essentia in corde delitescens intelligatur; Et hoc modò, per inductionem existentia morbi est præcognitio essentiæ, & quod est simplex morbi, est præcognitio ipsius quid est morbi.

Secūda diffic. Secunda difficultas desumitur ex ijs, quæ dicta sunt, & à quadam Galeni contrarietate; Siquidem statuimus, præcognitionem quid nominis morbi esse primam præcognitionem iuxta principia Aristotelis. Galenus, 1. method. capitulo quinto, & ipse constituit, necesse esse ante inuentionem curationis morbi, præcognoscere morborum numerum, & ante numerum, quid sit morbus, & ante cognitionem morbi, præscire notionem, & tenaciter constituebat, *Contrarietas in Galeno.* primum quod quæritur, esse notionem, & ipsum quid nominis morbi, vt in libris de demonstratione percepimus: In calce verò istius capitis, fuimet quasi immemor, constituebat; neutiquam à notione inchoandum esse, sed *homonymiam*, id est nominum inuentionem esse vltimam in methodo, & augetur difficultas, quia idem Galenus, 2. method. capit. secundo, postquam de morbo, causa morbi, & symptomate locutus est, tandem instituit sermonem de nominibus, sub his verbis: *His ita distinctis, inspicienda est diligenter nominum diuersitas:* Ecce igitur, quòd prænotio quid nominis non est prima, sed vltima.

Capiuacceus, lib. de febr. cap. 2. *Responsio Capiuac.* qui tanquam per nubeculam vidit contrarietatem, respondet, nullum esse inconueniens, nomen subsequi essentiam; Nam duplex est nomen, generis, & speciei; Nomen generis semper præcedit essentiam generis, vt nomen febris essentiam febris: Pariter nomen speciei præcedit essentiam speciei, vt nomen febris tertianæ, illius essentiam præcurrit, Essentia tamen generis, præcedit nomen speciei, vt essentia febris in genere, præcedit nomen febris tertianæ; Quare non est inconueniens, essentiam generis præcedere nomen speciei, vt essentia animalis, nomen hominis.

Hęc responsio est vera, sed non *Reijcitur.* tollit difficultatem; Etenim quòd nomē speciei pręcedat essentiam, hoc est, quòd videtur Galenus, 1. meth. cap. 5. prohibere, iubens loco citato, differentias speciei morbi esse colligendas; postea demonstrandas, tandem vnicuique proprium, genuinumque nomen esse imponendum.

Responderem ego, Galen. loco *Propria sententia.* citato, per nomina vltimo loco morbis imponenda, intelligere nomina differentiarum, non autem specierum; Nam sicut nomen generis pręcedit essentiam *Nomen generis, & speciei est prima pręcognitio, sed nomina differentiarum sunt vltima.* generis; Ita nomen speciei habet pręcedere essentiam speciei; Veruntamen, quia sub vna specie morbi dantur plures differentię habētes diuersa nomina, vt sub specie ophthalmię; Et quia antiquorum Medicorum, Philosophorumque multi cum rerum ipsarum diuersitate,

sitate, nominum diuersitatem confundebant, ideò ad tollendas cauillationes, quas homonymia parit, instituit nouam methodum Galenus, vt à rerum differentijs incipiamus, illas demonstremus, tandemq; vnicuiq; differentiæ suum accommodemus nomen; quoniam sic lucida doctrina efficietur.

Præcognitio igitur nominis generis, & speciei debet esse prima, vt in hoc capite constitui cum Galeno, & Aristotele; sed nomina differentiarum subsequi debent, ne nominibus subducamur, & ita cōciliatur Galenus.

Quare sic diorismus verus, extra methodum Therapeuticam, & in genere, quinque esse præcognitiones, quæ in methodo pathologica sunt modi etiam demonstrandi, quia tam morbus per causam, quàm symptoma per morbum demonstrari potest à priori: Symptoma quidem per morbum sic: Intemperies lædit actiones naturales: febris est intemperies calida & sicca omnium partium similariũ, ergo febris lædit omnes actiones naturales. Morbus autem sic per causam demonstratur: Quod immutat ad calidum, vel frigidũ similares, illud est intemperies calida, vel frigida: febris est mutatio natiuæ caliditatis ad calidum, ergo febris est intemperies calida: quæ demonstrationes, an sint potissimæ, suo loco declarabitur miro forsan artificio. In methodo igitur morborum hi sunt modi cognoscendi, ac demonstrandi; Sunt verò modi præcognoscendi ratione methodi medendi, quia antequam per illatrices indicationes indicata demonstrentur, necessum est præcognoscere, & præsupponere hos quinque modos, qui extra methodum medendi, & in genere sunt quinque; Intra tamen medendi methodum, & in specie, nō sunt quinque, vt in supposito capite.

Quomodo symptoma demonstrentur per morbum, & morbus per causam.

De præcognitis methodi medendi in genere. Cap. IV.

POstquam egimus de præcognitionibus methodi medendi in genere, quæ ante medendi methodum debent præcognosci; Nunc de præcognitis eiusdem in genere sermo habendus est. De his ergo sermonem fecit Galenus, 1. meth. cap. 7. circa fin. dicens; *quodnam sit huius de medēdo methodi principium, & radix, ostendam:* Innuens his verbis, quot, & quæ de necessitate præcognoscenda sint ante medendi methodum: In his autem assignandis Galenus, 1. meth. cap. 8. fuit varius: Nam primò cōstituit, quatuor esse præcognitorum genera, quæ necessariò sunt præcognoscenda.

De præcognitis methodi medendi in genere.

Primum genus est ipsorum corporum.

Secundum genus est ipsarum actionum.

Tertium genus est causarum.

Quartum est, tum eorum, quæ in corporibus naturaliter se habētibus, actioni non commodāt; tum eorum, quæ in corporibus præter naturam se habentibus, actioni non incommodant.

Ex aduerso Gal. 2. meth. 1. & 6. diuer-

diuersimodè hæc quatuor præcognita enarrat, Nam in corporibus à naturæ suæ modo egressis, quatuor constituit esse differentias.

Prima est functionis vitiatæ.

Secunda, est eius, qui hanc peperit affectus.

Tertia est causarum, quę ipsum præcesserunt affectum.

Quarta est symptomatum, quæ hunc necessariò insequuntur. Quę præcognitorũ differentiæ variant à primis quatuor propositis in primo libro: Etenim primum pręcognitum ibi propositum est ipsorum corporum: Primum autem præcognitum in secũdo libro propositum est ipsius læsæ functionis: Ibi pro primo cognito constituebat ipsa corpora; & pro secundo actiones; hic autem pro primò ponit actiones, & omittit corpora: Insuper in primò libro nullum genus affectuum proponit; in secundò autem libro eos proponit. Sed præter hanc varietatem, in proponendis præcognitis methodi medendi, est & alia non minus varia, & diuersa; Si quidem, 2. meth. c. 3. tria tantum proponit pręcognita.

Primum Morbum.

Secundum Causam.

Tertium Symptoma.

Ex aduerso autem in eodem 2. libro, cap. 3. in fine, cap. 4. & 6. præter hęc tria, morbum scilicet, causam, & symptoma, videtur alia præcognita in medium afferre.

Primò, quæ particulis naturaliter insunt.

Secundò, quæ temerè accidunt.

Tertiò, quæ actionis sunt causę.

Quartò, & numerum morborũ. Quæ quatuor præcognita tribus superius positis coniuncta septem numero præcognita efficiunt.

Quid ergo est causæ, quòd Galenus, modò quatuor similia, modò quatuor diuersa, & repũgnantia; modò tria, modò septem præcognita proponat, ante medendi methodum necessariò præcognoscenda? Quæ diuersitas est hæc? nõ enim sine magno artificio hoc factum est à Galeno, qui logica tantum pollebat demonstratione. His addo tria præcognita alia in ore omnium posita, ex medendi methodo Capiuaccei decerpta, quę sunt,

Primò morbus.

Secundò, causa morbi.

Tertiò, virtus; quę ex eodem Galeno collecta fuerunt; oportet igitur hanc Galeni varietatem de pręcognitis methodi medendi cõponere, certumq; horũ pręcognitorum numerum determinare, & eorũdem nexum essentialem aperire; Tandem videre; An eadem numero pręcognita quę ante medẽdi methodum præcognoscuntur, an sint eiusdẽ speciei cum ijs, quę formaliter methodũm medendi, demonstratiuam ingrediuntur.

De numero determinato præcognitorum methodi medendi in genere. Cap. V.

TRadita distinctione numerica præcognitorum methodi medendi varia, atque diuersa, ex mente Galeni, nunc ex vi methodi constituendus, & determinandus est certus pręcognitorum numerus,

rus,vt sciamus quot,& quę debeamus pręcognoscere ante medendi methodum. Dico igitur præcognita hæc dupliciter considerari posse, vno modo in genere, alio modo in specie: Si considerentur in genere dico cum Galeno duodecim esse præcognita specifica.

1. Est substantia membri. 2. Est facultas. 3. Est temperamentum. 4. Est calidum innatum. 5. Est quæ consequuntur. 6. Est quæ accidunt. 7. Est Actio.	Quæ sunt secundum naturam.
8. Est quæ temerè accidunt.	Non naturale.
9. Est morbus. 10. Est morborum numerus. 11. Est causa morbi. 12. Est symptoma.	Quæ præter naturam.

Præcognitorũ in genere numerus.

Verùm, si loquamur de præcognitis in genere,ante medendi;methodum genericis, iam tria tantum sunt genera præcognitorum, virtus, morbus,& symptoma: Videndum igitur est, qua methodo hæc duodecim reducantur ad hæc tria genera, & si omnia reducantur ad hæc tria genera, nec ne. Principium autem huius speculationis ex hoc est, quòd,sicut illa duodecim præcognita specifica militant sub triplici termino generico,videlicet sub ijs, quæ secundum naturã sunt; sub eo quòd est non naturale, & sub ijs, quæ sunt pręter naturam; ita triplex est ordo,seu methodus,& progressus essentialis; primus progressus est ab eo,quod est secundum naturam ad id, quod est non naturale: Secundus progressus est ab eo quod est non naturale, ad id, quod est præter naturam. Tertius progressus est ab eo,quod est præter naturam ad id, quod est præter naturam.

Progressus,qui est ab eo, quod secundum naturam ad id quod est non naturale, est progressus compositiuus,seu demõstratiuus. Progressus qui est ab eo, quod est non naturale ad id,quod est pręter naturam,est resolutiuus per demonstrationem ab effectu. Progressus tãdem,qui est ab eo,quod est præter naturam, ad id, quod est præter naturam, est progressus demonstratiuus.

Declarò;cùm morbus sit ille affectus, qui primò lædit actionem, nisi præcognoscatur actio,impossibile est cognoscere naturam affectus, quia qualis est actio,talis est etiam morbus,ex Gal.2.meth.c.3. circa fin. Actio autem cognosci non potest, nisi eius causa pręcognoscatur;quoniam qualis est causa actionis, talis est actio: Et quotuplex

tuplex est causa actionis, tot sunt morborum numeri, ex Galeno, 2. meth. cap. 4. circa initium, dicente, *omnium morborum numerum methodo comprehendi non posse, nisi causarum actionis numerum, corpore secundum naturam se habente, norit:* Causæ verò actionis cognosci non possunt, nisi præcognoscantur, *quæ particulis naturaliter insunt:* quæ verò naturaliter particulis insunt, hæc sunt:

1. Substantia membri, quod est subiectum actionis in tertio modò per se.
2. Facultas quæ est causa principalis actionis in primò modo per se.
3. Temperamentum, quod est instrumentum adæquatum actionis in primò modo per se.
5. Quæ consequuntur temperaturam in secundo modo per se.
6. Quæ accidunt partibus conformatis in secundo modo per se.

Ab his igitur, tanquam necessariò requisitis ad actionem, quæ naturaliter insunt, id est, quæ sunt secundum naturam, fit processus compositiuus ad ipsam actionem.

Obiectio. Sed dicet quispiam. Si fit processus ab ijs, quæ particulis necessariò insunt, ad ipsam actionem, ergo non fit processus primus ab eo, quod est secundum naturam, ad id, quod est non naturale, sed potius ab eo, quod est secundum naturam ad id, quod est secundum naturam, quia actio est naturalis.

Solutio. Respondeo, quòd actio, respectu methodi medendi, non consideratur, vt simplex actio naturalis proueniens ex ijs, quæ naturaliter insunt, sed consideratur in ordine ad affectum, qui lædit actionem; quare cùm dispositiones antecedant habitum; Idcirco, antequam actiò lædatur formaliter à morbo, præcedunt quædam prauiæ dispositiones ad morbum, quæ à Galeno, 2. meth. cap 3. pathos dicuntur, sicut etiam ab olympiaco, 1. meth. cap. vlt. Ea enim est differentia inter pathos, & reliqua, quia pathos consistit in fieri, morbus verò, causa, & symptoma in habitu; Et hæ passiones, seu dispositiones morbum antecedentes sunt ea, quæ *temerè accidunt*, & actioni non officiunt, vt ait Galenus, 2. meth. capite tertio, circa finem, dicens, *quæ temerè corporibus accidunt, etiam si millies sint alterata, nocere profectò actioni non possunt:* Hoc idem dixit Galenus, 1. method capitulo octauo, proponens quartum genus eorum, quæ in corporibus naturaliter se habentibus actioni non commodant, nec incommodant, intelligens pro his, passiones, seu pathos, seu prauias dispositiones ad morbum, quæ actioni dicuntur *temerè accidere*, quæ propterea non naturalia sunt, cùm nec naturalia sint, nec præter naturam, sed neutralia: Progressus ergo qui fit ab ijs, quæ sunt secundum naturam, videlicet à causis ad actionē, non fit ad actionē simpliciter, sed

fit ad actionem, quatenus ei quędā temerè accidunt; & consequenter fit progressus ab eo, quod est secundum naturam ad id, quod est non naturale.

Secundus progressus fit ab eo, quod est non naturale ad id, quod est præter naturam; Nam cognita à priori per suas causas, actione, vt ei quædam temerè accidūt, iam si actioni aliquod occurrat, quòd actionem lædat, iam fit progressus ab eo, quod est non naturale ad id, quod est præter naturam: Ex cognitione enim eorum, quæ temerè accidunt, & tamen non lædunt actionem, fit transitus ad eum affectum, qui lædit actionem, & qui dicitur morbus: Et hic progressus est resolutiuus ab effectu, quia incipit ab actione sub notione rerū non naturalium, & tendit ad morbum, qui est causa adęquata actionis læsæ; Et quia morbus præsupponit causam, ex qua oritur, ideo à morbo progreditur ad causam morbificā, propterea est progressus resolutiuus ab effectu ad causam, scilicet ab actione ad morbū, & ad causam morbi, sicut primus progressus erat demonstratiuus à causis actionis ad ipsam actionem sub notione eorum, quæ temerè accidunt; Ideò sicut primus progressus erat ab eo, quod est secundum naturam ad id, quod est non naturale; Ita secundus est ab eo, quod est non naturale ad id, quod est præter naturam.

Progressus à nō natur. ad præter naturam.

Progressus à morbo ad causam.

Tertius progressus fit ab eo, quod est præter naturam ad id, quod est consequens præter naturam; Etenim ex actione, sub notione rerum non naturalium, cognito morbo, & causa morbi, cùm sint quædam, quæ morbum necessariò insequuntur, quæ symptomata dicuntur, & sunt præter naturam, non quia lædāt actionem, sed quia necessariò insequuntur id, quod est præter naturam; Propterea cognito morbo, & causa morbi, fit regressus denuo demonstratiuus à morbo ad symptoma, & consequēter ab eo, quod est præter naturā ad id, quod est præter naturam. Tres ergo sunt in his præcognitis progressus; ab eo, quod est secundum naturam, ad id, quod est non naturale: Secundus ab eo quod est non naturale, ad id, quod est præter naturam: Tertius ab eo, quod est præter naturam, ad id, quod est præter naturam.

Progressus à morbo ad symptoma.

Regressus demonstratiuus.

Sub primò igitur progressu ponuntur septem res secundum naturam.

1. Substantia membri.
2. Facultas.
3. Temperamentum.
4. Calidum innatum.
5. Quæ consequuntur.
6. Quæ accidunt.
7. Actio.

Sub secundo progressu locantur ipsa non naturalia, quæ sunt passiones.

Sub tertiò membro, continentur quæ sunt præter naturam:

Morbus.
Causa morbi.
Symptoma.

Sed oritur difficultas, eo quia duodecimum præcognitum, videlicet

licet morborum numerus,non adhuc repositus est sub aliquo horũ genere, cuius tamen meminit Galenus dicens: *qui omnem morborũ numerum methodo non inuenerit, hunc maximè in ipsis medendi methodi foribus lapsurum, cùm constet,totidem esse medendi rationes, quot sunt morborum ideæ.* Innuẽs his verbis, nos debere præcognoscere morborum numerum; propterea oportet hoc præcognitum in specie redigere ad aliquod eorum trium generum.

Sub quo genere cõtineat numerus morborum.

Dico,numerum morborum sub tertio genere militare;Nam sicut ex præcognitione causę actionis cognoscitur morb.,quatenus morbus, ita ex pręcognitione numeri causarum actionis cognoscitur numerus morborum;quot enim sunt actionis causę, tot etiam sunt morborum species,vt docuit Galenus, 2.meth. cap.4. dicens, *nisi idem omnium causarum actionis numerum, corpore secundum naturam se habente, norit,omnium morborum numerum methodo comprahendere non poterit*; quare numerus morborum, ex numero causarum actionis methodo compositiua, reperitur, hoc idem sibi voluit Galenus, 2.meth. cap.3. circa fin. & 4. quando dixit; *quæ actionis sunt causæ*; non enim dixit, *quæ actionis est causa*, sed *causæ*, innuens,tot esse morbos, quot sunt actionis causæ; hoc idem sibi voluit idem Galenus, 2.meth. cap.6. circa principium,quando dixit; *Si quis, nec ipse actionis causam, in quonam entium genere sit, audebit statuere*;Innuens plura esse genera entium causarum actionis, & per cõsequens,tot esse morborum species, quot sunt causarum actionis entia.

Cùm ergo numerus morborum colligatur ex numero causarum actionis, sicuti ex præcognitione causæ actionis, colligitur natura morbi; Ideirco,cum tres sint partium constitutiones causarũ actionis,tres quoque sunt species morbi. Prima constitutio causę est partium similarium Eucrasia, seu tẽperatura,cui correspondet morbus in intemperie, quę intemperies, vt morbi similarium sunt sexdecim, octo,quę consistunt in solis nudis qualitatibus, quarum quatuor sunt simplices, quatuor sunt compositę, & octo, quæ consistunt in qualitatibus excedentibus vnà cum fluxione. Secunda constitutio causę actionis perfectæ est ipsa partium dissimilarium cõpositio, quarum compositio, cum sit quadruplex, numerus, quantitas, figura, & positio, quatuor quoque sunt morbi in mala compositione. Tertia constitutio causæ actionis perfectę, est ratio communis similaribus, & dissimilaribus, quę vnitas dicitur, propterea oritur morbus communis similarium, & dissimilariũ, qui solutio vnitatis dicitur, propterea sex sunt genera morborum.

Quot sint constitutiones.

Primum est similarium, intemperies, quæ sexdecim habet differentias.

Secundum genus est dissimilarium, quod est quadruplex;

In figura.

Numero.

Quantitate.
Politione.

Tertium genus est commune similaribus, & dissimilaribus, quæ vnitatis solutio nuncupatur, vt Galenus, 2. method. cap. 6. in fine. posuit: quamobrem, ex numero causarum actionis, colligitur numerus morborum, qui ponitur sub tertio membro rerum præter naturam. Ex his ergo patet, qua methodo hæc duodecim præcognita reducantur, iuxta triplicem progresũ, ad tria genera, ad id, quod est secundum naturam, ad id, quod est non naturale, & ad id, quod est, præter naturam.

Obiectio. Sed contra hanc methodum pullulat difficultas, cùm ex Galeno vnicus tantum sit progressus ab eo, scilicet, quod est secundum naturam, ad id, quod est præter naturam, scribit enim Galenus, loco citato, hæc verba; *vtique, & tibi necesse erit eo, quod secundum naturam est, prius præsumpto, ita quod præter naturam est, inquirere: aut si ipsum quod secundum naturam est, non nosti, nec, quod egressum à natura est, nosti.* His verbis igitur apparet vnus tãtùm progressus illatiuus ab eo, quod est secundum naturam ad id, quod est præter naturam quo prius *præsumpto*, id est, præcognito, alterum cognoscitur, & quo ignorato, alterum etiam ignoratur: Non ergo tres sunt progressus, sicut propositum fuit.

Solutio. Respondeo, fieri quidem progressum ab eo, quod est secundum naturam, ad id, quod est præter naturam, sed per medium non naturale, quod medium positum inter, secundum naturam, & præter naturam, variat postea naturam progressus; Et hoc medium non naturale positum inter extrema, quod est medium per negationem extremorum, quia nec est secundum naturam, nec est præter naturam; proponitur à Galeno, 2. method. capit. 3. & 4. dicente, oportere, ante cognitionem morbi, præscire, quæ temerè accidunt, vt superius declaraui: propterea tres sunt reales progressus quidditatiui pręcognitorum methodi medendi, quæ ad tria capita, ordine necessariò reducuntur, ad id, quod est secundum naturam; ad non naturale, & ad id, quod est, præter naturam.

Sed cùm hęc pręcognita, ad hęc tria capita redacta, sint præcognita ante medendi methodum, propterea inquisitione dignum est, an hæc omnia considerentur in ipsa medendi methodo, an verò aliqua sint, quæ sub medendi methodum non veniant. Dico igitur, duo esse tantùm, quæ non per se primò, sed per accidens tantum considerantur in medendi methodo: Primum est id, quod est non naturale, *pathos* dictum, seu quæ *temerè accidunt*; Cùm enim actioni, nec cõmodent, nec incommodent, propterea ex se nihil indicant in methodo medendi. Secundum, quod per se non consideratur in medendi methodo, est consequens præter naturam, symptoma nimirũ, quod cùm morbum insequatur, ideo, ad curationẽ morbi, tollitur, & consequẽter, nihil per se primò indicat

Dixi

Dixi *Pathos*, & *symptoma* per se nihil indicare, quia per accidens aliquando indicant, non quidem sub ratione propria, sed sub ratione aliena; Pathos quidem per accidens indicat sub ratione extremorum; Et primò quidem, vt participat id, quod est præter naturam, indicat præseruatorium, ratione causæ, ne ex toto fiat præter naturam: Vt autem participat id, quod est, secundum naturam, indicat vitale, vt virtus conseruetur, & ideo id, quod est non naturale, indicat per accidens, ratione extremorũ: Symptoma quoq; non indicat per se, vt docuit Galenus, 2. meth. cap. 4. circa finem, dicens, *Indicatio præsidij non ab ipsis symptomatis, sed à substantia ipsa desumitur*, videlicet à substantia, & essentia morbi: Symptoma tamen indicat per accidens, sub ratione causæ morbificæ, vt morbus non augeatur, & virtus non magis lædatur. Hæc igitur duo per se primò non ingrediuntur methodum medendi, sed solum per accidens pathos, & symptoma; relinquuntur ergo decem tãtum præcognita, quę per se primò spectant ad medendi methodum.

Pathos, & symptoma non indicat per se.

1. Substantia membri.
2. Facultas.
3. Temperamentum.
4. Calidum innatum.
5. Quæ consequuntur.
6. Quæ accidunt.
7. Et Actio; quæ septem cùm sint ex genere secundum naturam, ideo nomine virtutis appellata sunt, quare hoc est primum genus præcognitorum methodi medendi, videlicet virtus, sub quo illa septem comprehenduntur.

Morbus, & numerus morborũ, sub hoc nomine morbi cõprehenduntur, & hoc est secundum pręcognitorum genus, scilicet, Morbus.

Causa morbi est tertium præcognitũ. Ex his ergo patet duodecim esse species præcognitorum in genere consideratorum ante medendi methodum sub triplici mẽbro cõtentorum; Decem verò esse pręcognitorum species, quæ per se primò medendi methodum ingrediũtur, quæ sub triplici genere comprehẽduntur, nimirum sub *virtute, morbo, & causa morbi*; duo aũt esse præcognita per accidens medẽdi methodũ ingrediẽtia, pathos scil. & symptoma. Et hęc de pręcognitis in genere methodi medẽdi.

Præcognita in specie.

De præcognitis, & præcognitionibus methodi medendi in specie. Vna cum methodicis demonstrationibus.

Postquam methodo superiori ostensum est, tria esse genera præcognitorum in genere, morbum, scilicet, causam morbi, & virtutem; ideo considerandum est, num hæc sint præcognita in specie methodũ medendi, tãquam demonstratiuam, integrantia. Et primò quidem apparet, quòd non; Etenim pręcognita demonstrationis sunt *principium, subiectum, & passio*; virtus autẽ morbus, & causa, non possunt ita ad inuicem se respicere, vt vnum sit principium, alterum subiectum, & alterum passio: Neque enim virtus tanquã passio

passio demonstrari potest de morbo subiecto per causam, tanquam per principium, Ideo hæc tria præcognita extra medendi methodū, morbus, causa, & virtus, non possunt esse præcognita methodi medendi specifica, actualem demonstrationem methodi medendi ingrediētia; sed virtus, causa, & morbus, sunt tria subiecta methodi medendi, de quibus demonstrantur passiones methodi medendi, per axiomata, & per principia, ideoq; morbus, causa, & virtus ingrediūtur actualem demonstrationem methodi medendi tantum sub ratione subiecti.

Subiectum.

Sed instabit aliquis. Si virtus causa, & morbus gerant vicem subiecti solùm, quodnam erit principium, & passio huius medendi methodi, vt ipsa, eum ex se sit demonstratio, ex triplici præcognito integretur, principio, passione, & subiecto.

Dico iterum, morbum, causam, & virtutem, esse tria subiecta, de quib. demōstrantur passiones methodi medendi, quæ passiones sunt tres, curatiua, præseruatiua, & cōseruatiua. Curatiua enim passio demonstratur de morbo; præseruatiua de causa morbi; conseruatiua passio de ipsa virtute: Et hæ tres passiones demonstrantur de his tribus subiectis, per tria principia, quæ sunt curatorium, præser. uatorium, & conseruatorium. Quę tria principia trahunt originem, ex duplici axiomate indemonstrabili ipsius methodi medendi: Primum axioma est, *quòd contraria contrarijs curantur*; sub quo militant duo principia, curatorium, & præseruatorium. Secundum axioma est, *quòd similia similibus conseruantur*: Sub quo axiomate militat tertium principium conseruatorium: Hoc sibi voluit Galenus 1. meth. cap 4. quando dixit, sicut in cæteris scientijs deuenimus ad quædam principia, *quæ nō per demonstrationem, sed ex seipsis fidē faciunt: Ita in medicina, quæ demonstrantur, ad primas, & indemōstrabiles propositiones sunt terminanda, quæ axiomata dicitur*: Innuens his verbis, axiomata, & principia indemonstrabilia ipsius methodi medendi. Tria igitur sunt præcognita methodi medendi, sicut methodi demonstratiuæ, principium, subiectum, & passio. Principia sunt tria, curatorium, præseruatorium, & conseruatorium: subiectum est triplex, morbus, causa, & virtus; Passio similiter est triplex, curatoria, præseruatoria, & conseruatoria. Sed hanc methodū applicemus vnicuiq; subiecto methodi medendi, vt veritas elucescat: Et primò quidem accipiamus subiectum morbum, vt febrē; De febre subiecta demonstratur hæc passio, refrigeratio, & humectatio, quæ est passio curatiua, & hæc passio demonstratur per hoc principium, quod est, calidum, & siccum esse refrigerandum, & humectandum, hac ratione.

Passiones.

Principia.

Axiomata.

Demonstratio curatiua de febre.

Calidum, & siccum, est refrigerandum, & humectandum.

Febris est vniuersalis intemperies calida, & sicca, ergo febris est humectanda, & refrigeranda.

In maiori est collocatum princi-

cipium curatorium, quod est conuertibile; Subiectum enim, & prædicatum inuicem conuertuntur, neque vnum latius patet, quàm aliud: Omne enim, quod est calidum, & siccum, est refrigerandum, & humectandum; Et omne, quod refrigeratur, & humectatur, est calidum & siccum: Propterea cum refrigeratio, & humectatio, nõ excedant id, quod est calidum, & siccum; & hoc calidum, & siccum non excedant refrigerationem, & humectationem; propterea propositio est conuertibilis, & necessaria, in qua collocatur principium. In minore est positum subiectum, nimirum febris, quæ ita sibi coarctat principium, vt fiat propositio necessaria in primò modo per se; coarctat.n. sibi illud principiũ calidum, & siccum, vt iam essentialiter non sit, nisi febris ipsa: Nam febris in primò modo per se, est vniuersalis intemperies calida, & sicca; & è conuerso, vniuersalis intẽperies calida, & sicca est febris; ideò minor est necessaria in primò modo per se.

Obiectio. Sed oritur difficultas; Cùm ex Arist. 1. poster. in demonstratione passionis de subiecto, sit accipienda causa efficiens externa, vt in demonstratione Eclipsis de Luna assumitur interpositio terræ, tanquã causa efficiens externa: Sed in superiori demonstratione, non ponitur causa efficiens externa ipsius febris, ergo non est bona demonstratio.

Responsio. Hęc obiectio nihil valet, eo quia duplex sit causa efficiens, interna per internam emanationem, vt rationale respectu risibilis; Et efficiens externa, per actionem transeuntem, vt interpositio terræ respectu Eclipsis; in demonstratione potissima sufficit, quòd assignetur causa passionis de subiecto, siue interna, siue externa; Imò si assignetur efficiens interna, iam perfectior est demonstratio, quia est in primò modo per se; Si verò assignetur efficiens externa, iam est imperfectior, quia est in quarto modo per se. Modò in demonstratione febris, superius posita, assignatur causa febris interna, per internam emanationem, videlicet, quòd febris sit vniuersalis intemperies calida, & sicca, ideo est perfectior demonstratio.

Quòd si velitis habere demonstrationẽ de febre cum eius causa, etiam efficiente, per actionem trãseuntem, hæc est.

Calidum, & siccum, est refrigerandum, & humectandum.

Febris est intemperies calida, & sicca, in corde accensa; Ergo febris est refrigeranda, & humectanda.

Maior ergo, & minor vtriusque demonstrationis de febre sunt necessariæ propositiones, in quibus est principium, & subiectum: Conclusio pariter, in qua demonstratur passio curatiua de febre, est necessaria; quia febris curari non potest, nisi refrigerantibus, & humectantibus.

Alia difficultas. Sed oritur duplex difficultas; Prima est, non videtur hæc passio curatiua per se conuenire febri; Etenim passio non debet excedere naturam subiecti, de quo demonstratur,

ſtratur, vt riſibile, quod non excedit naturam hominis: Sed hæc paſſio; refrigeratio, & humectatio in plus ſe habet, quàm febris, multa enim refrigerantur, & humectantur, quæ non ſunt febris: Ergo hæc concluſio non eſt neceſſaria.

Alia difficultas

Secũda difficultas eſt, quoniam in demonſtratione potiſſima demonſtratur propria paſſio de ſubiecto, vt riſibile de homine, ſed tantum abeſt, quòd hæc paſſio, refrigeratio, & humectatio, ſit propria paſſio febris, vt potius deſtruat febrem, ergo in hac demonſtratione non demonſtratur propria paſſio de ſubiecto, ergo non eſt bona demonſtratio.

Prima Solutio.

Tolluntur hæ difficultates per id, quod paſſio ſit duplex, perfectiua, & deſtructiua; paſſiones perfectiuæ demonſtrantur de ſuis ſubiectis in ſecundo modò per ſe, vt riſibile de homine: paſſiones deſtructiuæ demonſtrantur de ſuis ſubiectis in quarto modo per ſe, vt eclipſis demonſtratur, tanquam paſſio Lunæ; & tantum abeſt, quod eclipſis ſit propria paſsio Lunæ, vt potius deſtruat Lunam; Cõſimiliter, ex Ariſtot. 1. poſt. interitus demõſtratur de homine per mediam iugulationem in quartò modo, per ſe, ac tamen tantum abeſt, vt interitus ſit propria paſsio hominis, vt potius deſtruat hominem.

Ad primum, ergo dico, non eſſe neceſſe, vt paſsiones deſtructiuæ in quarto modo per ſe vniuerſaliter primo reciprocentur cum ſuis ſubiectis, vt Eclipſis cum Luna; Eclipſis enim competit alijs à Luna, vt Soli; Ita interitus non tantùm homini, ſed cæteris alijs conuenit, ac tamen ſunt demonſtrationes in quarto modo per ſe potiſsimæ, quia procedunt ex cauſis adæquatis: Conſimiliter paſsiones curatiuæ, & etiam præſeruatiuæ, quæ demonſtrantur in concluſione de morbo, & cauſa morbi, non ſunt paſsiones perfectiuę in ſecũdo modo per ſe, ſed ſunt deſtructiuæ in quarto modo per ſe. Propterea non eſt neceſſe, vt conuertantur cum ſubiecto, vt refrigeratio, & humectatio cum febre.

Secũda Solutio.

Ad ſecundum, illud idem dicimus, paſsiones curatiuas, & præſeruatiuas, quæ demonſtrantur in methodo medendi de morbo, & cauſa morbi, nõ eſſe proprias paſſiones perfectiuas in ſecundo modo per ſe, ſed eſſe paſsiones deſtructiuas in quarto modo dicendi per ſe, ideo argumentum nihil concludit: Ex his ergo patet, quomodo principium, ſubiectum, & paſsio ingrediatur actualem demonſtrationem methodi medendi, loquentes de ſubiecto curatiuo, qui eſt morbus. Hoc idem demonſtremus de ſubiecto pręſeruatiuo, nimirum de cauſa morbi; ſic ergo paſsio præſeruatiua poteſt demonſtrari de cauſa morbi.

De ſubiecto preſeruatorio.

Omne, quod eſt à toto genere præter naturam, eſt eradicandum. Suffuſio eſt ſubſtantia concreta in foramine ragoidis à toto genere præter naturam, ergo ſuffuſio eſt eradicanda.

Maior huius eſt axioma, & principiũ methodi medendi indemonſtrabile, & hoc eſt primum præcognitum in ſpecie, quod eſt per ſe, vni-

& vniuersaliter primum, quia prædicatum, & subiectum propositionis, sunt ex æquo conuertibilia: omne enim, quod est à toto genere præter naturam, est eradicandum; & omne eradicandum, est à toto genere præter naturam. In minori est positum secundum præcognitum præseruatiuum. quod est causa morbi; Et hoc ita sibi adstringit proprium principium in maiore positum, vt propositio sit in primò modo per se conuertibilis; Nam suffusio est substantia cõcreta in foramine Ragoidis à toto genere præter naturam: Et substãtia cõcreta in foramine Ragoidis à toto genere præter naturam, est suffusio; Ideo propositio est in primo modo per se necessaria. In cõclusione tandem ponitur tertium præcognitum specificum methodi medendi, & est passio, nimirum eradicatio. Ecce ergo, quomodo de subiecto præseruatorio, seu de causa morbi fiat demõstratio passionis per proprium principium.

Obiectio. Sed oritur ex his duplex difficultas: Prima est, talis demonstratio videtur absurda, quoniam in minore ponitur duplex principiũ: Nam ponitur substantia concreta in foramine Ragoidis, quod est proprium principium suffusionis, non positum in maiori: Et ponitur alterum principium assumptum pro medio termino in maiori, videlicet, à toto genere præter naturam.

Solutio. Soluitur hæc difficultas ex eo, quod in maiori propositione demonstrationis ponatur commune axioma, quod potest pluribus differentibus specie aptari; In minore verò, in qua ponitur subiectum, illud idem principium sumitur tãquam propriũ illius subiecti, v. g. hoc principium (Rationale est risibile) est commune principium, quod potest pluribus differentibus specie accommodari, rationale enim tam competit Deo, quàm homini, quæ sunt species diuersæ: Verùm hoc principiũ in minori, subiecto homini appositum, ita à natura vniuersali illius subiecti coarctatur, vt cæteris amplius conuenire non possit: Ita ad propositum, hoc principium (omne, quod est à toto genere præter naturam) pluribus specie differentibus potest applicari, videlicet suffusioni, calculo, lumbrico, & similibus: At dũ in minore tribuitur suffusioni, ita fit proprium suffusionis, vt cæteris competere non possit; Eatenus verò hoc principium (est à toto genere præter naturam) coarctatur ipsi suffusioni, quatenus suffusio est substantia concreta in foramine ragoidis; propterea non est nisi vnum tantum principium in maiori sumptum in sua latitudine; In minori verò coarctatum: Et sic patet esse propositionem necessariã.

Secunda difficultas procedit cõtra superiorem demonstrationem, eo quia procedat de morbo, non autẽ de materia morbifica, vt posuimus; Etenim suffusio non est materia morbifica, sed est morbus. *Obiectio 2.*

Solutio. Tollitur hæc difficultas ex eo, quod suffusio dupliciter sumatur; vno modo formaliter, & sic est morbus, est enim formaliter foraminis pupillæ obstructio: Alio mo-

do materialiter,& sic non est morbus,sed est causa morbi adæquata: Est enim substantia concreta ad modum membranæ in foramine pupillæ : Modò dico in superiori demonstratione sumi suffusionem, non formaliter, sed materialiter, & per consequens non,vt morbus, sed vt causa morbi sumitur.

Apparet igitur,quomodo in actuali demonstratione causę morbificæ, tria præcognita sint, principium, passio, & subiectum quod subiectũ est ipsamet causa morbi.

Hoc idem demonstrandum est de tertio genere præcognitorum in genere, id est,de virtute hac ratione : *Demonstratio vitalis.*

Solidum substantificum est solidis alimentis conseruandum.

Subiectum vitæ est substantia solida. Ergo subiectum vitæ est solidis alimentis conseruandum.

Maior est necessaria, quia est per se primò conuertibilis in methodo medendi; Nam cùm substãtia partis, quæ secũdum essentiam specificam, dicitur virtus, sit duplex; alia enim est rara, alia verò densa : Et cùm rara sit carnosa, quæ per se indicat alimentum tenue; densa verò sit substantia solida, & spermatica, quæ per se primò indicat alimentum crassum, ideo propositio est conuertibilis: omnis enim substantia solida est solidis, seu crassis alimentis conseruanda, & omne alimentum solidum conseruans, cõseruat solum substantiam solidam. Minor est necessaria in primo modo per se; Nam cùm subiectum vitæ sit organum facultatum: facultates verò subijciantur in partibus similaribus, & solidis, ideo propositio hæc est conuertibilis vniuersaliter primò: Subiectum vitæ est substantia solida; & substantia solida est subiectum vitæ; quia sola substantia solida, est organum facultatis.

Conclusio est necessaria pariter,quoniam hæc passio,conseruatio per solida alimenta, est propria passio subiecti vitæ,idest,substantiæ solidæ. Quare apparet circa subiectam virtutem, quæ est tertium subiectum methodi medendi, demonstrari propriam passionem de virtute, per principium conseruatorium.

Sed occurrit difficultas, primò quidem, nam in superiori demonstratione videtur nugatio manifesta ad idem numero, & specie : Si quidem cùm per te, subiectum vitæ sit idem, ac substantia solida, propterea videtur idem, ac si diceres, subiectum vitæ, est substantia solida, id est substantia solida,est substantia solida,quare est nugatio, si est hoc, est hoc, proposita, ab Aristotele, 1. post. cap. 3. *Obiectio 1.*

Respondetur, non esse nugationem; Nam sicut homo est idem quòd rationale,& rationale idem, quòd homo in primò modo per se, non est tamen nugatio dicere, homo est rationalis: Ita à simili: quanquam subiectum vitæ sit idem, quod substantia solida; & substantia solida sit idem, quòd subiectum vitę in primò modo per se, tamen non est nugatio dicere, subiectum vitæ, est substantia solida, & ratio huius est, quia substantia solida non accipitur,vt sic, *Solutio.*

qua-

quatenus est solida, sed accipitur, vt organum facultatis, & consequenter, vt subiectum vitę; propterea non est nugatio, sed est propositio necessaria in primò modo dicendi per se.

Obiectio 2. Secunda difficultas; Tu inferius dixisti, passionem methodi medendi non esse propriam subiecti passionem perfectiuam, sed destructiuam, sed hoc est contra te, quia hæc passio conseruatiua demonstratur de virtute, tanquam de subiecto, ac tamen est passio perfectiua, & non destructiua.

Solutio. Respondeo, passionem curatiuam, & præseruatiuam esse passiones tantum destructiuas, quæ demonstrantur, per propria principia contraria de morbo, & causa morbi, in quarto modo per se: Verùm passio conseruatiua, demonstratur de virtute tanquam propria passio perfectiua, in secundò modo per se: Nam sicut risibile demonstratur de homine, in secundò modo, per se, tanquam hominis effectus; ita conseruatio virtutis, per alimenta solida, est passio, & effectus virtutis, tanquam subiecti vitæ, quod intrinsecè per actionem immanentem in sui naturam conuertit alimentum solidum, quare conseruatio virtutis est passio methodi medendi, quæ in secundo modo per se, de virtute subiecta demonstratur.

Ex his ergo patet, tria esse subiecta methodi medēdi, morbum scilicet, causam morbi, & virtutem: Tria quoque esse principia, curatorium, præseruatorium, & conseruatorium: Tres quoque esse passiones, curatoriam, pręseruatoriam, & conseruatoriam, quæ formaliter integrant vnamquamque actualem demonstrationem, methodi medendi; propterea apparet luce clarius, tria esse pręcognita methodi medendi, quemadmodum sunt demonstrationis, & consequenter apparet, methodum medendi respectu finis sui interni esse demōstrationem potissimam: Sed iam dicamus pro choronide quot, & quales sint præcognitiones specificæ methodi medendi.

Præcognitiones triū præco. meth. med specificæ quod est & quid est. Dico igitur, quòd sicut tria sunt pręcognita methodi medēdi, principium, subiectum, & passio: Ita duæ sunt præcognitiones propositæ ab Arist. 1. poster. cap. 1. tex. 2. quibus ea præcognoscuntur; Prima præcognitio, est ipsum *quod est*. Secunda, est ipsum *quid est*. De principio methodi medendi, siue curatorio, siue præseruatorio, siue conseruatorio, cognoscitur ipsum *quod est*, id est, quod sit verū principium, & indemonstrabile, vt de hoc principio curatorio pręcognoscimus, quod est verum, scilicet, calidum, & siccum esse refrigerandū, & humectandum: De passione, siue curatoria, siue præseruatoria, siue conseruatoria, pręcognoscimus ipsum quid est, id est, *quid nominis*, v.g. de hac passione curatoria, quę est refrigeratio, & humectatio, pręcognoscimus notionem: Tandem de subiecto, siue morbo, siue causa morbi, siue virtute, præcognoscimus vtrumq; & *quod est*, & *quid est*; quòd est, quo ad existentiam, & quid est, quo ad essentiam, v.g. de morbo subiecto præcognoscimus

illius existentiam in loco affecto, & febrem existere in toto; præcognoscimus, & eius essentiam, v. g. febrem esse intemperiem calidam, & siccam; Ita de causa morbi præcognoscimus quòd est, id est existentiam v. g. bilem in febre tertiana habere focum putredinis in venis medijs, præcognoscimus de eadem ipsum quid est, id est, illius essentiam specificam, vt bilem esse vitellinam, vel porraceam: Ita de virtute præcognoscimus ipsum quòd est, id est, illius existentiam, an in substantia solida existat, vel in substantia carnosa: præcognoscimus, & ipsum quid est, id est, essentiam tum genericam, tum specificam v. g. an sit temperamentū, an calidum innatum: Quare de omni subiecto methodi medendi cognoscitur vtrumq;, & quod est, & quid est. Et hæc de præcognitis, præcognitionibus, tam in genere, quàm in specie methodi medendi, & omnino de methodica, & demõstratiua methodo medendi.

Et hic est finis nostræ Encyclopædiæ Medicæ breuiter continentis quinque partes Medicas, sub ijs generalibus methodis propositis in primo capite huius operis de præcognitis Medicinæ, & præcognitionibus. Nec mihi instet aliquis, nihil prorsus me dixisse de crisibus, temporibus morborum, nec de prognosticis, quæ sub methodo Simiotica aliquo modo cõtinentur; neque de medicamentorum compositione, quæ methodo Therapeuticæ, tanquam per iconē, correspondere videtur: Nam respondeo, nihil de his me dixisse, quia peculiarem desiderant tractatum: Idcirco, de crisibus, & diebus decretorijs, de temporibus morborum, de prognosticis, & de compositione medicamentorum secūdum Dogmaticos, immò, & secundum Hermeticos, suo loco, & tempore, proprium instituā tractatū.

HERMET. IMPOSTVRA.

De Methodo medendi secundum Hermeticos.

VT pro choronide hęc nostra theorica medicina perficiatur, videndum est, an Hermetici methodo aliqua procedāt, & qualis ea sit. Quo ad primum, Hermeticos, qui se methodicos profitentur, methodo indicatiua procedere clarum est apud Hermeticum, de tribus primis essentijs, cap. 3. qui tres ipsos medendi methodi terminos proposuit his verbis, *debent autem dictæ ægritudines per illa auferri, quæ cuilibet idonea, & commoda videbuntur, indicata de specialitate rerum in natura; & in philosophia de re, & natura: quæ breuitatis gratia hic omittuntur*: quibus verbis clarè nobis proponit *indicantia, quæ in philosophia res, & naturas appellat: indicata*, quæ in rerum natura *specialia*, idest indiuidua, vocat, quæ sunt, apud Dogmaticos, materiæ remediorum; & ex his etiam ab indicantibus, & naturis rerum, ad indicata, subintelligitur media indicatio, & obiectiua consequutio;

tio; ideoque, quo ad methodi medendi terminos, Hermetici non videtur à Dogmaticis discriminari.

Verum, sicut conueniunt in terminis methodi genericis, ita in specificis discriminantur, cum velint, vnã tantum esse indicationem curatiuam ipsius morbi, quæ non per contraria, *sed per similia* procedat, vt colligitur, ex Hermetico loco citato, cap. 4. scribente, *non contrarium contrario impelli, sed proprium ad suum innatum accommodari, frigidum, enim calidum non euincit:* Et cap. 5. affirmante, *Medicum sibi debere cauere, ne arbores duas in vnam inserat curam*, quod est dicere, ne contraria contrarijs curet: & propterea iubet, quòd sicuti sunt *triplices morbi*, sulphurei, saliti, & mercuriales, ita tres tantum adhibeantur curæ, quæ proportionaliter suis correspondeant morbis, ita vt sulphurei, sulphure, mercuriales mercurio, & saliti sale ipso curentur, non autem è conuerso mercurialis sulphure, & sulphureus mercurio: hanc vero medendi methodum curatiuam, per similia, & non contraria, fundant in natura ipsius morbi, quæ cum consistat in cognitione formę, & proprietatis, vt in Simiotica signatura dictum est, ideo ex forma, & proprietate morbi præcognita, tanquam ex indicantis morbi natura, necessaria indicationis illatione, colligũt formam, & proprietatem rei indicatæ, v. g. forma, & proprietate *calculi* præcognita, tanquam ex indicante, colligunt ex parte materiæ indicatæ, eãdem proportionalem formam, & proprietatem, vt in milio solis, quod candore, rotunditate, duritiaq; saxea, calculi signaturæ correspondet, ideo calculum curat; sic in crystalli, silicis, lapidis citrini, iudaici, & lyncis indicatã naturam deueniunt, ex præcognitione formæ, & proprietatis ipsius calculi: sic ex hernia, herniariam indicari autumant; & quod de his, exempli gratia, dicitur, de cæteris subintelligitur, de quibus videre potestis Vsualdum Crolliũ de internis signaturis, ex Hermeticorum sententia descriptis: ex hoc igitur, quòd forma, morbique proprietas, indicet materiam remedij eiusdem formæ, & proprietatis, colligunt similia similibus curari; Præter quas indicationes omnes alias, tanquam nugatorias reijciunt, vt passim habetur de tribus primis essentijs, cap. 5. quo loci scribit iactabundus Hermeticus, præcidi, ac omitti debere longas illas ambages, nugas, & cauillationes Auicennę, Mesue, Galeni, & aliorum.

Discrimen inter Dogmaticos, & Hermeticos.

Attamen, sicut materias aliquas remediorum Hermeticas pro morborum curatione, libẽti animo suscipio, ita tamen semper putaui in Dogmaticas Galeni indicationes referri debere, ideoq; nullam aliã existimaui esse scientificam medẽdi methodum, nisi eam, quam demonstratiuam superius, ex mente Galeni proposui; quæ super duob. principijs, veluti fundamentis, stabilitur; quorum primum est, contraria contrarijs curari; alterum verò, similibus similia conseruari, non autem similibus similia curari,

Laudes Galenicæ methodi.

ri, vt ineptè posuerunt irregulares Hermetici, qui nitentes hæc duo fundamenta euertere, vt constituant nouam medendi methodū, coguntur tandem à veritate coacti, in Galenicam methodum incidere. Duo igitur determinanda mihi propono, primum est, ex ipsorum auctoritatibus, contraria contrarijs curari; & similia similibus conseruari.

Curatio Hermetica qualis. Quo ad curationem, eam tanquam, ex contrarijs constituere Hermeticum, patet ex eius de vlceris curatione, In Chirurgia minori tract. 1. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & cap. 18. & lib. 5. & toto tractatu 3; potissimum capite 8. cum enim Galenici in oppositione qualitatū elementarium contraria, suam indicationem fundent, quarum ratione, vlcus siccandum esse dicūt: Hermetici, *omnem curationem, actioni, & facultati* ipsius medicamenti tribuunt; ideo, non quidē in qualitatum elementarium oppositione, suas fundāt curationes, sed in oppositione actionum, & facultatum, quę interest inter morbum, & naturam medicamenti oppositam, ergo Hermetici sibi non consistunt, dum, modo persimilia, modo per contraria aserant, *curationem omnem fieri*.

Exéplo vlceris declaratur. Sed, vt Hermeticorum cōfusio enucleatius hac in re appareat, cogitaui eorum diuersitatem in vlceris curatione proponere, ex hoc enim tota hæc res conspicua fiet. Igitur probant Hermetici, in curatione vlceris, *non multum in qualitatū contrarietatibus* operę ponendum; primo, quia talis est indicatio, qualis est curatio, sed curatio actioni, & facultati contrarię ipsius medicamenti tribui debet, & non qualitati elementari, ergo indicatio non est qualitatis oppositæ, & per consequens *humiditas* vlceris *siccans* non indicabit. Maior est vera in schola etiam Dogmatica, nam talis est materia indicati, qualis indicatio, & conuertibiliter; si enim indicatio est refrigerādi, materia indicati debet refrigerare; & si materia remedij refrigerat, indicatio debet esse refrigerandi. Minor ab Hermeticis probatur, primo quidem febris exemplo, nam febris, quę est morbus calidus, non pellitur frigore, *sed medicamenti actione*; *In febre.* secundo vlcera, quæ à Dogmaticis calida, frigida, humida, & sicca dicuntur; *In vlcere intẽperato.* non oppositis curantur qualitatib., sed *opposita actione*, si enim actio salis corrodentis euincatur, iam vlcus sanatur; idcirco indicationes, quę in qualitatum elementarium oppositione consistūt, sunt inutiles, & inartificiosę, & perconsequens indicatio formaliter fundari debet in *actionum oppositione, morbi, & remedij*. Tertio probant exemplo vlceris phlegmone coniuncti, vlcus ratione phlegmonis, cum sit calidum, dicunt Dogmatici, indicat frigidum, accipiatur ergo materia remedij frigida, vt camphura, hęc vtiq; calori aduersatur, sed phlegmonem non extinguet, sicut faciet attramentum sutorium, thus, vel mirrha, quę tamen calida sunt, & ratio est, quia qualitatis oppositione, actio salis, vel humoris inflammātis, non tollitur *In vlcere phlegmonode.*

litur à camphura; sed bene quidem tollitur ab opposita actione attramenti sutorij, vel mirrhæ, vel thuris, actionem salis inflammantis omnino tollētis: in indicatione igitur curatiua, non sunt spectandæ qualitates primæ, & oppositæ, sed ipsorum elementorum actiones, & facultates, & perconsequens in vlcere simplici curando, ratione humiditatis non est siccandum. Quarto, siccitatis curatio, non in *humectando*, sed in *dissoluendo*, cōsistit; & humiditatis curatio, nō in *siccando*, sed in *coagulando*, perficitur, ergo curationes indicatiuæ, non penes qualitates oppositas, sed iuxta actiones oppositas sunt perpēdendæ. Ant. prob. & primum de humiditate, etenim, vt *humiditas* curetur, ipsa humiditas *coagulari* debet, non *siccari*, quia siccare ad *riuos* tantum, sed *coagulare, ad fontes penetrat*, hoc est siccare partem ad humidum intem peratam, est quidem vltimos illos humiditatis riuos exiccare, sed nō est tollere humiditatis fontem, quē tamen coagulatio aufert; coagulata enim humiditate ad locum humidum confluente, necessariò vlcus humidum curatur; iccirco humiditas verè, & realiter, non *siccitate, sed coagulatione* curatur. Probatur Ant. etiam de siccitate, non *humiditate* scilicet, sed *dissolutione* curari, quia pars aliqua extra naturam sicca corrugatur, & restringitur, ergo, vt pars sicca curetur, necessariò dissolui debet, ergo non curatur, vt humectatur, sed, vt dissoluitur: Non igitur in morborum curatione, spectanda est indicatio penes oppositas qualitates elementares; sed iuxta actiones oppositas medicamentorū, & morborum.

Stante igitur hac inter Dogmaticos, & Hermeticos contrarietate, & quis non videt, quàm mirabiliter sibi contrarientur, cum prius constituant, similia similibus curari, postea concludāt, curatiuam indicationem in actionum morbi indicantis, & materię indicatę oppositione fundari? implicat enim in adiecto, simile simili curari per oppositam in actione indicationē? quare statuamus, etiam Hermeticos procedere per contraria: & quando obijciunt, inuentionem remedij indicati esse à forma, & proprietate morbi indicantis præcognita, respondeamus, has esse curationes specificas etiam à Galeno positas, sed non esse curationes regulares, ex præcognitione demonstratiua naturæ affectus procedentes, de quibus interim est sermo. *Confutatio Hermeticæ methodi.*

Et quoniam hoc principium, contrarijs cōtraria curari, & morbo, & causæ morbificæ debetur, ideo non mediocriter Hermetici nugantur, dum indicationem morbi curatiuam, & indicationem causæ morbificæ præseruatiuam inuicem confundunt: verum enim est, omne causæ morbificæ vitium, excepto vnico in primis qualitatib. vitio, per oppositas indicationes tolli, actione, medicamentorumq; facultatē; nam peccatum in quanto tollitur per euacuantia; peccatum

tum in substantia, per eradicantia; peccatum in motu, per reuellentia, intercipientia, & deriuantia; & peccatum in quiete, per mouentia: quæ omnes remediorum materies, e au sæ morbificæ vitium tollunt, *non mediantib. qualitatib. elementaribus*, sed medicamentorum actionibus, & facultatibus oppositis: at vniuersalis non est methodus, quia causæ morbificæ vitium in qualitatibus primis, tollitur etiam oppositis qualitatibus elemētaribus, frigida calidis, calida frigidis &c. Cōsimiliter intemperies morbus, oppositis qualitatibus elementatibus aufertur, ex quo in hoc insigniter lapsi sunt Hermetici, cum omnē omniū morborum curationem, & causarum morbificarum ablationem, vniuersaliter medicamentorum actioni oppositę tribuerint, nullam vero qualitatibus elementaribus, sicut dum morbi, & causæ morbificæ indicationes specie diuersas, inuicem confundunt.

Ad primum Arg. Ideoq; ad primū eorū argumētum respondeo, febrem, vt morbus calidus, formaliter frigore pelli; *medicamenti vero actione* tolli formaliter causam febris; vnde cum cōnfundāt morbum cum causa, & consequenter indicationem curatiuam cum præseruatiua, notabiliter peccant.

Ad secundū. Ad secundum de vlcere intemperato, respondeo, vlcus, vt *intemperatum* formaliter attemperantibus curari per oppositas qualitates elemētares; vlceris verò causam, siue dicatur humor acris, siue sal erodens, medicamenti actione opposita tolli; sed hæ duæ indicationes sunt diuersæ, ideo non debent confundi.

Ad tertium. Ad tertium de vlcere phlegmoni coniuncto, dico similiter, vt *inflammatum*, & *calidum*, frigidis curari, vti camphura, quatenus vero in ipsa causam respicimus, qui est *humor fluens, stipticis* præseruari, vt est attramentum sutorium, thus, & mirrha.

Ad quartum, dico intemperiē humidam, vt morbus est, siccantibus curari; quatenus vero humiditatem respicimus, seu humorem fluentem, quæ causa est, eatenus dicere possumus, vlcus humidum *coagulationem* indicare, hoc est *euacuationem*. quoniam hæc Hermetica coagulatio, nil aliud est, quam Dogmaticorum *euacuatio, & purgatio*, quæ causæ, & non morbo debetur: propterea dicere, vlcus, vt humidum, non esse siccandum, sed coagulandū, est respicere *fontem*, idest causam; & non *riuos*, idest morbum. Cōsimiliter siccitas *humectando*, non *dissoluendo*, curatur, cum eatenus pars sicca dissoluatur, quatenus humectatur; Quamobrem ex his Hermeticorum errorem colligere licet, qui causam morbificam cum morbo confundentes, indicationes curatorias, & præseruatorias specie distinctas pariter confunderunt; cum tamen, & ipsi, sibi contradicentes, tandem in Galenico axiomate conuenerint, contraria cōtrarijs curari, siue sub ratione causæ morbificæ, siue morbi.

Sed

Sed præter hoc, in secundo etiã principio methodi medendi conuenire, quod est similia similibus conseruari, patet ex eodem Hermetico, in libro primo Chirurgię minoris capite primo, vbi scribit, *balsamum*, idest, calidum innatũ, *in sua temperata humiditate conseruari*: quamquam ergo profiteantur Hermetici, se diuersam medendi methodum proposuisse, in Galenicam tamẽ terminari coguntur, non sine diuersis implicantijs, & nugationibus superius detectis: vnde ex dictis, Galenica methodus demonstratiua magis constans redditur.

Hermetici conueniunt in principio vitalis indicationis.

Hæc Hermetica Dogmaticis coniuncta, pro huius libri complemento, sufficiant: cum alibi de crisibus, prognosticis & reliquis partibus Theoricæ medicinæ acturi simus, eodem ordine, & nexu Dogmaticis coniunctis.

Ad laudem, & honorem Dei Optimi Maximi, & Sanctissimæ Christiparæ Virginis MARIAE.

Tu candide Lector legito, & faueto.

D. Maurus Berretta R. Pœn. pro Illustriss. Card. Archiep.


Breuissima, eaque Doctissima Encyclopedia Hermetico Medica, ab Excellentiss. Viro Fabritio Bartoleto conscripta, vidi, ac diligentius perlegi; & quia in illis nihil reperi, quod sit dissonum, aut alienum à Veritate Fidei, bonis moribus, ac Canonica medendi arte; Imò quæ viderim, ac perlegerim, maxime vtilia deprehenderim studiosam Medicæ arti operam nauantibus, ideo typis mandari possit censui, approboque, ego Infrascriptus.

Igitur Imprimatur.

Fr Hieronymus Onuphrius ex Congregatione Fessulana Theologus Collegiatus, Lector publicus in Archigymnasio Bononiensi, ac Sac. Congr. Consultor, pro Reuerendiss. M. Paulo de Garrexio Inquisitore Bononiæ.

IN ENCYCLOPAEDIAM
HERMETICO MEDICAM.

Clarifs. ac Doctifs. Medici D. Fabritij Bartoleti Profeff. Bonon.



V M cani arcanum radit, dum mortua ſcalpit
Sacula, muſa recens, renouat dum rudera facti;
Quas formas heu mens baiulat, qua nubila rerum
Tranat inops, it in aduorſa ens; pede nil recidiuum.
Quid genitor Magni Circi dum ſcandit in artus,
In luctam, vt lapſus, ſpatia vt ſua circumſpexit;
Ingemuit, punctumne fero? tam parua reuerſus:
Atlantemne volo? Menti ſpes ſurgit in alas.
Regia, plebs forum arant, grauidum rus, ſaucia vbiuis
Cura, σοφος muſam pregnat, ſtudij tumet arua;
En ſedet orbe faber, ſtudio da vela, dat auras,
Dat portum, mala primo Oriente fugat, bona metat;
It bijugis ratione, vſu, tibi pargama pugnat.
Arde auidum, ſuadent ſtudium tam viuida prala;
Da in curas caput iraſci, minitare mineruæ
Tempora, Tempe ibis, labor alma in vera graueſcet;
Senſus ara, ſophia echo opera, folio inſere ocellos.
Pande ſtyli venas, pulſum lege, veſtiat artem
Lectio; de ſtudio trudet ſe practica fructus.
Eia exentera opus, canes, medica otia paſce,
Mellificabis Api, tibi erit luce omne repoſtum
Iudicium, da calci Orbem medicum, orbita pandit
FABRITIVS, ſtudium eia veni, vide, paona vinces.
Liba oculos, ſpumat plenis en littera labris.
Seu vaga Apis dum prata adolent, dumque Annus hiat Ver;
Sollicitat, flores, herbas, volat, ac olet hortos
Dulcia alunt, paſcit, ſaturátque vices; reliqua abdit
Temporibus, mel agit, mel ruminat excrementum.
Sudant mella domos, hyemem cera oſtia celant.
Sic Orbem ſpatiare labor, venare cerebrum.
Zoile, parca vaces, ſacer hic liber, it Beneuentum.

Ludebam Profeſſori meo Belgarum Mæcenati
Godofridus Vluggius D. Amorfortio Batauus.

INDEX VERBORVM, ET RER. MEMORABILIVM, Quę in opere toto continentur.

Primus numerus significat paginam, secundus Columnam.

a. quod

&

Ciba-

Con-

Far-

G

H

Me-


Mor-

Qui-

Os-

Sub-

Tri-



BONONIAE, Typis Sebastiani Bonomij. M. DC. XIX.
Superiorum permissu.